This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

617

MONUMENTORUM BOICORUM

COLLECTIO NOVA.

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM BOICA.

VOLUMEN XI.

MONACHII,
TYPIS DR. FR. WILD (PARCUS).
MDCCCLXVI.

MONUMENTA BOICA.

VOLUMEN DUODEQUADRAGESIMUM.

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM BOICA.

MONACHII,
SUMTIBUS ACADEMICIS.
MDCCCLXVI.

BODLEIAN
16 3 1903
LIBRARY

Praefatio.

Pauca sunt quae de altero hoc monumentorum episcopatus wirziburgensis volumine praefanda esse videantur.

Quamquam enim priore volumine in lucem emisso diplomata colligendi ac disponendi curam, quam Muffatium v. cl. ingravescente valetudine detrectasse omnes conquerimur, Rockinger tandem mense novembri anni MDCCCLXIV in se recepit, hac tamen re consilium quod edendis monumentis boicis qui praesunt sequendum censuerant nihil fere mutatum est. Unum hoc satius esse videbatur, ut eorum diplomatum quae plena edere non placuit non regesta referremus, sed omissis quae ad formam pertinerent rebus tenorem quoad materialia integrum redderemus. Praeterea documenta plena hac in collectione edita num antea iam typis exscripta essent ubique referre cum operae pretium esse non videretur, huic rei eo minorem curam impendimus,

quo maiore librorum qui de singulis rebus agunt penuria premebamur.

Atque monumenta quidem hoc volumine aut descripta aut excerpta si cum iis quae ad superiora tempora pertinent contuleris, cum inscripta tum non solum latina sed etiam nostra oratione scripta invenies; unde factum est ut circiter trecenta diplomata, quae XXVI annorum, MCCLXXXVIII—MCCCXIII, quibus Mangoldus neuenburgensis et Andreas gundelfingensis episcopi rebus wirziburgensibus praecerant, spatium complectuntur, hoc volumine ederentur.

Monachii, pridie kalendas novembres, MDCCCLXVI.

Monumenta

episcopatus wirziburgensis.

I.

1288, die 23. februarii.

Manegoldus dei gratia electus et confirmatus herbipolensis ecclesiae religiosis viris priori et fratribus ordinis sancti Augustini herbipolensis capellam sancti Georii cum mansionibus inferioribus et domo adjacente contigua necnon inclusorium cum omnibus suis pertinenciis de consensu et voluntate honorabilium virorum abbatis et conventus sancti Stephani, ad quos eiusdem capellae ius patronatus pertinere dinoscitur, accedente etiam consensu et favore decani et capituli herbipolensis, ob reverentiam et honorem omnipotentis dei et beati Augustini sub cuius regula militant pro amplianda habitatione donat et concedit pleno iure proprietatis et possessionis libere et absolute, salvis tamen quibusdam bonis praefatae capellae attinentibus, videlicet duabus domibus in platea leonis apud praedicatores, instita quadam in foro solvente sexaginta denarios singulis annis, tribus jugeribus in monte Gleseberg in loco qui nuncupatur Judembuhel, item duobus jugeribus cum dimidio inme obernbogen solventibus singulis annis viginti denarios, et pomerio in Rode quod solvit octo denarios, quae quidem bona cedente vel decedente capellario qui nunc habet capellam praefatam ad abbatem et conventum monasterii sancti Stephani integro proprietatis et possessionis iure libere devolventur.

Acta sunt haec anno domini millesimo CCLXXX octavo, feria secunda post dominicam qua cantatur reminiscere, electionis et confirmationis anno primo.

Sigilla Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis necnon abbatis et conventus s. Stephani ex hac carta filis sericis flavi et rubri colorum suspensa sunt.

II.

1288, die 9. martii.

Manegoldo ecclesiae wirziburgensis electo et confirmato consentiente monasterium s. Stephani herbipolensis bona sua in villa Huchelheim, pacto ea infra quadriennium reemendi adjecto, magistro Gregorio archidiacono wirziburgensi vendit.

In nomine domini amen.

Contentionis prestat materiam ignorantia rei geste. Vnde multis occurritur periculis vtiliter et prudenter, quociens presentis etatis actus et negocia scripture testimonijs perhennantur.

Eapropter nos Hermannus dei gracia abbas et conuentus monasterij sancti Stephani herbipolensis ordinis sancti Benedicti constare volumus vniuersis presentium inspectoribus tam presentibus quam futuris, quod — cum monasterium nostrum propter grauia debitorum onera et dampna non modica que per vsurarum voraginem ex ipsis debitis prouenerunt adeo in temporalibus sit collapsum, quod nisi sibi celeri remedio succurratur dampna irrecuperabilia sustinebit — volentes indempnitati dicti nostri monasterij precauere, cum dampna et debita predicta de bonis mobilibus aut se mouentibus ipsius monasterij solui non possint, deliberatione prehabita, post tractatus diuersos super huiusmodi solutione debitorum inter nos habitos placuit vniuersis et singulis de collegio nostro, per alienationem rerum immobilium indempnitati predicti nostri monasterij prouidere, cum talem alienationem non sit dubium nobis et nostro monasterio profuturam.

Propter quod attendentes necessitatem eris alieni ac debitum vrgens, inspecta eciam vtilitate monasterij supradicti, interueniente omnium et singulorum de nostro collegio voluntate expressa pariter et consensu, accedente nichilominus voluntate et consensu venerabilis patris et domini Manegoldi herbipolensis ecclesie electi et confirmati, bona nostra in villa Huchelheim, soluentia singulis

annis triginta maldra siliginis, quinque libras hallensium, quatuordecim pullos, tres anseres. ventrem agninum in pascha, et dimidiam carratam vini. saluo plus vel minus aliquando, cum agris domibus areis pratis pascuis ortis siluis vineis decimis alijsque iuribus et pertinentijs suis quocumque nomine censeantur, vendimus honorabili viro magistro Gregorio domini pape capellano et archidyacono herbipolensi pro precio centum viginti quinque librarum hallensium, quod quidem precium confitemur nos habuisse recepisse et in vsus ac vtilitatem nostri monasterij necessarios et vtiles conuertisse, renuntiantes exceptioni non numerate non solute non habite pecunie, exceptioni doli et in factum, restitutioni in integrum, et omni iuris auxilio tam canonici quam ciuilis. ipsumque magistrum Gregorium in possessionem dictorum bonorum omnium et singulorum et pertinentiarum eorundem inducimus corporalem, et eundem magistrum Gregorium predicta bona omnia et singula pleno et integro proprietatis et possessionis iure constituimus possidere, in ipsum prefata bona eo iure quo ad nos pertinent cum pleno rerum dominio transferendo.

De euictione quoque bonorum superius expressorum nos et nostrum monasterium secundum ius et bonam terre consuetudinem presentibus obligamus, volentes et consentientes vt prefatus magister Gregorius supradicta bona in quascumque personas ecclesiasticas vel mundanas in vita vel in morte quocumque titulo gratuito vel non gratuito transferendi liberam habeat potestatem, eo saluo quod licitum sit nobis de gracia speciali sepedicta bona reemere infra quatuor annos continuos a festo kathedre sancti Petri nuper preterito numerandos pro centum viginti quinque librarum hallensium precio supra dicto, ita tamen quod eadem summa hallensium sub eodem valore bonitate et estimatione soluatur et restituatur quo moneta denariorum hallensium huius contractus tempore communi estimacione valebat, si eandem monetam contingat minui vel mutari.

Vt autem contractus venditionis huiusmodi de consensu venerabilis patris electi et confirmati ecclesie herbipolensis facta omnibus patefiat, et robur obtineat firmitatis, nec vlla in posterum super eo questio vel dubietatis scrupulus oriatur, presentem paginam

exinde conscribi jussimus, et sigillorum nostrorum necnon reuerendi patris electi et confirmati ecclesie herbipolensis supradicti appensionibus fecimus conmuniri.

Actum et datum septimo idus marcij, anno domini M°. CC°. LXXXVIII°., presentibus domino Rudolfo scolastico, Hartmûdo priore, Heinrico quondam abbate, Alberto infirmario, Hartungo cellerario, Cûnrado hospitalario, Wolframo custode, Witechone, Goteboldo cantore, et Hermanno de Brende, confratribus nostris, magistro Alberto rectore scolarum, domino Cûnrado et Heinrico vicarijs in summo, Wielando et Hartmanno notarijs, Heinrico de Katzenstein scolare, Cristiano, et alijs clericis et laycis ad hoc vocatis et rogatis testibus fidedignis.

Sigillorum ex hoc documento filis linteis flavi coloris et rubri suspensorum ea Manegoldi electi herbipolensis et Hermanni abbatis s. Stephani integra restant, tertium magnam partem laesum est.

III.

1288, die 5. junii.

Eberlinus miles de Randersacker, Heinricus filius eiusdem, Tidericus filius quondam V̊lrici, et Eber filius Eber senioris militis ibidem, recognoscunt publice, quod duas decimas cum suis attinentiis, videlicet unam sitam in Buchele, et aliam sitam in Bibergowe, quas ad preces religiosorum virorum commendatoris et fratrum hospitalis sancti Johannis hierosolymitani domus herbipolensis a reverendo patre domino M(anegoldo) episcopo herbipolensi nomine eorundem receperunt feodali titulo, sibi non asscribunt, et nullum jus in eis penitus se habere finaliter protestantur, sed praedictos commendatorem et fratres easdem decimas recognoscunt possidere et usufructum earundem qualemcunque tollere et percipere debere, volentes tantum ipsum jus feodi portare et servare eisdem absque damno eorundem tam diu donec ipsas

decimas titulo proprietatis valeant possidere, ad cuius feodi resignationem se obligant et fide data resignare promittunt et exnunc prout extunc resignant ipsum jus feodi quandocunque a commendatore et fratribu spraedicte domus fuerint requisiti, renuntiantes expresse exnunc omni auxilio tam juris canonici quam civilis per quod dicta domus aut fratres eiusdem in ipsis decimis ratione feodi possint aliqualiter impediri.

Actum et datum anno domini millessimo CC°·LXXX°· octauo, in die sancti Bonifatii et sociorum ejus.

Sigillorum trium ex hac carta filis sericis flavi coloris et rubri quondam suspensorum ne ullum quidem superest.

Documentum hanc cartam spectans, datum die 5 mensis januarii anni 1290, infra sub. num. X pag. 15—17 edemus.

IV.

1288, die 20. junii.

Magister Hermannus una cum Kunegunde sua censum annuum ac hereditarium de domo et horto herbido in vico s. Afrae sitis provenientem altari beatae Mariae herbipolensi confert.

Omnis qui domum aut agrum et huiusmodi sibi comodata sponte reliquerit centuplum accipiet et uitam eternam cum domino possidebit.

Qvo tactus eulogyo magister Hermannus et sua Kunegundis, presentium exhibitores, habentes in vico sancte Afre domum et ortum herbidum sibi ad censum annuum ac hereditarium attinentem, pari pietate mutua voluntate viui et defuncti eiusdem census beatam Mariam et ministrum altaris eiusdem indotati absidis monasterij summi herbipolensis participes et consortes assumunt eligunt et asscribunt, ut cultus diuinus ibidem in missa pro defunctis saltem semel in ebdomada memorialiter aucmentetur, et ut ipse minister altaris comodius sustentetur.

Censum istum dispertitum, videlicet decem solidorum usualis monete et octo pullorum vascanialium, Bernhardus et vxor eius

Gůta possesseres et eorum heredes in beati Johannis baptiste solsequio iamdictis consortibus dimidium, alteram uero partem sancti Martini festo ipsis legantibus uiuentibus annis singulis presentabunt, quibus defunctis prefatus census decetero conuertetur ad consortes antedictos integre indiuisus, nequaquam vendendus nec minuendus nec alienandus nec in quidquam aliud conmutandus.

Siquis hiis contrarium fecerit aut facere presumpserit, Jude traditoris Dathan indigni presumptoris supplicia non euadat, exprobrandus tamquam seruus ille nequam, tollens quod non posuit, metens id quod minime seminauit.

Verum quia pauci salutis curant discrimina dum modo sua consequantur desideria, multa quoque fiunt cottidie que posse fieri negabantur, contra omnem huius donationis et legationis alterationem sigillo autentico venerabilis domini Manegoldi episcopi herbipolensis duplicata hec pagina est munita. Cuius etiam auctoritate et legantium voluntate, siquid a quocumque extra formam prescriptam attemptatum seu factum fortasse fuerit, prelibati possessores censum debitum tamdiu detinebunt quousque talis iniquitas retractetur.

Testes sunt Petrus sacerdos minister altaris, Gernodus subcustos, Hermannus de Crutheim vicarius magnus, Heinricus de Vffingen sacerdos, magister Johannes canonicus noui monasterij notarius, et quamplures.

Acta sunt hec anno domini M.CC.LXXX. octauo, in vigilia sancti Albani martiris gloriosi.

Ex utroque hujus cartae exemplari singula Manegoldi episcopi sigilla filis linteis rubri et viridis colorum suspensa sunt.

V.

1288, die 1 julii.

Wylandus, notarius domini Rudolfi decani maioris ecclesiae herbipolensis, sanus mente et debilis corpore existens, ultimam

volens condere voluntatem nomine testamenti ordinat et statuit, ut dominis suis canonicis et capitulo maioris ecclesiae herbipolensis XV^{cim} librae denariorum pro se assignentur, quas forte non salva conscientia de bonis eorum timet recepisse. Item ad novam capellam beatae virginis cuilibet sacerdoti vel fratri detur solidus denariorum, ut ipsius me*(moriam)* habeant. Item ad capellam sanctae Margaretae in curia domini sui praedicti dentur tres librae denariorum, cum quibus emantur redditus pro lumine perpetuo comparando. I*(tem ad capellam)* beatae virginis in summo dentur duae librae denariorum pro ornatu necessario comparando. Item ad altare sancti Petri ibidem dentur XXX solidi denariorum pro ornatu*(necessario com)*parando. Item in honore beati Johannis evangelistae ubi fidecommissariis videbitur expedire detur libra denariorum pro ornatu necessario comparando.

Acta sunt haec anno domini M^{o}·CC^{o}·LXXXVIII°., kalendas julii.

Sigilla tria ex hoc testamento fasciis membranaceis suspensa sunt. Ea officialis curiae herbipolensis et praepositi onolsbacensis supersunt, illud Wylandi notarii periit.

Quae litteris quas dicunt cursivas imprimi jussimus in dextero documenti margine per mures magnam partem corroso scripta fuisse opinamur.

VI.

1289, die 5. maji.

Ecclesiae herbipolensis capitulum 176 libris hallensium nomine decimae terrae sanctae subsidio deputatae solutis ab excommunicationis sententiis liberatur.

Theodericus prior ecclesie sancti Andree vrbeuetanensis, domini pape capellanus, collector decime vicesime redemptionis uotorum et crucis legatorum et obuentionis cuiuslibet terre sancte

deputatorum subsidio in treuerensi maguntinensi coloniensi bremensi et magdeburgensi prouincijs ac in diocesi caminensi necnon censuum prouentuum reddituum et aliorum jurium romane ecclesie in partibus Alamanie debitorum per sedem apostolicam deputatus, venerabilibus et prudentibus viris dominis .. preposito decano et capitulo herbipolensis ecclesie salutem in domino.

Per prudentes et discretos viros fratrem Herricum dictum Vocto ordinis beate Marie domus Theotonicorum de Mergeltehim et Gerungum familiarem discreti viri domini Alberti de Leonstein predicte ecclesie scolastici, procuratores uestros, extitit propositum coram nobis, quod uos — dubitantes exconmunicationis sententias incidisse pro eo quod decimam terre sancte subsidio deputatam non solueratis temporibus constitutis — deputastis eosdem ad soluendum nobis pro dicta decima centum septuaginta sex libras hallensium, ut possitis absolutionis et dispensationis benefitium obtinere. Quiquidem mandatum uestrum adimplere uolentes a nobis humiliter petierunt, nobis dictam pecuniam exsoluentes, quod uobis dignaremur absolutionis benefitium impertiri, et siquam irregularitatem contraxissetis deberemus uobiscum misericorditer dispensare.

Nos itaque, recepto ab eisdem procuratoribus iuramento in animas uestras de parendo mandatis ecclesie atque nostris super exconmunicatione predicta et de prestanda emenda ad beneplacitum sedis apostolice atque nostrum, uos a predictis exconmunicationum sentencijs in personis eorundem procuratorum auctoritate qua fungimur in hac parte duximus absoluendos, uobiscum super irregularitate siquam contraxistis dictis ligati sentencijs diuina offitia celebrando uel uos inmiscendo eisdem misericorditer dispensantes, dum modo de decima integraliter satisfeceritis prelibata, cum nostre intentionis non sit uos aliter absoluere seu uobiscum quomodolibet dispensare.

Datum Spire, III. nonas maij, anno domini M°·CC°·LXXX°·IX°.

Sigillum Theoderici praedicti ex his litteris suspensum in circumferentia praesertim inferiore laesum est.

VII.

1289, 10. juni.

Einigung des Bischofes Manegolt und der Herren von den Stiften mit der Bürgerschaft von Wirzburg, welche den Hof zu Grindelach gebrochen, über ihre althergebrachten Rechte und gegenseitige Hilfeleistung zur Schlichtung künftiger Streitigkeiten.

Wir Manegolt [1]) von gots gnaden bischof zu Wirceburg [2]) tun kunt allen den die disen brief sehen lesen oder horen, daz die geschiht vnd der krieg der zuschen vnsern capitteln vnd vnsern burgern arm vnde richen was mit guetem rate des aptes Winriches von Eberach, des edeln mannes ern Kraftes von Hohinloch [3]), bruder Helwiges des conmendurs von me spitale, bruder Volklines [4]) des Conmendurs von me tutschen hus [5]), vnde ouch etteslicher vnser dienstmanne rate gescheiden vnde uerrichtet ist alse hie nach gesriben stat.

Die vor genanten burger arm vnde riche bekennen an disem brieue, daz wir alle vnser reht vnde vnser gerichte haben suln als sie her von alder kumen sint. Vnde bekennen ouch, daz vnser herren von den stiften ir reht haben suln als sie von alder her kumen sint.

So bekenne wir bischof Manegolt mit den selben herren von den stiften, daz die burger von Wirceburg [2]) arm vnde riche ir reht haben suln als sie von alder her kumen sint.

Vnd daz daz stete blibe, des han wir mit der burger willen drizec burger genumen, daz ist Heinrich von me Rebestocke, Heinrich Weibeler [6]), Heinrich von Bleichvelt, Johan

[1]) In altero harum litterarum exemplari, cujus lectiones varias in sequentibus sub lit. B. annotamus, legimus *Mangolt.* [2]) B: *Wirzeburg.* [3]) B: *Hohenloch.* [4]) B: *Volkelines.* [5]) B: *tuschen huse.* [6]) B: *Weibelere.*

von me Stern, Fritze Gir, Fusselin, Erkinbolt[1]) sin bruder, Volcnant ern Peters sun, Engelhart von Rotenburg, Dietherich[2]) Maler, Godfrid[3]) von Houge, Fritze Wilmůt[4]), Conrad[5]) von der Helle, Herbort Houbern, Conrad[5]) Buzzigel, Wolfmar Ciechelin[6]), Gunther Scholle, Ottho[7]) Muncer, Engelin[8]) von Hepphenheim, Reinwart, Heinrich Virnekorn, Apele von Wigenheim, Sifrid von me Rebestocke, Heinrich Wilmůt[4]), Johan Hane, Heinrich Zan, Ekelin[9]) von Hedenheim, Conrad[10]) Weibeler, Ekelin Vrezzer[11]), Woluelin Walchun[12]), Ekehart[13]) der iunge Lebarte, Ortlieb, Marqwart[14]) von Tetilbach, Arnolt von me Nuwen Kelre, vnde Godfrit Hirz. Dar zu han wir genumen zwelue uz der gemeinde, daz ist Heinrich Houegreue[15]), Erkinbreht der smit, Scheller der kurdewenr[16]), Vbelin[17]) der vleishouwer, Gernot wolner, Kraft der lower, Ludewic Schudel, Diethart der semeler, Heinrich von Gemunden der fischer[18]), Apele Holzapphel, Hildebrant Gruebe, Vlrich Winmezzer, vnde Heinrich der Lange salz kastener. Die drizec vnd die zwelue han globet mit ir truwen, vnde hant des zu den heilegen gesworn, ob ieman vns vnsers rehtes oder vnsers gerichtes wider si, daz die selbin drizec vnd die zwelue vns gein deme beholfen sin ane geuerde daz vnser reht vnde vnser gerichte gevurdert werde.

Daz ouch furbaz kein krieg oder kein bruch zuschen vns vnde zuschen vnsern stiften vnde zuschen vnsern dienstmannen vnde zuschen vnsern burgern werde oder uf loufe, des han wir mit gůetem rate genumen sches herren von den stiften[19]), daz ist Al-

[1]) B: *Erkenbolt.* [2]) B: *Diethrich.* [3]) B: *Godfrit.* [4]) B: *Willemůt.* [5]) B: *Cůnrad.* [6]) B: *Ziechelin.* [7]) B: *Otto.* [8]) B: *Engelin.* [9]) B: *Eckelin.* [10]) B: *Cůnrat.* [11]) B: *Eckelin Frezzer.* [12]) B: *Wolvelin Walkun.* [13]) B: *Eckehart.* [14]) B: *Marquart.* [15]) B: *hovegreue.* [16]) B: *kurdewener.* [17]) B: *Vbellin.* [18]) B: *Gemunde der vischer.* [19]) B: *mit gůtem rate sehs herren von den stiften genumen.*

breht der dechant von Houge, Walther der techant von me Nuwen Münster, Arnolt von Spiezesheim [1]) der kuster, Wernher von Tannenberg, Siboto von Walhusen, vnde Andres von Gundelvingen, die tůmherren; vnd han dar zu genumen sches burger [2]), daz ist Heinrich von me Rebestocke, Heinrich Weibeler [3]), Johan von me Stern [4]), Heinrich von Bleichvelt, Fritze Gir, vnde Johan Hane; also ob der kriege oder bruche [5]) keiner uf erste da von krieg oder bruchnisse furbas muge werden, daz die zwelue varn uf vnsern sal oder in einen hof als sie zu rate werden, vnd da dri tage bi ein ander [6]) sin, vnd des nachtes wider heim varn ob siz vor niht verrichten. Vnde nach den drin tagen suln sie niht von deme sal oder vz deme houe kumen, sin haben den bruch oder den krieg verrichtet nach minnen oder nach rechte. Ist daz daz sie sich niht vereinen mugen, so suln sie kiesen einen mittelman, der sol der minnen vnd des rechten [7]) gewaldic sin. Aber der zweluer vnd des mittelmannes gewalt nach minnen oder nach rehte sol vns niht schaden an vnserm gerichte. Geschihet aber daz daz der zweluer keiner abe ge von tode oder von anderm redelichem gebresten, an swederm teile der abe ge, die vbirgen vůnve an deme selben teile suln zuhant ein andern an des stat setzen.

Dise vorgenante rede sol wern die wil wir bischof Manegolt leben.

Daz aber die dinc die da vor gesriben sint volle vueret mugen werden, vnd daz wir deste baz beide [8]) der stat zu Wirceburg vnd deme lande den vride gevurdern mugen, so sint die burger zu rate worden, daz sie ros vnde phert vnde ander wer uf sich vnd uf die gemeinde setzen wollen, ie dem man nach sinen staten, als ez in vrumelich si vnd vns erlich, vnd wollen da mite vns beholfen sin zu vnserm rehte. So spreche wir ouch vnde globen, daz wir in beholfen wollen sin zu irme rehte beide armen vnde richen. Doch der satz vmme die ros sol were nu von sante

[1]) B: *Spiezzesheim.* [2]) B: *genumen sehs burgere.* [3]) B: *Weibelere.* [4]) B: *Sterne.* [5]) B: *oder der bruche.* [6]) B: *bi an ander.* [7]) B: *rehtes.* [8]) B: *beidu.*

Mertines tage vber zwei iar. Sehe wir aber vnd die burger daz wir des satzes langer bedurfen vnd der wer, so mache wir danne mit ir rate den satz aber langer.

Daz die vorgenanten dinc vnd die rede die dar vber gesriben sint stete bliben vnd vncerbrochen, des verbinde wir vns vnde vnser stifte mit disem brieue. Daz wir daz allez stete halden, daz globe wir bischof Manegolt mit vnsern truwen an geuerde. So globe wir herrin von stiften [1]) ouch, daz selbe mit gueten truwen zehaldene, vnde han des zun heiligen gesworn. Dar nach wir burger beide arm vnde riche verbinden vns mit disem brieue, vnde globen mit gueten truwen an geuerde, daz wir stete halden vnde vncerbrochen alle die dinc vnd die rede die da vor gesriben sint, vnde han des zu den heiligen gesworn beide arm vnde riche.

Daz ouch alle die dinc vnd die wort die da vor benant vnde gesriben sint beider sit vnuerwandelt [2]) vnd vncerbrochen suln bliben, des han wir bischof Manegolt vnser jnsigel [3]) zu einr vestenunge vber die selben dinc vnde wort an dise hantuesten heizen geleit. Also han ouch wir herrin von den stiften vnser capitele jnsigele [3]), vnde wir burger der stete jnsigel [3]) zu eime gezucnisse vnde zu vrkunde aller der dinge die da oben sin gesriben an dise hantuesten gehenket.

Die selbe hantuesten wart gesriben vnde geben nach vnsers herrin geburte tusent iar zwei hundert iar vnde nůn vnd achzic iar, an deme nehestem vritage vor sente Vits tage, in dem andern iare als wir bischof wrden.

Dar vber wir vorgenanten herren von den stiften veriehen vnde bekennen an disem brieue den vorgenanten burgern einer gancen sůne vmme den hof zu Grindelach der da zebrochen [4]) wart.

[1]) B: *wir herren von den stiften.* [2]) B: *vnuerwaldelt* [3]) B: *jnsingel.* [4]) B: *gancen sůn vmbe den hof ze Grindelach der zerbrochen.*

Ex utroque hujus documenti exemplari singula sigilla Manegoldi episcopi, capituli majoris ecclesiae herbipolensis, ecclesiae sancti Johannis in Hauge,

ecclesiae nòvi monasterii herbipolensis, civitatis wirzihurgensis — ex altero filis sericis flavi rubri et viridis colorum, ex altero fasciis membranaceis — suspensa sunt.

VIII.

1289, die 25. novembris.

Consentientibus Manegoldo episcopo et ecclesiae herbipolensis capitulo universitas judaeorum wirziburgensium redditus quosdam Wolvelino dicto Rufo, pacto eos reemendi adjecto, vendit.

Nos Kobelinus, Lyebentrvet, Selic, Makele, Daniel, Josebel, Lyeberman, Salman, Ysaac, Jacob, Minneman, Schoneman, et vniuersitas judeorum herbipolensium tenore presencium notum facimus vniuersis presentibus et futuris, quod de bona uoluntate venerabilis patris dominj nostri Manegoldi herbipolensis episcopi suique capituli vendidimus tradidimus et hiis inscriptis vendimus et tradimus pro euidenti necessitate nostra Woluelino dicto Rufo ciui herbipolensi et omnibus in quos transtulerit uel quibus dari iusserit redditus triginta librarum hallensium, quolibet anno in die beati Martini persoluendos, pro precio trecentarum librarum hallensium, de quo precio nobis est integraliter ab ipso satisfactum.

In quo si negligentes fuerimus, predictus dominus noster episcopus, vel eius successor si decesserit, uel eciam capitulum si sedes vacauerit, nuncium deputabunt Kobelino qui iam magister noster est, uel illi qui sibi successerit si decesserit, qui in platea nostra de qualibet domo pignora sufficientia accipiant, ita quod predicto Woluelino aut suis successoribus de predictis redditibus infra octauam eiusdem festi plenarie satisfiat.

Ad quorum reddituum solucionem nos prefati duodecim insolidum tam nomine nostro quam nomine vniuersitatis nostre secundum formam premissam, insuper omnes successores nostros qui in ciui-

tate herbipolensi in posterum residenciam fecerint, presentibus obligamus. Preterea si aliquis ex nobis duodecim decesserit, uel a ciuitate herbipolensi recesserit, superstites ex nobis alium uel alios loco illius qui cessit uel recessit substituent infra dies quatuordecim tunc proximos, quem prefatus Woluelinus uel eius successores duxerint acceptandum, aut extunc moniti in scolis nostris se recipient tamdiu fideiussorie expensas faciendo donec huiusmodi substitucio fuerit adinpleta. Et ad ista nos duodecim specialiter obligamus.

Postquam autem huiusmodi redditus dederimus et soluerimus per decem annos exnunc subsequentes, extunc licitum est nobis eosdem redditus infra annum tunc sequentem reemere pro precio supradicto. In qua reempcione si illo anno negligentes fuerimus, extunc ipsa reempcio nobis non conpetit, sed extunc nos et omnes nostri successores tenemur ad solucionem predictorum reddituum quolibet anno secundum formam que superius est expressa.

In quorum omnium et singulorum testimonium presens littera est conscripta sub diuisione cyrographi, et sigillorum — videlicet predicti dominj nostri episcopi, capituli sui, et ciuium herbipolensium — ad peticionem nostram muniminibus roborata.

Datum anno dominj M.CC.LXXX nono, in die beate Katherine virginis, pontificatus sepefati dominj nostri episcopi anno secundo.

Sigillorum trium ex his litteris — in quarum parte superiore capita vocabuli „cyrographum“ in medio divisi apparent — fasciis membranaceis suspensorum illud Manegoldi episcopi paene omnino decidit.

IX.

1290, die 1. januarii.

Manegoldus dei gratia herbipolensis episcopus et Gregorius domini papae capellanus praepositus novi monasterii herbipolensis recognoscunt et protestantur, quod de trecentis

et XXX et sex libris hallensium, quas commendator et fratres domus hospitalis s. Johannis in Herbipoli in argento et auro tenebantur solvere quondam domino Alberto de Talheim decano ecclesiae herbipolensis, cujus fidecommissarii existunt, receperunt ducentas libras hallensium in pecunia numerata, de quibus eosdem commendatorem et fratres absolvunt in his scriptis, remittentes eisdem residuam partem debitorum in remedium animae domini decani et etiam pro elemosina quam idem decanus dictis hospitalariis pro receptione fratris Ruckeri de Talheim nepotis sui tradere intendebat, et sic de tota summa principali eos absolvunt et absolutos dicunt et vocant.

Actum anno domini MCCLXXXX, in circumcisione domini.

Sigilla Manegoldi et Gregorii praedictorum fasciis membranaceis suspensa sunt.

X.

1290, die 5. januarii.

Manegoldus episcopus domui hospitali s. Johannis herbipolensi decimas et bona in Bibergov Buchel et Wilbrachteshusen sita a feodi nexu liberata donat, pro quibus ei milites quidam de Randersacker bona proprietaria inter Randersacker et Isolvestat sita resignant et titulo feodali possidenda recipiunt.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum tenore litterarum notum facimus inspectoribus vniuersis, quod Eberlinus miles de Randersacker, Heinricus filius suus, Teodericus filius quondam Virici fratris sui, et Eber filius quondam Eber militis ibidem, in nostra constituti presentia, dederunt donauerunt et tradiderunt pro remedio animarum suarum inter viuos animo non renocandi deuotis in Christo . . commendatori et fratribus domus hospitalis sancti Johannis in Herbipoli duas partes decimarum

sitarum in villa et marchia Bibergov[1]), et vnam decimam sitam in villa et marchia Buchel[2]), cum omnibus juribus et pertinentijs earundem, quas quidem decimas a nobis et a nostra ecclesia in feodo habuerunt; item vendiderunt et tradiderunt predictis fratribus pro certa pecunie quantitate bona sita in villa et marchia Buchel, empta a . . quondam dicto Bambast[3]) pro XVII[tem] libris hallensium, et quedam[4]) alia bona sita in villa et marchia Wilbrachteshusen[5]), que quondam erant Teoderici de Appels, et que in valore ad LXX[a] V[que] libras hallensium estimantur, que quidem bona a nobis et a nostra ecclesia in feodo similiter habuerunt; petentes ut proprietatem ipsarum decimarum et bonorum predictorum prenotatis fratribus conferre et donare dignaremur.

Et in restaurum decimarum et bonorum eorundem Eberlinus miles Heinricus Teodericus et Eber supradicti nobis et ecclesie nostre ducenta jugera campestria sita inter Randersacker et Isoluestat[6]), que proprietatis titulo possederunt, resignauerunt de consensu et voluntate omnium heredum suorum et aliorum quorum intererat, recipientes eadem jugera a nobis et ecclesia nostra feodali titulo possidenda, que quidem jugera ad valorem quadringintarum librarum hallensium estimantur.

Nos itaque peticionem huiusmodi nobis exhibitam piam et racionabilem estimamus. Considerantes etiam quod decimarum et bonorum premissorum donatio sine nostro et ecclesie nostre preiuditio fieri poterit et iactura, presertim cum ipsa ecclesia nostra ex bonorum aliorum equiualentium immo multo meliorum proprietate indempnis utique conseruetur, prefatas decimas et bona predicta in hijs scriptis damus donamus et tradimus cum omnibus suis juribus et pertinentijs quibuscumque fratribus prenotatis, proprietatem ipsarum decimarum et

[1]) In altero hujus contractus documento „anno domini m°· co°· lxxxx°· in cyrcumcisione domini" dato legimus: *marchya Byrbergov* (inferius: *Bybergov*) *que empte fuerunt pro centum et septuaginta quinque libris hallensium.* [2]) B: *decimam in Buchel, que empta fuit pro sexaginta libris hallensium.* [3]) B: *Bambasch.* [4]) B: *et tria.* [5]) B: *Wylbratthezhusen.* [6]) B: *Isoluestath.*

bonorum predictorum in eosdem fratres eorumque successores ac in predictam domum eorumdem liberaliter transferentes.

Et vt hec nostra donatio inviolabilis obseruetur, presentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas.

Actum et datum anno dominj M°·CC°·LXXXX°·, nonas januarij, pontificatus nostri anno secundo.

Utrumque hujus contractus documentum singulis sigillis Manegoldi episcopi quondam filis sericis flavi coloris suspensis caret.

Documentum hanc cartam spectans, datum die 5 mensis junii anni 1288, supra sub num. III. pag. 4 et 5 edidimus.

XI.

1290, die 21. januarii.

Sententia appellationis lata in causa de quibusdam bonis et pensione annua vicariam sancti Galli spectantibus in villa et marcha Rotendorf sitis exorta.

Nos Fridericus de Kregelingen scolasticus ecclesie sancti Johannis in Hauge, judex in causa appellacionis a sede apostolica delegatus, harum tenore litterarum notum facimus vniuersis, quod super illa questione et discordia que vertebatur inter dominum Nycolaum capellanum sancti Galli ex vna et Bertoldum scultetum de Rotendorf ex parte altera pro quibusdam bonis et pensione annua ad vicariam sancti Galli spectantibus sitis in villa et in marcha Rotendorf, que bona in sententia pro ipso domino Nicolao sufficienter sunt specificata, et etiam infra sunt scripta, a qua sententia idem Bertoldus ad sedem apostolicam appellauit, et nos judicem in ea optinuit, conpromissio hincinde a partibus per modum arbitrij facta exstitit in hunc modum: ex parte vero sepedicti dominj Nicolaj in honorabiles viros dominum Hermannum de Liebesberg et in dominum Adolfum de Dassel canonicos herbipolenses, ex parte vero supradicti scultetj in

dominum Gernodum cantorem concanonicum nostrum et in Walterum de Rotendorf fratrem ipsius sculteti, addito si iam dicti arbitri concordare non possent quod nos tamquam media persona arbiter arbitrator et amicabilis conpositor decidendj ipsam questionem haberemus plenariam potestatem sub pena infra scripta.

Cumque prefati arbitri discordarent, nos Christi nomine inuocato sepedictam causam tamquam arbiter arbitrator et amicabilis conpositor decidimus secundum formam nobis a partibus traditam, et pronunciamus arbitrando diffiniendo et amicabiliter conponendo, quod sepedictus scultetus dare debet supradicto domino Nicolao pro messe transacta octo maldra siliginis, in messe nunc proxima decem maldra siliginis, et in messe tunc proxima subsequente duodecim maldra siliginis, et postea in messe tunc subintrante quatuordecim maldra siliginis, et extunc quolibet anno tempore messium quatuordecim maldra siliginis quoaduixerit idem scultetus nomine annue pensionis. Idem etiam scultetus sepedicta bona singulis annis dilienter colere debet, et cum straminibus que habere potuerit de ipsis bonis ipsa bona pastinare et stercorare aliquatinus non obmittet. Preterea damus ipsi sculteto potestatêm resignandi ipsa bona, si tamen voluerit et sibi videbitur expedire. Eo autem defuncto heredes sui nichil habent iuris in ipsis bonis, nisi de gratia sepefati domini Nicolaj uel eius successorum possit et valeat obtinere. Quibus eciam successoribus premissa omnia debent inuiolabiliter obseruari.

Et ad obseruanciam huiusmodi nostri arbitrij partes hincinde se obligauerunt per sollempnem stipulacionem, et sub pena quadraginta librarum hallensium, quam penam pars illa que contra nostrum arbitrium venire presumpserit soluet parti arbitrium obseruanti. Pro qua pena soluenda partes hincinde fideiussores dederunt, dominus Nicolaus videlicet pro se dominum Adolfum de Dassel canonicum herbipolensem, scultetus vero pro se Gernodum cantorem ecclesie nostre, qui eciam fideiussores pro huiusmodi pena se fideiussorie obligauerunt.

Hec sunt bona de quibus questio fuit: vna area apud cimiterium in villa Rotendorf, quatuor agri campestres retro cimiterium

apud agros Halsbrunnen, item vnus ager ex alia parte pontis iuxta agros dominorum de Hauge, item ager cum dimidio apud agros Gotfridi de Meningen[1]), item due virge apud Rasbach, item quatuor agri in Kazenberge, item quinque agri apud Grunstat, item ibidem ager cum dimidio, item ager cum dimidio apud plebanum herbipolensem, item duo agri ibidem, item ager cum dimidio super Grunstat, item ager ante Spreite, item quatuor agri ibidem, item quatuor in Greize apud bona de Welderiet, item ager Kutenbrunnen apud illos de Welderiet[2]), item ager cum dimidio prati apud Sibrestesbrunnen, item duo agri super Kumplel, item duo agri in Swarzwege, item ager apud Fronhoue, item duo apud Hereswerze,*) item due virge ante Mulberge, item ager apud Reit, item duo jugera cum dimidio vineti in Mulberge, item tria quartalia apud villam, item duo agri apud Kurnherberge[3]), item ager apud Uulze, item duo versus Dribuch, item sex versus Rode, item sex versus Brunscheit, item duo versus Swarzach, item apud Winterliten duo, item tres apud Dietherstal[4]), item tres in Sperwestal, item duo apud Vronholdenboume, item duo cum dimidio retro Graze, item duo ante Graz, item duo in Mulwege, item duo versus villam, item Holwege duo, item apud Vronhoue vnum, item duo apud vineam Selpharj, item tria quartalia versus Collem[5]), item duo in Rossehart, item in Kizingerwege[6]) vnum, item iuger cum dimidio vineti in Gern, item agri cum dimidio in Mulberge, item vnum quartale in Winterliten.

Partes etiam expresse renunciauerunt hincinde omnibus litteris sibi competentibus pro iure suo et etiam instrumentis.

In cuius rei testimonium sigillum venerabilis domini Manegoldi episcopi herbipolensis et sigillum domini Lupoldi de Wiltingen[7]) nostre ecclesie prepositi vna cum sigillo nostro presentibus sunt appensa.

[1]) In altero hujus sententiae documento legimus: *Meiningen.* [2]) B: *Weldriet.* *) B: *Herswerze.* [3]) B: *Kurnerberge.* [4]) B: *Dietherstal.* [5]) B: *Collen.* [6]) B: *Kitzingerwege.* [7]) B: *Weltingen.*

Testes sunt: idem dominus Lu(poldus) de Wiltingen [1]) prepositus, Eberhardus de Tunnevelt maioris ecclesie canonicus, C. sacerdos vicarius noui monasterij filius Rufi ecclesiasticj, Karulus notarius predicti domini de Wiltingen [1]), Hartmudus dictus Setellin, C(onradus) Rufus ecclesiasticus, H. dictus Vnger frater predicti sculteti de Rotendorf, H. filius eiusdem, Ber(toldus), et alij quamplures fide dignj.

Actum anno domini M°. CC°. LXXX°. 10, in die sancte Agnetis.

[1]) B: *Weltingen.*

Ex utroque hujus documenti exemplarj sigilla trina praedicta fasciis membranaceis suspensa sunt.

XII.

1290, die 25. januarii.

Ecclesia herbipolensis monasterio eberacensi ecclesiam parrochialem in Burgeberach, possessionibus aliis in recompensationem acceptis, confert.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis inspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis, quod nos — dilectorum in Christo . . abbatis et conuentus monasterij eberacensis ordinis cysterciensis nostre dyocesis deuotionem qua domino deo iugiter famulantur toto cordis desiderio respicere cupientes — eisdem parrochialem ecclesiam in Burgeberach, cuius ius patronatus hactenus ad nos spectabat, et in cuius possessione uel quasi nos et predecessores nostri longis retroactis temporibus dinoscimur extitisse, cum iurepatronatus ipsius ecclesie et decima seu decimis ad eam spectantibus propter deum et in nostre ac domini Bertholdi nostri predecessoris animarum remedium de consensu nostri capituli donamus et tradimus litteras per presentes, vt ea vacante

dictus conuentus redditus fructus et obuentiones qui de eadem ecclesia prouenerint possit sue mense usibus applicare, et ut abbas predictus ad ipsam ecclesiam vicarium videlicet secularem clericum in necessitatis tempore presentare teneatur, et eidem de prefatis fructibus talem prebendam de consilio archidyaconi loci assignare de qua idem hospitalitatem tenere et nobis nostris successoribus et eidem archidyacono de rationabilibus et consuetis ab antiquo iuribus ualeat respondere.

Recognoscimus etiam, quod — si abbatem et conuentum predictos contingat quascumque decimas infra limites memorate ecclesie constitutas a nobis in feodo procedentes, a quibuscumque feodotarijs eedem possideri dinoscuntur, et illos septem mansos sitos in Santpach cum suis attinentijs, qui a nobis in feodo procedunt, contingat comparare seu nomine testamenti siue doni uel quocumque alio modo acquirere — eisdem abbati et conuentuj ipsos mansos et decimas exnunc prout extunc in proprium donamus et tradimus, in ipsos abbatem et conuentum ac eorum monasterium eosdem mansos et decimas cum pleno rerum dominio transferentes, sic quod ipsi predecessoris et nobis mortuo nostrum anniuersarium peragere sollempniter debeant annuatim, et festum sancti Kyliani cum sua historia celebrare.

Sane ijdem abbas et conuentus — in affectu quo ipsos erga nos et nostram ecclesiam cum effectu feruere sensimus et sentimus inueniri non dedignantes — uillam Brapach cum vineis agris pratis campis siluis pascuis aquarum decursibus judicijs ac alijs iuribus ipsi attinentibus quesitis et inquirendis, et vniuersa bona et redditus quos ipsi in confinio Hasegouwe habuisse dinoscebantur, nobis et nostre ecclesie in proprium donauerunt iure proprietatis perpetim possidendos, et prelibatas vineas a quantitate trium karratarum preter duas vrnas vini que de eisdem vineis dominis de sancto Jacobo et de Turstat babenbergensibus annis singulis hucusque dari nomine census consueuit absoluere promiserunt.

Nosque in reconpensam absolutionis huiusmodi abbati et conuentuj predictis vini decimam in Gedemedon in proprium donamus et tradimus etiam iure proprietatis possidendam, successores nostros

ad obseruantiam donationum nostrarum premissarum de consensu et bona uoluntate supradicti capituli obligantes, renuntiantes in omnibus premissis tam nos predictus episcopus quam nostrum capitulum omni actionj que nobis competit et in futurum posset competere, et omni exceptioni per quam uel per quas contractus huiusmodi posset infirmari uel cassari.

Huius rei testes sunt: Heinricus de Wechmar prepositus maior. Simon de Slithese cantor [1]), Fridericus de Hohenburg [2]) portenarius, Arnoldus de Spezesheim custos [3]), Wernherus de Tannenberg cellerarius [4]), Andreas de Gundeluingen [5]) prepositus in Orengou [6]), Albertus de Lewenstein scolasticus, Arnoldus de Vssengheim [7]), Lupoldus de Wiltingin [8]) prepositus in Houge, Ludewicus de Hohenberg, Theodericus de Spezesheim, Sifridus de Wechmar, Godeboldus [9]) de Walehusen, Albertus de Talheim, et alij quam plures fide digni.

In horum euidentiam pleniorem sigillum nostrum et prefati capituli sigillum vna cum sigillo venerabilis domini Winrici abbatis eberacensis duximus presentibus apponenda.

Datum anno domini M°CC°. nonagesimo [10]), in conuersione sancti Pauli, pontificatus nostri tercio.

[1]) In altero hujus documenti exemplari, fortassis propter complures ejus mendas sigillis non munito, legimus: *Symon cantor.* [2]) B: *Hohenlug.* [3]) B: *Arnoldus custos.* [4]) B: *Wernherus cellerarius.* [5]) B: *Gundeluingin.* [6]) B: *Orengouwe.* [7]) B: *Vsingheim.* [8]) B: *Weltingen.* [9]) B: *Goteboldus*

[10]) Eodem anno Gerhardus archiepiscopus maguntinus monasterio eberacensi possessiones et jura ab ecclesia wirziburgensi regentibus Bertholdo nec non Manegoldo episcopis acquisita confirmavit. Documenti inde die 30 mensis julii dati, cujus utrumque exemplar singulis sigillis Gerhardi quondam filis sericis — ex altero viridis, ex altero flavi et rubri colorum — suspensis prorsus caret, tenor hic est:

Gerhardus dei gracia sancte maguntine sedis archiepiscopus, sacri imperij per Germaniam archicancellarius, dilectis in Christo . . abbati et conuentui monasterij eberacensis ordinis cisterciensis herbipolensis dyocesis salutem in domino.

Justis petencium desiderijs facilem nos decet prebere consensum, et vota que a racionis tramite non discordant effectu prosequente complere.

Cum igitur, sicut vestra nobis insinuacio patefecit, quondam strennuus vir Ludowicus de Windeheim laicus herbipolensis dyocesis castrum Windeheim cum villis iuribus possessionibus et alijs pertinencijs vniuersis castri eiusdem, que idem Ludowicus habuit in feodum ab herbipolensi ecclesia, bone memorie domini Bertoldi quondam episcopi herbipolensis ac capituli sui accedente consensu; ac idem dominus Bertoldus episcopus de consensu sui capituli bona in Herlheim, videlicet decimas mansos iudicia preter cruta siluam que dicitur Hornowe et theloneum, item castrum Spiezheim cum ortis alijs adiacentibus eidem, quatuor mansis et dimidio in superiori et inferiori villa, cum domibus pratis pascuis siluis et redditibus quinquaginta maldrorum auene cum alijs iuribus ibidem, item septem mansos et dimidium in villa Breitpach inferiori, preterea in eadem villa quartum dimidium mansum et cetera ibidem, que omnia descendebant in feodo ab episcopo, item omnia bona exempta ab eo iure quod vulgariter lantleite dicitur, item jus illud quod consistebat in eo videlicet quod .. episcopus ab hominibus aduenis vtriusque sexus vndecumque venirent habitantibus vel colentibus bona monasterij predicti nullam styuram precariam seu exaccionem requiret quamdiu inhabitant vel excolant bona ipsa; et postmodum venerabilis frater dominus Manegoldus herbipolensis episcopus similiter de consensu eiusdem sui capituli ecclesiam parrochialem in Burgeberah, cuius jus patronatus spectabat ad ipsum, cum ipso iure patronatus vobis donauerint, ac in vos et vestrum monasterium transtulerint liberaliter et libenter; idemque dominus Manegoldus de consensu capituli sui vobis concesserit, vt quascumque decimas infra limites memorate ecclesie constitutas, necnon decimam in Gedemen, necnon septem mansos sitos in Sampach, que omnia ab herbipolensi episcopo feodaliter deriuantur, possitis emere vel alio quouis modo licito acquirere, prout in litteris super eo confectis plenius continetur: nos vestris deuotis supplicacionibus fauorabiliter inclinati, super premissis omnibus consentimus et nostrum adhibemus consensum voluntarium et expressum, ac ea prout vobis prouide sunt donata, necnon omnia que ex donacione empcione remediorum nomine seu quocumque alio iusto titulo racionabiliter et pacifice possidetis, vobis in nomine domini auctoritate presencium confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus.

Datum apud nouam domum, III°. kalendas augusti, anno domini millesimo ducentesimo nonogesimo.

Sigilla tria praedicta ex hoc documento filis sericis flavi et rubri colorum suspensa sunt.

XIII.

1290, die 22. februarii.

Manegoldus episcopus praeposito decano totique capitulo ecclesiae herbipolensis, quo frequentius et commodius divinum officium in ecclesia sua exercere possint, donationem et concessionem per dominum quondam Bertholdum episcopum praedecessorem suum ipsis in ecclesia parrochiali in Eisleiben et in decimis ibidem et Eteleiben factas ratas et gratas habens confirmat, sic quod etiam ipsius anniversarium post ipsius mortem singulis annis solemniter peragant.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°·LXXXX°, in kathedra sancti Petri, pontificatus anno secundo.

Sigilli Manegoldi episcopi filis sericis flavi et rubri colorum suspensi nil nisi pars inferior restat.

XIV.

1290, die 12. martii.

Litterae cum de emancipando personas in scolis degentes tum de recipiendo in capitulum alios jam emancipatos per ecclesiae herbipolensis capitulum datae.

In nomine domini amen.

Nos Heinricus prepositus et capitulum maioris ecclesie herbipolensis notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod nos elegimus sex arbitros, videlicet Symonem de Slitese cantorem ecclesie nostre, Arnoldum de Spiezheim

custodem, Wer(n)herum de Tannenberg archidiaconum, Albertum de Lewenstein scolasticum et archidiaconum, Lupoldum de Wiltingen prepositum in Houge, et Gotboldum de Walhusen, quibus dedimus potestatem emancipandi de decem et septem qui sunt in scolis tredecim, aliis quatuor statuendi terminum ad ipsos emancipandum, prout eis uidebitur expedire. Insuper dedimus eis potestatem tredecim qui nunc sunt emancipati ad capitulum recipiendi.

Nos vero predicti arbitri habita super hoc deliberacione decreuimus fore emancipandos Theodericum de Hohenberg dictum Tvmherre, Goltstein, Ludewicum de Hesseburg, Hartmannum de Werdenberg, Cunradum de Rosseberg, Heinricum de Stahelberg, Rudegerum de Wechmar, Eberhardum de Tvndeuelt, Theodericum Buman de Hohenberg, Vlricum de Hohenstein, Gvnzelinum de Bichelingen, Reimbotonem de Nipperg, et Cunradum de Rienecke; aliis tribus — videlicet Gotfrido de Waldecke, Bertoldo de Grůmbach, et Alberto de Hurnheim — assignamus terminum duorum annorum spacium, videlicet de dominica in palmis proxima conputandos, quod ipso iure tunc sint de scolis emancipati; Cunradum vero de Brunecke a predicta dominica in palmis per annum ipso iure fore decreuimus emancipatum; ita sane quod omnes predicti emancipati legendo et cantando duobus annis subsequentibus suam personaliter faciant septimanam. Et si rogantur a dominis nostris legere uel cantare, uel regere chorum pro ipsis, hoc ipsi nullatenus denegabunt.

Preterea decreuimus tales ad capitulum recipiendos esse, videlicet Albertum de Wilenouwe, Wolframum de Grůmbach, Erkenbertum de Starkenberg, Fridericum de Stahelberg, Heinricum de Salecke, Heinricum de Rannenberg, Heinricum de Slitese, Gregorium, Cunradum de Nidecke, Phylippum de Tannenberg, Adolfum de Dahsele, Cunradum Blůmelin, et Heinricum de Hohenberg, ita sane quod ipsi quinque annis subsequentibus debent carere uoce capituli, quod nec contradicere nec consentire possint,

sed quidquid ordinabitur per capitulum debent modis omnibus ratum habere. Et se ad hoc sub ipsorum obedientia astringent. Nichilominus istam formam seruare prestabunt corporaliter sacramentum.

Dictum est eciam, quod venerabilis dominus noster episcopus Manegoldus infra annum aliquibus qui nunc emancipantur de quibus sibi uidebitur expedire debet assignare terminum secundum quod decreuerit ad quem ad capitulum recipiantur.

In cuius rei testimonium nos prepositus et capitulum, et nos arbitri supradicti sigilla nostra presentibus duximus apponenda.

Datum anno domini M°·CC°· nonagesimo, in dominica qua cantatur letare.

Sigillorum praedictorum ea capituli ecclesiae herbipolensis necnon Alberti et Lupoldi et Gotboldi arbitrorum fasciis membranaceis suspensa exstant.

XV.

1290, die 12. martii.

Ecclesia wirziburgensis commutationem praedii in Hergolshusen siti a feodi nexu liberati pro praedio in Garnstat sito ad coenobium coeliportanum pertinente et aliis bonis Volkeri et Heroldi fratrum de Bernrode proprietariis sibi in feodum resignatis confirmat.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis inspectoribus presencium constare volumus vniuersis presentibus et futuris, quod Volkerus de Bernrode — in nostri presencia publice se affirmans predium situm in Hergolshusen cum pertinenciis illius vniuersis quesitis et non quesitis, quod quidem predium ipse a nobis et ecclesia nostra in feodo possedisset, cum dilectis in Christo .. abbatissa et sanctimonialibus cenobij in Celiporta pro predio sito in

Garnstat [1]) ad ipsas . . abbatissam et sanctimoniales iure proprietatis pertinente permutasse, idemque predium in Garnstat in restaurum dicti predij in Hergolshusen nobis libere resignans — a nobis in feodum recepit tytulo feodi possidendum. Ad hoc eciam ipse Volkerus et Heroldus frater eius octo vinearum jugera ad ipsos iure proprietatis spectancia, quorum quatuor in marka aput Munstere et quatuor apud villam Bvheler sita sunt, nobis in recompensam predicti predij in Hergolshusen coadunata manu sponte resignantes, illa a nobis in feodvm receperunt iure feodi possidenda. Et nobis humiliter supplicarunt, vt ipsum predium in Hergolshusen cum pertinenciis suis . . abbatisse et sanctimonialibus prefatis donare de consensu nostri capituli curaremus.

Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, et considerantes ex ipsa permutacione bonorum ecclesie nostre condicionem fieri meliorem, cum illud predium in Garnstat et jugera predicta predium illud in Hergolshusen in valore longe prout in rei ueritate accepimus excellere dinoscantur, permutacionem eandem de ipso predio in Hergolshusen . . abbatisse et sanctimonialibus predictis per antedictum Volkerum factam de consensu nostri capituli ratam et gratam habemus, et ipsum predium in Hergolshusen predictis . . abbatisse et sanctimonialibus donamus in proprium tradimus et presentibus assignamus, successores nostros ad obseruanciam huius nostre ratihabicionis et donacionis nostre de consensu dicti capituli obligantes.

Huius donacionis testes sunt: nobilis vir Gotfridus de Brvnecke, Eckehardus dapifer noster, Heroldus de Oppherbein, milites, Cvnradus de Vtzingen, Cvnradus de Alnvelt, Iohannes et Iringus fratres dicti Kressen, Eberhardus de Burgmûre [2]), et plures alij fidedigni.

In quorum premissorum testimonium hoc scriptum . . abbatisse et sanctimonialibus sepedictis dedimus, nostro et eiusdem capituli sigillis euidencius communitum.

[1]) In altero hujus commutationis documento legimus: *Garnestat.*
[2]) B: *Burgmure.*

Datum Herbipoli, anno dominj M°·CC°· nonagesimo, in die Gregorij pape, pontificatus nostri anno secundo.

Ex utroque hujus commutationis documento singula Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis sigilla — ex altero filis sericis flavi et rubri colorum, ex altero fasciis membranaceis — suspensa sunt.

XVI.

1290, die 19. martii.

Hermannus senior comes de Hennenberch se bona in Loherit sita ab ecclesia herbipolensi titulo feodali sibi concessa Bertoldo Preloni, aliis bonis ab ipso substitutis, in proprium tradidisse ecclesiae dictae capitulo scribit.

Venerabilibus dominis suis decano preposito totique capitulo herbipolensis ecclesie Her(maanus) dei gracia comes senior de Hennenberch debite seruitutis subiectionem et paratam ad omnia ipsorum mandata ac beneplacita voluntatem.

Vniuersitati uestre venerande dominacionis tenore presencium cupimus fore notum, quod nos ad peticionem Ber(toldi) Prelonis nostri ciuis in Munrichstat consensum adhibemus appropriationi illorum bonorum videlicet ville in Loherit annuatim soluentivm XIIIcim libras hallensium in censu, videlicet in festis sanctorum Walpurgis et Martini, que quidem bona nobis et nostris proauis in feodo ab herbipolensi ecolesia possidentibus similiter ratione feodalis tituli ad dictum Ber(toldum) sunt a nobis rationabiliter deuoluta, ex eo quia idem Ber(toldus) nobis de proprietate suorum bonorum videlicet duos mansos in villa Ebersbach annuatim IIIIor libras hallensium soluentes sitos et allodium quoddam satis fertile in minori villa Ybestat situm liberaliter resignauit, que bona ipse a nobis in reconpensacionem illorum bonorum in

Loherit in feodo recepit, et nos similiter ipsa sicut et cetera nostra feoda ab herbipolensi ecclesia recongnoscimus presentibus iuste et rationabiliter possidere.

Et quod predictus Ber(toldus) pro bonis in Loherit sitis ipsis fratribus viris religiosis ordinis domus theutonice in Munrichstat nomine dotis cuiusdam capelle ab ipso Ber(toldo) in atrio cimiterij parrochie Munrichstat constructe traditis restaurum copiosum per bona prelibata fecerit, tenore presentis cedule veritatis testimonium perhibemus.

Datum anno domini M°·CC°·LXXXX, dominica judica.

Sigillum ex his litteris fascia membranacea quondam suspensum plane periit.

Nomen „Ybestat" in carta ipsa loco raso eadem manu quae totum documentum scripsit positum est.

XVII.

1290, die 9. aprilis.

Manegoldus episcopus coenobio in Bullenheim decimam in Urbach a feodi nexu liberatam donat, pro qua bona proprietaria in Rutarsdorf sita per Sifridi de Rosseriet pueros recipit iisque titulo feodali possidenda confert.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis inspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod Jutha relicta quondam Sifridi de Rosseriet militis et pueri eius utriusque sexus quos de ipso milite peperat, affirmantes in litteris eorum publicis nobis per dilectum in Christo Walkonum abbatem monasterij in Schontal directis, se decimam in Vrbach — quam ipsi pueri masculini sexus a viro nobili Ruperto de Durne, qui eandem decimam a nobis et nostra ecclesia in feodo possederat, possedissent — dilectis in Christo .. abbatisse

et sanctimonialibus cenobij in Bullenkeim ordinis cysterciensis nostre dyocesis de consensu dicti nobilis vendidisse, nobis humiliter supplicarunt vt nos in eandem vendicionem consencientes ipsam decimam . . abbatisse et sanctimonialibus predictis donare in proprium curaremus. Ac in prefatis litteris expressius profitebantur, se dimidietatem ville in Rutarsdorf singulis annis in blado et denarijs duas et dimidiam libras hallensium soluentem, duodecim prati jugera, et alia ipsi dimidietati attinencia quesita et non quesita memorato nobili in restaurum dicte decime libere resignasse, et illa ab eodem in feodum recepisse, ita quod ipsi pueri masculini sexus debeant predictam medietatem cum pertinencijs suis vniuersis jure feodi possidere. Jdem quoque nobilis nobis per litteras suas publicas declarauit, vniuersa et singula que tacta sunt superius esse vera.

Nos itaque supplicacioni de qua predicitur fauorabiliter annuentes, considerantesque ex permutacione antedictorum bonorum tum sepedicto nobili tum nobis facta nostre ecclesie condicionem fieri meliorem, cum dimidietas et jugera predicta decimam prelibatam in valore longe prout a prenominato abbate ad hoc misso didicimus excellere dinoscantur, abbatisse et sanctimonialibus antedictis decimam prefatam in proprium donauimus et donamus, in easdem et ipsarum cenobium jus ipsius decime cum pleno rerum dominio transferentes iure proprietatis perpetim possidendam, ac a nobis et nostris successoribus omne ius quod nobis in ipsa competebat decima penitus abdicantes.

Testes horum premissorum sunt dilecti nobis Albertus de Lewenstein scolasticus, Andreas de Gundelvingen canonicus, herbipolenses, abbas supradictus, Hermannus commendator domus hospitalis in Wollechingen, Marquardus de Meckemuln, et plures alij fidedigni.

In quorum premissorum testimonium atque robur hanc paginam conscribi fecimus, et nostri sigilli patrocinio conmuniri.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo CC°. nonagesimo, V°. jdus aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Manegoldi episcopi sigillum fascia membranacea suspensum exstat.

XVIII.

1290, die 25. aprilis.

Ecclesia wirziburgensis castrum Gyrsberg cum ejus pertinentiis et alias possessiones Karolo de Heldriet militi, pacto reemtionis et stipulationibus quibusdam eo spectantibus adjectis, vendit.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis harum jnspectoribus litterarum recognoscimus publice vniuersis, quod nos de consensu nostri capituli castrum Gyrsberg et judicia ad idem castrum pertinencia ac homines dictos ibidem die Eigensezen cum omni vsufructu et juribus qui nobis in ipsis hominibus competebant, jtem decimam in Eltdorf, jtem decimam in Vmmerstat, jtem decimam in Sulzbach, jtem decimam in Scappach, jtem decimam in Eckehartsdorf, jtem villam Wasmutehusen, jtem villam Erlech, jtem villam Breitebach retro castrum Altenstein sitam, jtem villam Glizmutehusen, honorato viro Karolo de Heldriet militi et eius heredibus vendidimus et vendimus pro centum et viginti marcis argenti examinati, ita quod nobis aut nostris successoribus vel capitulo predicto salua sit libera facultas, castrum et omnia bona premissa pro centum et viginti marcis examinati argenti quandocunque nobis oportunitas affuerit reemendi.

Et quascunque structuras idem miles vel sui heredes in turri muro et propugnaculis dicti castri necessarias facere decreuerit, illas de scitu nostre curie notarij qui pro tempore fuerit faciet, facturus sibi de expensis structure huiusmodi racionem. Quas expensas promisimus nos facta tali racione eidem militi vel suis heredibus ante reempcionem de qua predicitur soluturos. Sane si per defectum vel negligenciam ipsius notarij stare conti(n)geret quominus racio de dictis structuris haberi posset, volumus quod nos de ministerialibus ecclesie nostre duos, et ipse miles vel sui heredes de

eorum amicis duos eligamus, juxta quorum quatuor estimacionem et taxacionem de prefatis structuris sub eorum juramentis prestandis faciendas expensas ad ipsas structuras habitas memorato militi vel eius heredibus refundemus.

Postquam autem homines castrum et bona supradicta per nos aut nostros successores vel nostrum capitulum reempti fuerint, supradictus miles et sui heredes nobis idem castrum et bona premissa libere restituent, et villam Erlech superius tactam cum suis pertinencijs vniuersis a nobis et nostra ecclesia tytulo castrensis feodi ipsius castri nomine possidebunt.

Jdem quoque castrum, quamdiu illud non reemptum fuerit, nobis debet et nostris hominibus quandocunque vel quocienscumque necessitas nobis incubuerit sicut nostre municiones cetere patens esse. Et cum eodem castro et in eodem ac de eodem nobis ac nostre ecclesie ipse miles et sui heredes facient sicut nostri ceteri aduocati.

Porro si ipsum militem vel suos heredes homines castrum et bona prenominata mera necessitate vrgente vendere contigerit, illos nobis vel nostris successoribus aut nostro capitulo reemendos quatuor mensibus preambulis exhibebunt. Quos si extunc reemere noluerimus, ipse miles vel sui heredes eosdem homines castrum et bona premissa aliquibus vel alicui nostrum ministerialium, vel saltem si ministerialis talis haberi non posset alteri sue condicionis homini, de quo talem et tantam qualem ad ipsum militem habuimus et habemus confidenciam nos vel nostri successores aut nostrum capitulum habere possimus, libere vendere poterit sub modis et condicionibus suprascriptis.

In quorum premissorum testimonium hanc paginam nostro et antedicti capituli sigillis voluimus conmuniri.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo CC°. nonagesimo, in die Marci ewangeliste, pontificatus nostri anno secundo.

Ego quoque Karolus prefatus publice recognosco, premissa omnia ita esse, promittens pro me et meis heredibus castrum et bona prefata quamprimum illa per dominum episcopum vel successores aut capitulum predictos apud me vel ipsos heredes reempta

fuerint herbipolensis ecclesie restit(ut)urum, appendensque meum sigillum presentibus super eo.

Datum loco, anno, et die supradictis.

Jtem Karolo et heredibus predictis redditus duarum karratarum vini modiocris de vino nostro in Brapach percipiendos annuatim vendidimus sub modis et condicionibus supratactis.

Sigillorum trium dictorum fasciis membranaceis ex hac carta — quam And. Seb. Stumpf in opere cui titulus est „historisches Archiv für Franken“ I. pag. 93—95 edidit — suspensorum illud Karoli DE HELDERIEt in superiore parte dextera laesum est.

XIX.

1290, die 1. junii.

Ecclesia herbipolensis pro decimis in Binzbach et Husen a feodi nexu liberatis bona in inferiori villa Bleichvelt sita a domo hospitalis s. Johannis herbipolensi resignata Bertholdo de Grumbach titulo feodali possidenda confert.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis, quod Bertholdus de Grumbach miles, filius quondam Wolvelini de Grumbach militis — asserens coram nobis, se maiorem et minutam decimas in Binzbach et duas partes maioris et minute decimarum in Husen, quas decimas ipse Bertholdus a nobis et nostra ecclesia in feodo possedisset, apud dilectos in Christo . . commendatorem et fratres domus hospitalis sancti Johannis in Herbipoli pro vniuersis bonis quesitis et non quesitis que ijdem fratres in jnferiori villa Bleichvelt dinoscuntur hactenus habuisse annuatim nonaginta duo maldra vniuersi grani et triginta solidos hallensium soluentibus permutasse, dictasque decimas nobis libere resignans — in reconpensam illarum iamdicta bona in Bleichvelt a nobis

recepit in feodum jure feodi possidenda, et humiliter supplicauit vt prefatas decimas .. commendatori et fratribus predictis de consensu nostri capituli donare in proprium curaremus.

Nos itaque huiusmodi supplicacioni nostri fauoris graciam denegare non valentes, considerantes quoque ex premissa permutacione nostre ecclesie condicionem posse fieri meliorem, cum predicte decime bona prenominata in valore longe prout veraciter didicimus excellere dinoscantur, easdem decimas . . commendatori et fratribus prefatis donauimus donamus tradidimus et tradimus in proprium, jus ipsarum decimarum in eosdem . . commendatorem et fratres ac domum ipsorum cum pleno rerum dominio transferentes jure prorietatis perpetim possidendas. Et a nobis et nostris successoribus omne jus quod nobis in ipsis conpetebat decimis penitus abdicantes, ipsos successores nostros ad ratihabicionem et obseruanciam huius nostre donacionis de bona voluntate et expresso consensu dicti capituli obligamus.

In quorum premissorum testimonium hoc scriptum nostro et antedicti capituli sigillis euidencius roboramus.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo CC° nonagesimo, kalendis junij, pontificatus nostri anno tercio.

Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis sigilla fasciis membranaceis suspensa exstant.

XX.

1290, die 5. junii.

Litterae de vicaria a Rudolfo de Hurnheim ecclesiae herbipolensis decano in capella s. Margaretae in curia ipsius sita instituenda per capitulum ecclesiae wirziburgensis datae.

In nomine domini amen.

Nos Heinricus dei gracia prepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum herbipolensis ecclesie tenore presentium

publice recognoscimus, quod — cum honorabilis vir Rudolfus de Hurnheim bone memorie quondam decanus ecclesie nostre ob spem diuine remunerationis et propter augmentationem diuini cultus vnam vicariam instituere et reformare desideraret et intenderet in capella sancte Margarete in curia sua sita — dedit de bonis suis sibi a deo collatis centum libras hallensium in parata pecunia in subsidium ipsius vicarie, ac ipsam vicariam contulit Cunrado dicto de Gundelvingen scolari suo pure et simpliciter propter deum, statuit eciam et ordi(n)auit quod cum ipsis centum libris hallensium certa annua pensio ipsi vicarie conpararetur tytulo emptionis.

Nos uero pro necessitate ecclesie nostre de ipsa pecunia recepimus a fideconmissariis suis, videlicet honorabilibus viris Rudolfo de Hurnheim decano augustensi, Andrea de Gundeluingen preposito orengewensi, et Lupoldo de Wiheltingen preposito in Hauge, concanonicis nostris dilectis, septuaginta libras hallensium pro annua pensione viginti maldrorum siliginis et decem tritici, et eandem summam hallensium in solutionem debitorum ecclesie nostre quibus aput judeos sub voragine usurarum extitit obligata conuertimus, recognoscentes nos quitatos de ipsa summa hallensium et pagatos, renunciantes etiam expresse exceptioni non numerate non solute et non habite pecunie, actioni de dolo et in factum, et omni iuris auxilio canonici uel ciuilis per quod dictus vicarius molestari possit sev aliquatenus inpediri de solutione sibi facienda de predictis triginta maldris, que sibi singulis annis infra duo festa assumptionis videlicet et natiuitatis sancte Marie dare promittimus et assignare de officio porte nostre cum mensura ciuili nomine simplicis uenditionis pro summa hallensium preexpressa. Et si (quod absit) ipsi vicario infra iamdictum tempus de huiusmodi annona ad plenum non fuerit satisfactum, expensas dampna et interesse que occasione non facte seu retardate solutionis dictum vicarium incurrere contigerit sibi resarcire promittimus ac indempnem seruare, et super hiis sine alterius probationis onere suo simplici verbo stare. Poterit eciam idem vicarius iuxta consuetudinem aliorum vicariorum ecclesie nostre uices suas pretermittere, quocienscumque in solutione dicti frumenti fuerimus

neglientes. Preterea sepefatus vicarius debet et tenetur officiare capellam suam, et chorum nostrum quemadmodum alii nostri vicarij frequentare.

Statuit eciam idem decanus, quod eandem eciam vicariam conferre debet decanus maior qui pro tempore fuerit, quandocumque uacauerit ex cessione uel decessione cuiuslibet vicarij ipsius vicarie et eciam ex resignatione, nichilominus aliis bonis saluis ipsi capelle per predictum quondam decanum datis et assignatis, videlicet de quinque iugeribus uinearum sitis in dem Bogen, et de uno iugere in Lemmerberg iuxta Ransaker, necnon de allodio in Ollingen cum suis attinenciis quod capitulum nostrum in subsidium ipsius vicarie ad petitionem prefati quondam decani dedit libera donatione, necnon de redditibus duorum maldrorum tritici et octo vnciarum hallensium in villa Kircheim. Relique uero triginta libre hallensium que de predictis centum libris hallensium supersunt conuerti debent in subsidium ipsius vicarie, quandocumque locus se obtulerit et facultas. Que omnia et singula sepedictus vicarius tenere debet et cum integra perceptione fructuum possidere.

Additum est eciam, quod quandocunque nos nomine capituli nostri sibi prouiderimus de beneficio cum cura uel sine cura, uel de aliis bonis quibuscumque, que secundum estimationem decani et jnhabitatoris curie necnon ipsius vicarij qui pro tempore fuerint in restaurum et reconpensam predicte pensionis sufficiant et sepedicte capelle sev vicarie perpetuo deseruiant, extunc a solutione supradictorum triginta maldrorum nos et capitulum nostrum erimus absoluti.

Et ad ea que premissa sunt omnibus successoribus ipsius vicarij recognoscimus et dicimus nos teneri.

In quorum omnium et singulorum testimonium sigilla venerabilis patris domini nostri Manegoldi episcopi, Heinrici prepositi, Arnoldi decani, predictorum, Wernheri de Tannenberg cellerarij, Alberti de Lewenstein scolastici, Lupoldi de Wiheltingen prepositi in Hauge, archidyaconorum, et capitulj nostri presentibus sunt appensa.

Datum in die beati Bonifacij episcopi, anno domini M°·CC°·LXXXX°·, pontificatus predicti domini Manegoldi episcopi anno tercio.

Sigilla septem ante laudata filis linteis coloris viridis ex hoc documento suspensa integra exstant.

XXI.

1290, die 23. augusti.

Ecclesia wirziburgensis de pecunia pro qua bona in Ahusen et Heidingesvelt Craftoni et Cunrado fratribus de Hohenloch obligata fuerant indemnis fit.

Nos Crafto de Hohenloch, tutor Cunradi filii quondam Gotfridi de Hohenloch fratruelis nostri nouiter defuncti, tenore presencium recognoscimus vniuersis presentibus et futuris, quod venerabilis pater dominus quondam Bertoldus episcopus herbipolensis de quantitate illius pecunie pro qua nobis et quondam Cunrado fratri nostro auo C(unradi) memorati bona in villis Ahusen et Ahusen et in Heidingesuelt vacante sede herbipolensi fuerant obligata nobis pro parte nostra plenarie satisfecit.

Exnunc quoque litteras per presentes profitemur et publice protestamur, fore per venerabilem patrem dominum Manegoldum herbipolensem episcopum successorem prefati domini Ber(toldi) ac suum capitulum Cunrado predicto vero heredi preexpressi fratris nostri de quantitate pecunie pro qua predicta bona nobis et auo suo fratri nostro obligata fuerant pro parte sua in totum ac integraliter satisfactum. Occasione cuius pecunie ipsi domino M(anegoldo) episcopo suisque successoribus ac sue ecclesie pro nobis Craf(tone) et Cunr(ado) cuius nunc tutor existimus et nostrorum amborum heredibus de non petendo pactum facimus per presentes. Immo protestamur de prefata pecunia per omnia nos

pagatos, expresse renunciantes vniuersis instrumentis super memorata pecunia nobis datis, et excepcioni non numerate non solute et non habite pecunie, et omni iuris auxilio canonici vel ciuilis, volentesque dicta instrumenta cassa et irrita ac nullius existere firmitatis. Promittimus insuper deponere omne impedimentum ac impeticionem que posset per spedictum Cvnr(adum) postquam ad etatem peruenerit legittimam et nos eius tutelam gerere cessauerimus seu per heredes ipsius super prenarrata pecunia in posterum aliqualiter suboriri, nos quoque reddere predictum dominum M(anegoldum) episcopum herbipolensem seu successores ipsius et ecclesiam suam ab impeticione qualibet liberos et indempnes.

Ad cuius rei testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine roboramus.

Datum et actum anno domini M°·CC°·LXXXX°·, in vigilia Bartholomei apostoli.

Sigilli ex hoc documento fascia membranacea suspensi circumferentia fere plane interiit.

Nomen „Ahusen“ in carta eodem quo imprimi jussimus modo bis positum est.

XXII.

1290, die 15. novembris.

Manegoldi episcopi et capituli ecclesiae herbipolensis compositio amicabilis cum Ulrico de Hanowe facta.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis inspectoribus presencium recongnoscimus publice vniuersis, quod nos — cum viro nobili Vlrico de Hanowe super omnibus litibus dampnis et controuersiis que inter nos et nostram ecclesiam ac virum nobilem quondam R. patrem ipsius Vlrici necnon ipsum

Vlricum orte fuerant per uiam conposicionis amicabilis per omnia reconciliati — ipsis litibus dampnis et controuersiis de consensu et bona voluntate nostri capituli renunciauimus et renunciamus simpliciter et precise.

Vt autem videamur propter hoc eundem Vlricum fauore prosequi speciali, ipsum ad castrum nostrum Carleburg recepimus et recipimus in castrensem, ei et suis heredibus ad idem castrum ius castrensis feodi conferentes, promittentesque sibi uel ipsis heredibus pro castrensi feodo trecentas libras hallensium nos daturos, vel singulis annis quamdiu eedem trecente libre ipsis date non fuerint triginta libras hallensium in festo sancti Martini de officio nostro in Carlestad soluturos.

Postquam autem ipse Vlricus uel sui heredes per nos aut nostrum successorem pagatus fuerit de trecentis libris supratactis, ipse vel sui heredes cum eisdem libris bona infra duorum miliarium spacium a prenominato castro estimandum conparabit, et eadem bona ipse Vlricus uel sui heredes a nobis vel nostro successore in feodum castrense recipiens pro castrensi feodo possidebit.

Jdem quoque Vlricus fide data et iuramento suo prestito promisit pro se et eisdem heredibus, se debere et ipsos heredes contra quoslibet nostros et nostre ecclesie aduersarios, romano imperio, domino Ger(hardo) archiepiscopo maguntino, domino H. fuldensi, Thoma comite de Rineke, C. et C. de Winsperg, et C. de Trimperg exceptis, eorum consilium et auxilium utpote castrenses nobis et nostre ecclesie inpertiri.

Nos eciam promittimus ipsum Vlricum tanquam castrensem nostrum contra omnes suos aduersarios, romano imperio, domino Ger(hardo) maguntino, viris nobilibus illis de Hohinloch et de Brûnekcn tantummodo exclusis, manutenere et fideliter defensare.

Sane siqua inter nos et ipsum Vlr(icum) vel nostros ac suos homines aliqua dissensio iam orta est uel inantea oriatur, honorabilis vir H(einricus) prepositus herbipolensis et Th(eodericus) de Hohinberg marscalcus noster ex parte nostri, et Godefridus aduocatus de Swarzenuels et Ger-

lacus Kistenschedel milites ex parte ipsius Vlr(ici) electi conuenient, decisuri ipsam dissensionem secundum iusticiam uel amorem. Jn qua decisione si iidem quatuor nequiuerint concordare, ipsi sibi eligent quem decreuerint mediatorem. Qui mediator habebit plenariam potestatem talem dissensionem secundum amorem vel iusticiam terminandi. Siquem vero predictorum quatuor cedere uel decedere contigerit, tres superstites alium in locum illius cedentis uel decedentis extunc infra vnius mensis spacium subrogabunt.

Et nos successorem nostrum de consensu dicti capituli astringimus ad obseruanciam omnium premissorum.

Jn quorum testimonium hanc paginam nostro et ipsius capituli sigillis roboramus.

Datum Herbipoli, anno domini M°. CC°. nonagesimo, proxima quarta feria post Martini, pontificatus nostri anno tercio.

Nos quoque Vlricus de Hanowe supradictus publice profitemur, vniuersa et singula ita esse sicut superius declarantur. Et ad obseruanciam omnium eorum et singulorum nos et nostros heredes presentibus obligamus, montem in quo situm fuit castrum Stekelinberg, bona eidem castro attinencia, et alia ecclesie herbipolensis bona per nos et nostros homines hactenus occupata prefato domino episcopo et sue ecclesie patefacientes, et eisdem monti et bonis pro nobis et nostris heredibus renunciantes simpliciter sine vara, ac in euidentiam premissorum nostrum sigillum huic pagine apponentes.

Datum loco, anno domini, et die supradictis.

Sigillorum trium ex hujus compositionis carta fasciis membranaceis suspensorum illud VLRICI DOMINI DE HANowe — imaginem militis armati repraesentans, quod dicunt equestre — magnam partem laesum est; sigillum ejusdem secretum retro impressum fere integrum exstat.

XXIII.

1290, die 22. decembris.

Ecclesia wirziburgensis pro castro Trimperg sibi resignato Heinrico de Wechmar et praepositurae suae castrum Frankenberg — pacto homines eo spectantes reemendi adjecto — in proprium confert.

In nomine domini amen.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis presenti scripto ad noticiam presentium et futurorum cupimus peruenire, quod — cum honorabilis vir Heinricus de Wechmar prepositus et archidyaconus ecclesie nostre graues expensas racione castri Trimperg circa familiam edificia et structuras ipsius castri que ruinam et destructionem minabantur de bonis suis fecisset, et ex istis dampna non modica sustinuisset, bona eciam plurima in agris vineis decimis et alijs ab ipso castro distracta et alienata redemisset suis eciam bonis proprijs et recuperasset — nos in reconpensam premissorum et restaurum, quia idem dictum castrum Trinperg nobis assignauit, castrum nostrum Frankenberg sibi et suis successoribus videlicet prepositis de consensu nostri capituli damus et tradimus cum hominibus et attinentijs vniuersis quos et quas hoc die idem castrum habere dinoscitur jure proprietatis nomine suo et dicti capituli perpetim possidendum, hoc nobis tamen saluo quod nos aut noster successor possimus ipsos homines apud ipsum prepositum aut successorem suum pro ducentis libris hallensium reemere infra tres annos a data huius littere numerandos. Alioquin, si hoc nos vel noster successor non fecerimus, extunc post tales annos ipse prepositus eosdem homines jure de quo predicitur possidebit. Jpsum quoque suosque successores prepositos dominos proprietarios omnium premissorum cum pleno rerum dominio constituimus de consensu capituli nostri expresso litteras per presentes.

Si vero aliqua bona ad idem castrum spectantia tytulo venditionis sunt alienata vel distracta que recuperare potest, eadem bona sibi et suis successoribus in proprietatem damus et tradimus, consensu eciam nostri capituli accedente.

Si autem aliqua bona ab ipso castro tytulo obligationis vel alio modo sunt alienata que recuperauerit, huiusmodi bona nos et nostri successores recuperare eciam possumus apud eundem prepositum aut suos successores, dum posse se obtulerit et facultas, pro eadem pecunia pro qua ipse prepositus bona eadem recuperauit.

Jn quorum premissorum testimonium nostro et dicti capituli ac capitulorum ecclesiarum in Hauge et noui monasterij sigillis hanc paginam roboramus.

Datum Herbipoli, anno dominj M°CC°· nonagesimo, ja crastino beati Thome apostoli, pontificatus nostri anno tercio.

Sigilla quatuor modo memorata fasciis membranaceis suspensa exstant.

Documentum hanc cartam spectans die 8 mensis octobris anni 1294 datum est.

XXIV.

1291, die 16. januarii.

Heinricus Willemůt civis herbipolensis publice recognoscit, quod — cum compararit sibi et suis heredibus apud praepositum decanum et capitulum herbipolensis ecclesiae mediam partem fructuum hos contingentem et decimam de octo jugeribus vinearum sitis amme Steine, quae ipse et mater sua jure hereditario tenent et colunt, pro ipsa media parte ab eisdem dominis percipiendam per duodecim annos et autumnos tunc subintrantes pro certa pecuniae quantitate — eadem media pars et decima de ipsis octo jugeribus post praedictos duodecim annos et autumnos ad ipsos dominos et ipsorum capitulum libere devolventur, salvo jure hereditario quod ipse et mater sua ipsorumque heredes habent in vinea supradicta.

Datum anno domini M°·CC°·LXXXX°·I, feria tertia post octavam epiphaniae.

Sigilli civitatis wirziburgensis ex hac carta fascia membranacea suspensi margo plane interiit.

XXV.

1291, die 16. januarii.

Wolframus ecclesiae wirziburgensis custos institas duas muro ecclesiae contiguas coenobio s. Agnetis concedit, salvo ecclesiae dictae censu annuo.

Nos Wolframus custos ecclesie herbipolensis constare cupimus vniuersis presentem litteram visuris, quod Guntherus dictus de Bopphingen ciuis herbipolensis et Bertradis filia sua coram nobis resignauerunt duas institas suas, que sunt contigue muro ecclesie nostre iuxta ostium eiusdem ecclesie vbi exitur ad gradus ad sinistram manum, petentes cum instantia ut ipsas institas concedere vellemus . . abbatisse et conuentui monasterij sancte Agnetis herbipolensis ordinis sancte Clare tenendas et possidendas eodem iure quo ipse Guntherus et eius filia illas actenus tenuerunt.

Nos procuratoribus dictarum . . abbatisse et conuentus ibidem presentibus prefatas institas nomine prefati monasterij sancte Agnetis recipientibus — deliberatione prius cum dominis nostris super hoc prehabita — concessimus, saluo ecclesie nostre censu quem inde consueuimus recipere annuatim, videlicet trium librarum cere in festo sancti Kiliani et duarum librarum biperis in natiuitate domini.

Ipse etiam . . abbatissa et conuentus sancte Agnetis et procuratores earum nobis firmiter promiserunt, quod postquam dicti

Guntherus et Ber(tradis) eius filia ambo mortui fuerint dictas institas infra vnius anni spatium vendent alicui persone seculari, nisi consensum dominorum suorum qui tunc pro tempore fuerint inpetrare valeant vt ipsis liceat easdem institas tenere et inposterum possidere, vel nisi tempus inpacatum aut alia causa legittima inpediat quo minus ad uendicionem huiusmodi procedatur, quo tamen inpedimento cessante ipsas institas vendent.

Et hec omnia debent bona fide vtrimque procedere sine vara.

Jn cuius rei testimonium tam nostrum quam ipsarum . . abbatisse et conuentus sigilla presentibus sunt appensa. Nos abbatissa et conuentus monasterij sancte Agnetis predicte confitemur, omnia ita esse vt prescriptum est, et ea promittimus fideliter obseruare, et ob hoc sigilla nostra presentibus appendisse.

Acta Herbipoli, in curia Osternach, presentibus hijs testibus: [Cůnrado] Blumelino concanonico nostro, Cůnrado dicto Durren canonico noui monasterij, fratre Gotfrido de Ariete, fratre Johanne de ordine fratrum minorum, Lucemanno de Arbore Rosarum, Friderico et Hermanno filijs Volkelini, fratre Rudolfo et fratre Ekkehardo conuersis sancte Agnetis, anno dominj M°·CC° nonagesimo primo, XVII°· kalendas februarij.

Sigilla tria ante dicta ex hac carta fasciis membraneceis suspensa sunt. Quo loco nomen „Cůnrado“ uncis inclusum imprimi jussimus, in documento ipso lacuna est.

XXVI.

1291, die 17. januarii.

Ecclesiae wirziburgensis capitulo de bonis in villa Oppherbeine maldra tritici duo anno quolibet oblationis nomine solvenda sunt.

Nos Theodericus dictus Spiez et Kvnegundis vxor eius tenore presentium recognoscimus publice protestando, quod

vendidimus et titulo vendicionis damus manibus coadunatis omnia bona nostra in villa Oppherbeine quesita et inquirenda deuotis sanctimonialibus . . abbatisse et conuentui in Celiporta perpetuo possidenda, et ipsa bona cum pleno rerum dominio in ipsas sanctimoniales et ipsarum cenobium transferimus per presentes, dantes ipsis fideiussores pro warandia que wlgariter werschaft dicitur Gotfridum Betelman, Bertoldum dictum Woluelin, Ottonem Wolueskel, et Heinricum Durren secundum consuetudinem fideiussorum, vt predictis sanctimonialibus faciamus warandiam de ipsis bonis que de bonis proprietariis censualibus secundum consuetudinem terre fieri consueuit.

Et licet nobis et nostris heredibus singulis annis dare debeant sex maldra auene de ipsis bonis, eadem maldra sibi reseruabunt et pro nobis soluent duo maldra tritici dominis nostris maioris ecclesie quolibet anno nomine oblacionis. Si autem ipsis dominis nostris alia bona demonstrauerimus ad que respectum habere voluerint de huiusmodi oblacione, supradicta sex maldra auene ad nos et nostros heredes libere reuertentur.

In cuius rei testimonium sigillum reuerendi patris domini nostri M(anegoldi) herbipolensis episcopi ad peticionem nostram presentibus est appensum.

Huius nostre vendicionis testes sunt: dominus Theodericus de Spiezsheim, dominus Cvnr(adus) Blümelinus, canonici herbipolensis, Eckardus dapifer, Heinricus de Espelbach, milites, Johannes Hacke, Lvcemannus de Rosenboume, Heinricus Judeus, Willehelmus de Bleichuelt, Warmundus, Wortwinus, frater Gotfridus, frater Sifridus, frater Heinricus cellerarius, fratres predicti cenobii.

Datum anno domini M°·CC°·LXXXXI°·, feria quarta post octauam epiphanie.

Manegoldi episcopi sigillum fascia membranacea suspensum integrum exstat.

XXVII.

1291, die 3. februarii.

Manegoldus episcopus — quoniam Heinricus de Stolcenrode quoddam pratum situm apud Mulhusen dictum ibidem der Bruol, quod quidem pratum ipse Heinricus ab ecclesia herbipolensi in feodo possederat, ad manus ipsius sponte ac libere resignans, affirmansque illud sororibus coenobii in Urach ordinis praedicatorum dioecesis herbipolensis vendidisse, petiit ut idem pratum ipsis sororibus donare in proprium curaret, Theodericus etiam de Hohinberg marschalcus episcopalis in remedium animae suae in recompensam dicti prati mansum situm in Buheler, quem colit Hermannus dictus Swab de Obersvelt, qui mansus ad ipsum marschalcum jure proprietatis spectabat, voluntarie resignans ab ipso recepit in feodum titulo feodi possidendum, quo libentius praefati Heinrici petitionem admittere dignaretur — tum propter ipsum marschalcum tum eundem Heinricum ipsi petitioni favorabiliter annuens, memoratum pratum cum juribus suis universis sororibus praefatis in proprium donat et tradit jure proprietatis perpetim possidendum, idem pratum cum pleno rerum dominio in easdem sorores et coenobium praedictum libere transferens.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo primo, in die Blasii episcopi, pontificatus anno tertio.

Manegoldi episcopi sigillum filis sericis rubri et viridis colorum suspensum integrum exstat.

XXVIII.

1291, die 7. aprilis.

Ecclesia wirziburgensis agros quosdam campestres in inferiore villa Bleichvelt sitos a feodi nexu liberatos Godfrido Ubelacker novi monasterii herbipolensis canonico concedit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum inspectoribus litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod dilectus in Christo Godfridus dictus Vbelacker senior canonicus noui monasterii herbipolensis — asserens coram nobis, quosdam agros campestres in predium suum situm in inferiori villa Bleichvelt ad ipsum jure hereditario deuolutum pertinentes a nobis in feodo procedere, sicut incole ipsius ville opinarentur — humiliter petiuit, quod cum ipse intenderet dictum predium cum suis pertinencijs vniuersis conuertere in vsum prefate ecclesie noui monasterij vel alterius secundum quod sibi duceret deus inspirandum, ipsi Gotfrido eosdem agros donare de consensu nostri capituli in proprium dignaremur.

Nos itaque huic peticioni tum propter deum tum ob grata dicti Godfridi obsequiorum merita grato animo annuere cupientes, prefatos agros a feodorum onere si cui fuerunt hactenus subiugati liberaliter liberamus, et liberatos siue libertatos ab eodem onere prefato Godfrido de expresso dicti capituli nostri consensu et bona voluntate in proprium donauimus tradidimus donamus et tradimus jure proprietatis perpetim possidendos et legandos pro meriproprio cuicunque ecclesiarum voluerit vel donandos. A nobis quoque et nostris successoribus jus si quod nobis in eisdem agris competere videbatur penitus abdicamus, illud in Godfridum predictum cum pleno rerum dominio transferentes, dantesque sibi hanc paginam, nostro et prefati capituli sigillis signatam, in euidens testimonium premissorum.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo CC°. nonagesimo primo, VII°. jdus aprilis, pontificatus nostri anno tercio.

Sigilla duo praefata ex hac carta fasciis membranaceis suspensa sunt.

XXIX. 1.

1291, die 10. aprilis.

In causa Nicolai capellae s. Galli vicarii de terris debitis et rebus aliis actoris Heinricus Weibeler ceterique rei citantur.

Sifridus decanus ecclesie fůchtewangensis augustensis dyocesis, judex a sede apostolica delegatus, discreto viro . . plebano maioris ecclesie herbipolensis salutem in domino.

Mandatum domini pape recepimus in hec verba:

Nicolaus episcopus seruus seruorum dej dilecto filio . . decano ecclesie fůchtewangensis augustensis dyocesis salutem et apostolicam benedictionem.

Conquestus est nobis Nicolaus perpetuus vicarius capelle sancti Galli in ecclesia herbipolensi, quod Heinricus dictus Weibeler ciuis herbipolensis, Otto et Hilthebrandus filij quondam aduocati in Espenfelt fratres laici, ac Elizabet mater eorundem, herbipolensis dyocesis, super terris debitis possessionibus et rebus aliis iniuriantur eidem.

Jdeoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis audias causam, et appellatione remota vsuris cessantibus debito fine decidas, faciens quod decreueris per censuram ecclesiasticam firmiter obseruarj.

Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante conpellas veritati testimonium perhibere.

Datum apud veterem vrbem, IIII nonas februarij, pontificatus nostri anno tercio.

Harum igitur auctoritate litterarum vobis precipiendo districte mandamus in virtute sancte obediencie, quatenus statim visis presentibus Heinricum Weibeler ciuem herbipolensem et Ottonem filium quondam Ottonis aduocati in Espenfelt qui cum domino Hermanno de Espenfelt canonico nouimonasterij in Herbipoli iam moratur personaliter accedatis, ipsos ad nostram peremptorie citantes presenciam, querimoniis predicti domini Nicolai capellani sev vicarii capelle sancti Galli quarta feria post dominicam cantate proxime venturam secundum iusticiam responsuros.

Datum anno domini M°·CC°· nonagesimo primo, tercia feria post dominicam judica.

Reddite litteram, vestro sigillo appenso, in signum execucionis facte.

Sigilla Sifridi decani praedicti et Wernheri plebani majoris ecclesiae herbipolensis ex hac citatione fasciis ex ipsarum litterarum membrana confectis suspensa sunt.

XXIX. 2.

1291, die 10. aprilis.

Idem Sifridus, judex a sede apostolica delegatus, eadem auctoritate discreto viro . . plebano in Rincpure similiter mandat, ut Ottonem et Hiltebrandum filios quondam Ottonis advocati in Espenfelt ac Elizabet matrem ipsorum in Espenfelt residentes personaliter accedat, ipsos ad Sifridi judicis laudati peremtorie citans praesentiam, querimoniis Nicolai perpetui vicarii sancti Galli quarta feria post dominicam cantate tunc proxime venturam secundum justitiam responsuros.

Datum anno domini M°·CC°·LXXXXI°, tertia feria post dominicam judica.

Dum Sifridi praedicti sigillum ex hac citatione fascia membranacea suspensum integrum exstat, illud plebani in Rincpure — in sigillum

executionis factae — itidem fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum inprimis in parte sinistra detritum est.

Haec causa per amicabilem compositionem die 9 mensis octobris anni 1292 finita est. Cfr. infra num XLI pag. 69 et 70.

XXX.

1291, die 19. aprilis.

Manegoldus episcopus et capitulum ecclesiae herbipolensis in subsidium praebendae vicarii chori sui ecclesiam parrochialem in Westheim tradunt.

In nomine domini amen.

Manegoldus dei gracia herbipolensis episcopus harum litterarum tenore recognoscimus vniuersis, quod — cum prebenda vicarii nostri chori esset adeo tenuis et exilis propter destruccionem bonorum eidem prebende attinentium quod idem vicarius noster de ipsa non posset aliquatenus sustentari — nos ad instanciam honorabilium virorum Heinrici de Wechmar prepositi, Arnoldi de Spiezsheim decani, et capituli nostri in subsidium ipsius prebende parrochialem ecclesiam in Westheim apud Windesheim, cuius ius patronatus et eciam inuestiture ad nos spectare dinoscitur, damus libera donacione de consensu capituli nostri predicti et tradimus per presentes, que nobis in presenti vacat ex resignacione decani predicti, qui propter diuini cultus augmentacionem resignauit et huiusmodi negocii et pii operis fidelis promotor extitit et deuotus.

Jdem vicarius qui pro tempore fuerit seruire debet choro nostro, et officiare altare in capella beati Mauricij quemadmodum alij vicarij chori seruire altaria sua officiare hactenus consueuerunt.

Nichilominus talis prebenda vt hactenus est obseruatum deputari debet perpetuo vicario celebranti in predicta parrochia Westheim de qua iuribus nostris et archidiaconi respondere possit et hospites recipere pro posse suo. Collacionem autem ipsius vicarie nobis et nostris successoribus reseruamus.

Notandum eciam, quod prelibatus decanus — qui in presenti possessor est curiarum Masbach et Kolbonis, inter quas sita est capella sancti Mauricij — et omnes sui successores non tenentur vicario officianti altare predictum in aliquo prouidere, nisi sponte aliqua dare uoluerint uel offerre.

In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri patrocinio communimus.

Datum anno domini M°·CC°·LXXXX°· primo, in cena domini, pontificatus nostri anno tercio.

Et nos Heinricus de Wechmar prepositus, Arnoldus de Spiezsheim decanus, totumque capitulum herbipolensis ecclesie reuerendum patrem dominum nostrum Manegoldum episcopum et omnes suos successores a solucione quinque librarum denariorum de moneta sua quas dare debent singulis annis vicario suo chori, et a prouisione mense deinceps esse volumus exoneratum, donacionique sue predicte de supradicta parrochia consensum nostrum expressum presentibus adhibemus.

Et in euidens testimonium sigillum nostri capituli apponimus huic scripto.

Datum et actum anno et die vt supra.

Ex hoc documento Manegoldi episcopi sigillum filis sericis flavi et rubri colorum suspensum est; illud capituli majoris ecclesiae filis sericis viridis et rubri colorum.

XXXI.

1291, die 1. maji.

Heinricus faber de Randesacker redditus de bonis suis in Telheim sitis annuatim solvendos hospitali s. Theoderici vendit.

Ego Heinricus faber de Randesacker recognosco publice per presentes, quod . . priori et fratribus de hospitali sancti Theoderici herbipolensi vendidi et vendo litteras per presentes redditus trium maldrorum siliginis de bonis meis que habeo in Telheim et que possidet Cůnradus dictus Phister singulis annis eisdem fratribus — non obstante grandine vel infortunio aliquo — soluendorum, pro octo libris et quinque solidis hallensium pecunie numerate pariter et recepte, renuncians vna cum duobus filijs meis Hiltebrando videlicet et Heinrico omnj juri quod in predictis bonis michi et filijs meis predictis conpetit sev in futurum conpetere posset manu et calamo sicut fieri est consuetum, et prefatos redditus in predictos fratres et domum hospitalis prefatam proprietario jure quo ad me pertinent transfero per presentes. Permitto etiam vna cum meis filijs memoratis, quod residuos quatuor maldrorum redditus que adhuc in bonis meis Telheim predictis habeo, si eos vendere aut alienare me contingerit, eisdem fratribus vendam, exceptione qualibet proculmota. Jpsos etiam redditus de quibus predicitur prefatis fratribus tanquam propria assigno, ac de euictione eorundem reddituum secundum bonam terre consuetudinem cauere me obligo per presentes, et pro eo do fideiussores ipsis fratribus videlicet meos filios memoratos et Godfridum fratrem meum fabrum in Randesacker, qui mecum se obligant ad predicta.

Jn cuius rei testimonium presens instrumentum sigillo honorabilis viri domini . . officialis curie herbipolensis obtinuj conmuniri. Et nos Ger. canonicus in Hovge et officialis curie herbipolensis,

quia premissa in nostra acta fuerunt presentia, ad petitionem predicti Heinrici fabri huic littere sigillum nostrum duximus apponendum.

Datum et actum anno domini M°·CC°·LXXXX primo, in die apostolorum Philippi et Jacobi, presentibus domino Cunrado priore, domino Johanne, sacerdotibus predicti hospitalis, fratre Heinrico dicto Nûrenberg, fratre Heinrico Surdo, et Cunrado filio eiusdem, de hospitali iamdicto, Alberto carpentario de Telheim, Alexandro vinitore hospitalis predicti, Heinrico doliatore, et alijs quamplurihus testibus fidedignis.

Officialis curiae herbipolensis sigillum ex hac carta fascia membranacea suspensum est.

XXXII.

1291, die 20. maji.

Manegoldus episcopus ad reddituum venditorum reemtionem capitulo majoris ecclesiae herbipolensis bona quaedam et redditus deputat.

Manegoldus dei gracia herbipolensis episcopus harum litterarum tenore recognoscimus publice, quod — cum pro necessitate nostra et ecclesie nostre vendidissemus redditus quinquaginta librarum hallensium in opido nostro Ossenfurt et alios redditus nostros et census in villa Randisacker Heinrico de Rebstoc ciui nostro herbipolensi, sub pacto et spe reempcionis — vt eosdem redditus et census reemere et recuperare nobis et ecclesie nostre valeamus, damus et deputamus exnunc honorabilibus viris Heinrico de Wechmar preposito, Alberto de Lewenstein scolastico, Andree de Gvndelvingen preposito orengouwensi, Lupoldo de Weltingen preposito ecclesie sancti

Johannis in Hauge, et Wolframo de Linach, canonicis ecclesie nostre, omnes redditus et prouentus nostros in predicto opido nostro Ossenfurt, exceptis quinquaginta libris hallensium de quibus predicitur, allodium nostrum in villa Hocheim, bona nostra in Rabensburg cum omnibus suis attinencijs et pertinencijs, necnon collectam ecclesijs capitulis necnon clero nostro nostre dyocesis impositam tollendam, et fructus siue redditus predictorum bonorum integraliter percipiendos tanto tempore donec redditus census venditos et pensionem quadragintaquatuor maldrorum siliginis quam capitulum nostrum pro nobis et nostra necessitate vendidit et alienauit per modum reempcionis valeant reemere et recuperare. Siquid vero supererit de sepedictis redditibus et fructibus bonorum siue de collecta, recuperatis et reemptis eis que premissa sunt, nobis restituent nostris vsibus conuertendum.

Et premissam donacionem siue deputacionem fecimus de consensu et conniuencia nostri capituli expresso.

Jn cuius rei testimonium presentes litteras sigillorum nostri et capituli nostri muniminibus roboramus.

Datum anno domini millesimo CC° nonagesimo primo, dominica cantate, pontificatus nostri anno quarto.

Sigilla cum Manegoldi episcopi cum capituli majoris ecclesiae herbipolensis fasciis membranaceis suspensa magnam partem laesa sunt.

XXXIII.

1291, die 3? junii.

Ecclesia wirziburgensis de marcis 600 puri argenti pro oppido Karlstad ecclesiae maguntinae obligato solutis indemnis redditur.

Nos Gerhardus dei gracia sancte maguntine sedis archiepiscopus, sacri jmperij per Germaniam archicancellarius, Gebe-

hardus decanus, totumque capitulum ecclesie maguntine predicte recognoscimus per presentes, quod — cum oppidum Karlstad pertinens ad ecclesiam herbipolensem nobis et ecclesie nostre pro sexcentis marcis puri argenti fuerit obligatum — venerabilis dominus Manegoldus episcopus herbipolensis pro se et ecclesia sua nobis et ecclesie nostre de ipsa pecunia satisfecit integraliter et in totum. Quam ipsam pecuniam confitemur et contenti sumus nos recepisse, nobisque eam esse traditam et solutam.

Propter quod ipsum dominum . . episcopum et ecclesiam herbipolensem de ipsis sexcentis marcis quitos clamamus pronunciamus et dicimus presentibus liberos et solutos, renunciantes omninó omni iuri seu accioni quod ex obligacione huiusmodi vel pro ea nobis in dicto opido et suis pertinencijs conpetebat vel conpetere videbatur.

Litteras etiam super ipsa obligacione confectas, si que appareant, volumus fore cassas et irritas et nullum vigorem aliquatenus obtinere.

Has itaque litteras in testimonium huius rei fieri fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborari.

Datum Maguntie, VI°. nonas junij, anno domini millesimo ducentesimo nonogesimo primo.

Sigilla duo ex hoc documento fasciis membranaceis suspensa sunt, quorum illud Gerhardi archiepiscopi una cum sigillo secreto retro impresso fere integrum est, alterum partim interiit.

In carta ipsa scriptum est: *quąm imquam pecuniam.* Quam dictionem scriptorem male pro vocabulo „ipsam“ sibi compendiis annotato scripsisse suspicamur.

Quod deinde in fine legimus: *vj°. nonas junij*, an fortassis erronee pro die „*ij°. nonas junij*“ vel potius „*ujo. = iijo. nonas junij*“ scriptum sit, nescimus. In regestis boicis IV pag. 495 legimus: *VI non. junii? (31 maji). (Forsan IV non? 2 junii).*

XXXIV.

1291, die 17. julii.

Manegoldus episcopus, quod Diethricus filius Lamperti de Botenlouben — publice affirmans coram ipso, se cum trium librarum hallensium redditibus quos in villa dicta zum Bruunen ab ecclesia herbipolensi in feodo possederat permutationem cum commendatore et fratribus domus theuthonice in Munrichstat pro trium librarum hallensium redditibus quos iidem in villis Eltingeshusen et Lullebach proprios habuisse dinoscuntur fecisse — tum praedictos zum Brunnen tum istos in Eltingeshusen et Lullebach redditus ad manus ipsius libere resignavit, et illos zum Brunnen commendatori et fratribus praefatis donari in proprium et in restaurum eorundem redditus illos in Eltingeshusen et Lullebach sibi conferri in feodum postulabat, eisdem commendatore et fratribus similiter profitentibus et petentibus haec premissa, precibus tam ipsorum commendatoris et fratrum quam Diethrici praedicti favorabiliter annuens, antedictos zum Brunnen redditus in proprium commendatori et fratribus jam dictis donat et tradit jure proprietatis perpetim possidendos, ipsos redditus in eosdem commendatorem et fratres ac domum praedictam cum pleno rerum dominio transferens, dictos quoque in Eltingeshusen et Lullebach redditus supradicto Diethrico in feodum conferens ab ecclesia herbipolensi titulo feodi possidendos.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CC°.LXXXX primo, XVI°. kalendas augusti, pontificatus anno IIII^to.

Ex utroque hujus documenti exemplari singula Manegoldi episcopi sigilla fasciis membranaceis suspensa sunt.

XXXV.

1291, die 29. septembris.

Manegoldus episcopus, infeodationem villae in Hephenkeim cum nemoribus omnibusque aliis juribus et pertinentiis suis strenuo militi Reynhardo de Hartheim a felicis recordationis domino Bertholdo episcopo pro restauratione damnorum quae in obsequio ecclesiae herbipolensis in conflictu apud Pinguiam habito pertulisse dinoscitur factam innovans, ei et ejus heredibus praescriptam villam cum nemoribus suisque pertinentiis universis ab ipso et sua ecclesia jure feodi perpetim possidendam confert.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo primo, in die beati Michahelis archangeli, pontificatus anno IIII^to.

Ex hac carta sigillum Manegoldi episcopi fascia membranacea suspensum est.

XXXVI.

1292, die 24. aprilis.

Ecclesia wirziburgensis Eckehardo de Hoecheim militi bona quaedam proprietaria libere resignanti curiam in villa Hergolshusen sitam hactenus titulo feodali possessam in proprium confert, quam idem conventui sanctimonalium poenitentium herbipolensi vendit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis omnibus has litteras intuentibus recognoscimus tam presentibus quam futuris, quod — cum Eckehardus de Hoecheim miles, judex palacii nostri, curiam quandam sitam in villa Hergolshusen cum suis

attinentiis, annis singulis vigintiquatuor maldra siliginis, centum oua in paschis, et quatuor pullos in natiuitate domini soluentem, a nobis et nostra ecclesia in feodum possedisset — nos, quia idem Eckehardus alia bona sua propria dicte curie equiualentia in reconpensam eiusdem nobis nostreque ecclesie libere resignans a nobis in feodum suscepit jure feodi possidenda, proprietatem eiusdem curie cum omnibus juribus suisque attinentiis quocunque nomine censeantur de expressa voluntate capituli nostri pariter et consensu absolutam ab omnibus aduocatie census sev cuiuscunque seruicii oneribus sibi tradidimus donauimus tradimus presentibus libere et donamus jure meriproprii possidendam.

Predictus vero Eckehardus et Jutha vxor eiusdem in nostri presentia constituti, sani mente et corporibus, coadunata manu dilectis in Christo . . priorisse et conuentui sanctimonialium penitentum in Herbipoli pro precio vigintiquatuor marcarum argenti tradiderunt et vendiderunt curiam de qua predicitur cum suis attinentiis et juribus vniuersis, profitentes publice se predictum precium habuisse recepisse ac in vsus suos puerorumque suorum necessarios et vtiles conuertisse, renunciantes quoque exceptioni non numerate non solute non habite pecunie, actioni doli et in factum, et omni juris auxilio tam canonici quam ciuilis per quod posset dicta vendicio impediri. Proprietatemque ipsius curie a se puerisque eorum abdicarunt penitus, eam cum omnibus juribus et attinentiis suis in prefatas priorissam et conuentum cum pleno rerum dominio transferentes, ac eas in possessionem corporalem eiusdem curie inducentes. Jnsuper iidem Eckehardus et Jutha vxor eiusdem dictis priorisse et conuentui cauere de euictione eiusdem curie prout de bonis proprietariis consuetum est iuxta bonam terre consuetudinem promiserunt, eisdem Fridericum de Wippevelt et Helwicum milites in cauctionem que vulgariter dicitur werschaft pro fideiussoribus obligantes.

Vt autem hec omnia premissa firma et inconwlsa permaneant, et ne super eis aliquis in posterum dubietatis scrupulus oriatur, presentem paginam exinde conscribi iussimus, et nostro, predicti capituli, ac Eckehardi militis antedicti sigillis fideliter roborari.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°·nonagesimo secando, in crastino beati Georii martiris, presentibus honorabilibus viris Arnoldo decano maiori, Wernhero de Tannenberg archidiacono ecclesie nostre. Andrea de Gvndelvingen preposito orengouwensi, et aliis quampluribus ad hoc vocatis et rogatis testibus fidedignis.

Sigilla tria antedicta ex hac carta fasciis membranaceis suspensa sunt.

XXXVII.

1292, die 14. augusti.

Ecclesia herbipolensis ecclesiae novi monasterii ibidem duas partes decimae per markam apud Mulhusen a feodi nexu liberatas tradit, pro quibus bona proprietaria juxta Grumbach et circa Arnstein sita titulo feodali conferenda recipit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum inspectoribus litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod Kunegundis relicta quondam Heroldi dicti Vetzer militis, Johannes, Elizabet, Lucardis [1]), et Gerdrudis, pueri ipsius relicte, coram nobis in palacio nostro herbipolensi anno domini M°·CC° nonagesimo secundo in vigilia assumpcionis beate virginis constituti, sponte ac libere recognouerunt, se predium eorum situm in Mulhusen apud villam Gauwenheim cum eius vniuersis pertinentiis quesitis et non quesitis, et duas partes tocius decime tam maioris quam minoris per markam apud idem Mulhusen, que siquidem partes et predium soluunt viginti maldra siliginis, decem tritici, decem auene, decem solidos hallensium, ventrem agninum, et pullos quatuor annuatim, honorabilibus viris . . decano et capitulo ecclesie noui monasterii

[1]) In altero hujus permutationis documento legimus: *Lukardis.*

herbipolensis pro centum et quinque libris hallensium vendidisse, quas libras confessi fuerunt iidem venditores in parata pecunia integraliter recepisse, et in suos vsus utiles conuertisse, renunciantes excepcioni non solute non numerate pecunie, et omni iuris auxilio canonici et ciuilis per quod posset ipsa uendicio impediri. Jpsi quoque venditores, et Cunradus de Vnstat[1]) et Diethericus Lamperti, generi dicte relicte, predium et partes decime prefata in manibus nostris — nobis nomine et vice eorundem decani et capituli illa recipientibus — per quandam cyrothecam liberius resignantes, cum magna instantia petiuerunt, quod — cum dictum predium eorum fuisset proprium, et partes prefate a nobis infeodo procederent — huic vendicioni nostro adhibito consensu, duo vinearum jugera iuxta Grumbach[2]) sita, et septem prati jugera circa opidum nostrum Arnstein sita, ad ipsos venditores proprietatis titulo spectantia, in recompensam earundem partium pro bonis feodalibus ab ipsis uenditoribus recipere, et eadem jugera ipsis uenditoribus infeodum confere, ac partes premissas decano et capitulo predictis dare in proprium curaremus.

Nos itaque precibus uenditorum fauorabiliter inclinati, considerantesque ex premissa recompensa condicionem nostre ecclesie esse et posse fieri meliorem, prefatas decime partes ab onere siue iure feodi de voluntate et expresso nostri capituli consensu eximimus, exemptas pronunciamus, decano et capitulo predictis in proprium donauimus tradidimus donamus et tradimus iure proprietatis perpetim possidendas, a nobis et nostris successoribus omne ius quod in eisdem partibus nobis competebat penitus abdicantes, illudque in decanum et capitulum prefatos ac monasterium ipsorum cum pleno rerum dominio transferentes, eosdem quoque successores ad premissorum obseruanciam presentibus obligantes. Jtem prenominata jugera nobis a supradictis venditoribus ut predicitur resignata eisdem uenditoribus infeodum contulimus et conferimus a nobis iure feodali possidenda, ex nostra potestate manutentores siue portitores statuentes, uidelicet Gotfridum dictum Mitezze, et Cunradum de

[1]) A: *Vustat.* [2]) B: *Grûmbach.*

Vnstat, qui pro parte dictarum feminarum huiusmodi feoda manuteneant atque portent.

Jnsuper recognoscimus et constare uolumus vniuersis, quod prefati venditores Gotfridum Mitezze iamdictum, Cunradum de Vnstat, Heroldum de Tungersheim, et Wolfmarum dictum Ziechelin juniorem antedictis decano et capitulo fideiussores pro gwarandia eisdem super memorato predio secundum terre obseruatam hactenus consuetudinem de bonis proprietariis facienda volentes et infideiussionem huiusmodi grato animo consentientes obligarunt, sic quod si iidem decanus et capitulum aliquod infra ipsius gwarandie terminum impedimentum sustinuerint quominus possint predium superius nominatum utpote bona proprietaria libere possidere ipsi fideiussores ex parte ipsorum decani et capituli moniti debeant se indampnum prefatorum uenditorum more fideiussorio in ciuitate herbipolensi recipere donec impedimentum huiusmodi sit sopitum. Et si quempiam ipsorum fideiussorum durante dicto gwarandie termino cedere uel decedere contingat, predicti uenditores alium fideiussorem extunc infra dies quatuordecim in locum illius decedentis uel cedentis subrogabunt. Alioquin superstites fideiussores per decanum et capitulum predictos moniti in dampnum sepedictorum uenditorum se recipient in ciuitate predicta donec talis subrogacio consummetur.

Horum autem pretactorum testes sunt: Andreas de Gundoluingen prepositus orengowensis, Lupoldus de Wiltingen prepositus in Houge, Wolframus de Grùmbach prepositus noui monasterii, Gotboldus de Tungersheim, Heinricus Woluolt, Woluoldus filius illius, Eckardus dapifer de Rosseberg, Siboto de Heitingesuelt [1], Eckelinus de Houge, milites, Volkerus de Bernrode [2], Waltherus notarius noster, et plures alii fidedigni.

Jn quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem hanc paginam scribi fecimus, et nostro ac prelibati capituli sigillis euidencius roborari.

[1]) A: *Hettingesuelt?* [2]) B: *Berrode.*

Datum loco anno et die supra notatis, pontificatus nostri anno qvinto.

Ex utroque hujus documenti exemplari bina Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae sigilla fasciis membranaceis suspensa sunt.

XXXVIII.

1292, die 15. septembris.

Manegoldus episcopus ab Adelheidi vidua comitissa de Henninberg ejusque filiis castrum Tungeden marcis argenti 750 emit.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis presencium inspectoribus recognoscimus vniuersis tam presentibus quam futuris, nos apud nobilem matronam Adelheidim relictam quondam comitis Hermanni de Henninberg et . . liberos eiusdem castrum Tvngeden cum hominibus et vniuersis ac singulis suis attinencijs quesitis et non quesitis quocunque nomine censeantur pro septingentis et qvinquaginta marcis argenti (qualibet marca pro duabus libris et decem solidis hallensium conputata) emisse, aduocacia in Brende, decima in Hvndesvelt, que ad iamdictum castrum pertinuerant, et antiquis feodis que vulgariter manlehen dicuntur que ad dominium Henninberg pertinent dumtaxat exceptis.

De quibus siquidem marcis ipsi matrone liberisque eiusdem trecentas et quinquaginta libras hallensium in festo beati Michahelis proxime nunc venturo, jtem ad festum beati Martini centum et quinquaginta libras hallensium, jtem ad festum beati Andree apostoli centum marcas, jtem ad festum epiphanie domini centum marcas, jtem ad festum beate Walpurgis trecentas et quinquaginta marcas, que inquam festa inmediate se subsecuntur, soluere promisimus et promittimus per presentes. Sane [si] in solucione illarum centum et quinquaginta librarum hallensium in dicto festo Martini et illarum

centum marcarum in prefato festo Andree soluendarum siue in ambobus festis sev altero eorum fuerimus negligentes, prenominati matrona ac liberi sui omnia dampna que occasione huiusmodi retardate solucionis sustinuerint et que euidenter ostendere poterunt et docere de predictis trecentis et quinquaginta libris hallensium eis tunc in festo Michahelis persolutis penitus defalcabunt. Si uero in solucione illarum centum marcarum in festo epiphanie domini prefato soluendarum extiterimus negligentes, antedictum castrum extunc cum hominibus et pertinentijs suis vt predicitur non titulo empcionis sed nomine pignoris pro soluta ipsis matrone et liberis pecunia in nostra tenebimus potestate, promittentes vna cum honorabilibus viris Heinrico preposito, Arnoldo decano, Alberto scolastico, Lvpoldo de Wiltingen preposito in Houge, et Wolframo custode ecclesie nostre herbipolensis, item Theoderico de Hohinberg marschalco nostro, Sifrido de Lapide, et Iringo de Brenden, militibus et fidelibus nostris, qui id nobiscum promiserunt et promittunt, idem castrum cum hominibus et pertinentijs suis restituere libere antefatis matrone liberisque eiusdem quandocunque nobis iidem receptam a nobis pecuniam plenarie persoluerunt. Quam quidem castri restitucionem si extunc (quod absit) non fecerimus, prenominati praelati et milites moniti in dampnum nostrum in opido nostro Karlstat more fideiussorio tamdiu se recipient quousque castrum prelibatum cum hominibus et pertinentijs suis supradictis matrone et liberis eius fuerit libere restitutum. Porro si premissas centum marcas in festo epiphanie predicto dictis matrone et liberis suis persoluerimus, extunc in pignus prelibata empcio non transibit, et ipsis matrone suisque liberis saluum est idem castrum cum appendicijs suis infra hinc et pretactum festum beate Walpurgis et deinde ad xiiij dies proxime sequentes pro percepta a nobis pecunia sine vara reemere quandocunque, dummodo illud castrum suis et non aliorum velint vsibus applicare. Adiectum est eciam, quod si in festo Walpurgis supratacto et deinde infra xiiij dies se sequentes supradictis matrone et liberis illas trecentas et quinquaginta marcas non soluerimus, similiter dictum castrum cum suis attinencijs pignus nostrum et non empcio tunc exi-

stet, promittentes eisdem matrone et liberis suis id restituere sub modis et condicionibus supradictis quandocunque decreuerint et duxerint redimendum. Ceterum includimus hijs premissis, quod si dictum castrum a nobis (quod absit) per preliorum duriciam vel quemcunque alium modum euinceretur, ipsis matrone et liberis ipsius ad solucionem pretaxatarum marcarum quarum nondum solucio eis foret facta in terminis premissis nos et fideiussores nostros et capitulum sepefatos nichilominus presentibus obligamus. Jn qua quidem solucione si in ipsis terminis vel vno eorum fuerimus negligentes, prelibati fideiussores se modo prenotato recipient quoadusque ipsa solucio per nos fuerit adimpleta.

Jn quorum premissorum testimonium presens instrvmentum exinde conscribi, et nostro, sepedicte matrone, capituli, et fideiussorum predictorum sigillis fecimus roborari.

Nos quoque Adilheidis dei gracia matrona predicta recognoscimus publice protestando, vniuersa et singula prescripta ita esse, et ad eorundem obseruanciam sub modis et condicionibus pretactis nos presentibus obligamus, promittentes domino nostro episcopo sepedicto abhinc vsque ad epiphaniam domini proximam pro pueris nostris qui adhuc minores annis existunt nos velle caucionem facere conuenientem et ipso domino nostro episcopo et capitulo expedientem quam facere poterimus, quod iidem postquam ad annos pubertatis peruenerint premissam castri empcionem ratam et gratam habebunt, consensum eorum plenius adhibendo, huic quoque scripto sigillum nostrum presentibus apponentes.

Nos eciam Henricus prepositus, Ar(noldus) decanus, totumque capitulum ecclesie predicte recognoscimus, vniuersa supratacta de nostro scitu et consensu fore facta, et ad eorundem nos obseruanciam obligamus, in ipsorum testimonium sigillum nostri capituli presentibus appendentes.

Nos vero fideiussores predicti ad premissam fideiussionem sub modis et condicionibus prefatis nos presentibus obligamus, et in eiusdem obligacionis euidenciam sigilla nostra presentibus duximus appendenda.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo CC°. nonagesimo secundo, in octaua natiuitatis beate virginis, pontificatus nostri anno V^to., presentibus predictis fideiussoribus et alijs pluribus fidedignis.

Sigilla decem ex hoc documento fasciis membranaceis suspensa erant. Ea Manegoldi episcopi, capituli majoris ecclesiae herbipolensis, ALBERTI DE LEWENSTEIN scolastici, Lupoldi praepositi s. Johannis in Hange, WOLframi DE GRVNBAch thesaurarii, DIETRICI MILITIS DE HOHENBERC paene integra sunt. Illud Arnoldi decani magnam partem periit. Reliqua prorsus interiere.

XXXIX.

1292, die 26. septembris.

Manegoldo episcopo herbipolensi Chunradus burchgravius de Nurenberch junior — a Reinbotone episcopo eystetensi requisitus nuper et rogatus, ut super advocatia in Chungeshoven ad quem videlicet spectare de jure debeat veritatem quam sciat et audierit illi aperiat et exponat suis litteris — scribit, se juxta communem assertionem hominum terrae suae eam ad jus et dominium ecclesiae eystetensis pertinere ac pertinuisse credere ex antiquo, utpote qui nunquam aliud a senioribus suis audierit nec audiat, et de quo apud ipsum fuerit et sit publica vox et fama.

Datum Abenberch, anno domini M°. CC XCII, VI kalendas octobris.

Sigillum Chunradi praedicti fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

Has litteras ediderunt Hedreker et de Stillfried in monumentis zolleranis vol. II pag. 216.

XL.

1292, die 6. octobris.

Arbitrium latum in causa de munitionibus et possessionibus quas Boppo comes de Henninberg ab ecclesia wirziburgensi titulo feodali habuerat inter hanc ecclesiam et Otthonem longum marchionem brandenburgensem exorta.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis harum tenore litterarum recognoscimus et constare cupimus vniuersis presentibus et futuris, quod mortuo nobili viro quondam Boppone comite de Henninberg [1]) inter nos et nostram ecclesiam ex una et jllustrem principem dominum Otthonem [2]) longum marchionen de Brandenburg ex parte altera super municionibus et possessionibus que idem comes a dicta nostra ecclesia tenuerat dissensionis materia suscitata, tandem viro nobili Heinrico comite de Stahelberg et aliis fidelibus ipsius marchionis ac honorabili viro Heinrico preposito herbipolensi aliisque nostris amicis mediantibus ipsa dissensio decisa extitit amicabiliter in hunc modum.

Promittimus de consensu capituli nostri, domino marchioni prefato et heredibus eius conferre vniuersa et singula feoda quocumque nomine censeantur que nobiles viri quondam Hermannus et Boppo filius eius prefatus comites de Henninberg [1]) a nostra ecclesia possederant eo iure quo iidem comites illa tenuerunt possidenda.

Propter hoc idem dominus marchio promisit et promittit, nobis aut nostro successori vel nostro capitulo quatuor milia marcarum argenti, quarum quelibet pro terciodimidio talentorum hallensium conputabitur, se daturum. Pro quibus marcis idem marchio muni-

[1]) In altero hujus compositionis documento legimus: *Hennenberg.*
[2]) B: *Ottonem.*

ciones quatuor, videlicet castrum Kitzich cum opido, castrum Steinaha [1]), castrum Rotenstein, et opidum Kunegishoue [2]), quamlibet illarum municionum pro mille marcis, nobis vel nostro successori aut nostro capitulo obligabit. Ad quamlibet etiam illarum municionum centum marcarum argenti redditus ad estimacionem et taxacionem Conradi de Koburg [3]), Heinrici de Smeheim, Heinrici marschalci [4]) de Slusungen, et Sifridi de Lapide, militum, quos super hoc et quibusdam aliis infrascriptis arbitros siue arbitratores — adiuncto eisdem Friderico de Stahelberg canonico herbipolensi pro mediatore — utrimque elegimus, nobis ante festum sancti Martini proximum vel successori nostro aut nostro capitulo assignabit. Jpse quoque municiones statim debent in potestatem prepositi, Friderici de Stahelberg, Heinrici marschalci [4]), Sifridi de Lapide, predictorum, Theoderici de Hohinberg marschalci [4]) nostri, et Eberhardi de Maspach presentari. Qui sex illas tenebunt ad quatuor annos a festo Martini proximo continue se sequentes, ita sane quod si dominus marchio prefatus ipsas municiones infra ipsos annos infra quos est sibi licitum easdem simul vel diuisim secundum formam infra positam redimere non redemerit, illas ipsi sex nobis aut nostro successori vel nostro capitulo debeant presentare. Nosque vel successor noster et capitulum nostrum parati esse debemus, cum requisiti fuerimus, quamlibet earundem municionum pro mille marcis argenti iuxta formam restituere infrascriptam. Dominus quidem marchio habebit libertatem, ex premissis municionibus quamcumque voluerit vel omnes aut quotquot poterit infra primum pretactorum annorum ante festum sancti Martini redimendi. Jn qua redemptione ipse marchio inveniet omnes redditus ad talem vel tales municiones assignatos, exceptis expensis factis circa ipsius municionis vel municionum custodiam et edificia necessaria, que fieri debent de consilio castrensium duorum ex parte marchionis eligendorum. Sane si idem marchio illam municionem vel municiones post festum

[1]) B: *Steynaha.* [2]) B: *Cunegeshoue.* [3]) B: *Cunradi de Coburg.*
[4]) B: *marscalci.*

Martini redemerit, tunc redditus illius redempte municionis vel redemptarum municionum de precedenti anno cedent nobis aut nostro successori vel capitulo supradicto, nec eosdem redditus de illis marcis pro quibus ipsa municio vel municiones obligate extiterant tenebimur defalcare. Si uero ipse marchio illam municionem quam forte infra primum annum elegerit redimendam in ipso anno ante prenotatum festum non redemerit, tunc sex prenominati illam nobis aut successori nostro vel nostro capitulo presentabunt. Jtem nos vel noster successor aut capitulum nostrum habebimus potestatem denominandi et dandi ad redimendum ipsi marchioni secundam et terciam et quartam municionum premissarum.

Jtem domini de Stahelberg prelibati has litteras in eorum tenebunt potestate, donec marchio prefatus aut sui heredes a nobis amouerint actiones et impedimenta que nos in aliquibus dictarum municionum iam sustinemus vel siqua nos in illis contingeret sustinere, aut donec ipse marchio de aliis bonis suis nobis aut successori nostro et capitulo nostro illam restaurationem que vulgariter dicitur ein vrsaza fecerit iuxta estimacionem et taxacionem antedictorum quatuor arbitrorum, vel si iidem super ipsa vrsaza concordare nequiuerint mediatoris memorati. Alioquin si ipse marchio huiusmodi actiones et impedimenta non amouerit, vel vrsazam non fecerit, ipse marchio et fideiussores tot quot iidem arbitri vel mediator eorum denominandos duxerint opidum Munrichstat intrabunt, more fideiussorio in illo permansuri donec illorum alterum effectui mancipetur.

Porro homicidia et dampna in treugis [1]) facta conmissa sunt eisdem arbitris et mediatori decidenda.

Ad obseruanciam autem premissorum successorem nostrum, si nos ante consummacionem pretactorum cedere vel decedere contingat, de consensu nostri capituli presentibus obligamus.

In quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem hanc paginam nostro et ipsius capituli sigillis roboramus.

[1]) A: *trougis.*

Actum apud Swinvurthe [1]). Datum uero apud Herbipolim, anno domini M°·CC°· nonagesimo secundo, pridie nonas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

[1]) B: *Swinfurthe.*

Ex uno hujus arbitrii documento sigilla Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae fasciis membranaceis suspensa sunt. Ex altero eadem suspensa quidem erant, sed illud Manegoldi episcopi periit.

Documentum hoc arbitrium spectans ab Ottone et Hermanno marchionibus brandenburgensibus die 13 mensis maji anni 1293 datum est.

XLI.

1292, die 9. octobris.

Amicabilis compositio facta in causa de decimis in marcha villae Espenvelt solvendis inter Nycolaum s. Galli vicarium et Heinricum Weibelarium civem herbipolensem exorta.

Nos Heinricus de Wehmar prepositus et archidiaconus herbipolensis, et Wolframus de Linach eiusdem ecclesie canonicus ad vniuersorum noticiam volumus peruenire, quod — cum Nycolaus vicarius sancti Galli herbipolensis Heinricum Weibelarium ciuem herbipolensem traxisset in causam coram . . decano ecclesie fuhtwangensis, judice sedis apostolice, pro solucione decimarum de quinquaginta agris campestribus sitis in marcha ville Espenvelt, quas decimas predictus Heinricus soluere neglexerat per plurimos annos, idemque H(einricus) exigente sua contumacia per eundem jvdicem fuisset exconmunicacionis vinculo innodatus, pluribus aggrauacionibus subsecutis — tandem predicte partes, videlicet actor et reus, in nos tamquam in amicabiles conpositores [conpromiserunt], promittentes hincinde fideidacione stare arbitrio nostro et conposicioni.

Nos vero tamquam amicabiles conpositores amicabiliter conponendo et diffiniendo pronunciamus, quod omnis actio inter predictas partes cessare debet, et quod H(einricus) Weibelarius dare debet ipsi domino Nycolao vnum maldrum siliginis inpresenti, et perpetuo tam ipse H(einricus) quam omnes sui heredes siue successores soluere debent quolibet anno predicto domino Nycolao et omnibus suis successoribus tempore messium de quinquaginta agris de quibus predicitur decimam, contradictione qualibet procul-mota. Et ad solucionem ipsius decime jdem H(einricus) pro se et suis heredibus fideidacione obligauit.

Verum quia idem dominus Nycolaus actionem consimilem mouebat domine Elyzabet relicte quondam Ottonis aduocati de Espenuelt et eius filiis Ottoni et Hildebrando super decima non soluta de quinquaginta agris in eadem marcha sitis, prefata domina Elyzabet cum suis liberis Ottone et Hildebrando fideliter promiserunt, fideidacione interueniente, quod de cetero tam ipsi quam ipsorum successores tempore messium exsoluant predicto domino Ny(colao) et eius successoribus sine diminucione omnem decimam que euenire poterit de quinquaginta agris superius nominatis, et vnum maldrum siliginis dabunt tempore inpresenti.

Huius conposicionis testes: dominus Andreas de Gundeluingen prepositus orengowensis, dominus Lupoldus de Wiltingen prepositus in Houge, Eberhardus de Tunuelt, concanonici nostri, dominus Hermannus de Espenuelt cantor noui monasterij et patruus ipsorum, dominus Hermannus de Crutheim, dominus Berolfus succentor, vicarij maioris ecclesie, magister Karulus, Sifridus notarius dominj H(einrici) prepositi predicti, et Cunradus pater ipsius dominj Nyco(lai), et plures alij.

Vt igitur hec conposicio rata et inviolabiliter perpetuo obseruetur, sigilla nostra vna cum sigillis videlicet . . officialis curie herbipolensis et predicti Ottonis de Espenuelt presentibus sunt appensa.

Acta sunt hec anno dominj M°·CC°·LXXXX secundo, in die sanctorum martyrum Dyonisij et sociorum eius.

Ex utroque hujus compositionis amicabilis documento quaterna sigilla, Henrici de Wechmar, Wolframi de Linach, officialis curiae herbipolensis, OTTONIS DE ESPENuelT, fasciis membranaceis suspensa sunt, hinc inde laesa.

In altero hujus documenti exemplari locum „*dominus Berolfus succentor (et) vicarij maioris ecclesie*“ non invenimus.

Litteras citationum in hac causa per Sifridum decanum ecclesiae fuchtwangensis praedictum die 10 mensis aprilis anni 1291 datas supra sub num. XXIX 1 et 2 pag. 48 et 49 edidimus.

XLII.

Anno 1292.

Synodus dioecesana a Manegoldo episcopo Herbipoli celebrata.

Ejus statuta „omnibus animas regentibus valde necessaria et utilia“ per Manegoldum episcopum anno 1298 in plena synodo de consilio praelatorum et assensu de novo edita sunt.

XLIII.

1292, die 13. novembris.

Mangoldus episcopus universo civitatis et dioecesis herbipolensium clero mandat, ne fratres praedicatores modo ullo molestet.

Mangoldus dei gracia herbipolensis episcopus vniuersis decanis camerariis rectoribus plebanis viceplebanis ceterisque cleri-

cis vniuersis per ciuitatem et dyocesim herbipolensem constitutis salutem in domino sempiternam.

Non sine graui querela dilectorum nobis in Christo fratrum predicatorum percepimus. quod non nulli sacerdotes ac alii clerici occasione quorundam statutorum nuper in nostra synodo editorum ipsos verbis et factis, dei timore postposito et hominum verecundia ultroiecta, multipliciter agrauant et molestant, licet per publicacionem eorundem statutorum ipsorum priuilegiis et iuribus non credamus aliqualiter derogatum.

Quare vniuersis vobis et singulis jn virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis firmiter et districte precipimus et mandamus, quatenus prefatos fratres cum ad uos venerint benigne pertractare curetis, nec ipsos in sermonibus faciendis confessionibus audiendis missis dicendis et testamentis sev elemosinis quacumque eis pia fidelium deuocione donentur [1]) et similibus contra obseruatam hactenus consuetudinem secundum exempcionum et priuilegiorum suorum tenores a sede ipsis apostolica indultorum presumatis verbis vel factis aliqualiter molestare, scientes quod ipsis dedimus potestatem citandi coram nobis vel nostro officiali omnes illos qui contra hoc nostrum mandatum ipsos in aliquo ausi fuerint perturbare, quos eciam pena condigna secundum ipsorum excessuum merita decreuimus percellendos, vt pena docente discant quam sit durum mandatis pontificalibus rebellare.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo secundo, in die sancti Bricii confessoris.

[1]) In documento ipso scriptum est: *donetur*.

Manegoldi episcopi sigillum ex hoc mandato fascia membranacea suspensum est.

XLIV. 1.

1292, die 13. novembris.

Compositio amicabilis facta in dissensione de castro et dominio Trimperg inter ecclesiam herbipolensem et Conradum de Trimperg exorta.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis ad vniuersorum tam presentium quam postfuturorum noticiam cupimus peruenire, quod inter Conradum de Trimperg virum nobilem ex vna et nos ac nostram ecclesiam ex parte altera super castro et dominio Trimperg, que vir nobilis quondam Conradus de Trimperg pater dicti Cůnradi et nobilis matrona Adelhaidis [1]) mater eiusdem coadunata manu pari voto recolende memorie domino quondam Bertholdo episcopo predecessori nostro sponte ac libere resignantes dicte ecclesie nostre donarant, dissensionis dudum materia ventilata, tandem eadem dissensio per compositores amicabiles, nostro et predicti Conradi filii ad hoc accedente consensu, decisa extitit in hunc modum.

Jdem Conradus castro et dominio prefatis, ac vniuersis ipsius dominii pertinentiis, videlicet hominibus villis centis judiciis agris vineis siluis pratis piscariis pascuis campis aquis et aliis quocunque nomine censeantur, libere et expresse sub juramento suo publice tunc prestito renunciauit simpliciter et precise, ita quod sibi nunquam ad illos ius aliquod competere debeat aut suis heredibus, vel quod ipse pro illis non debeat contra nos vel successores nostros aut ecclesiam nostram mouere aliquam actionem, saluis sibi militibus et militaribus ad dictum dominium spectantibus, qui ipsi tenebuntur deinceps vtpote eorum domino si ipse hoc voluerit famulari.

[1]) Nomen „Adelhaidis“ spatio prima manu vacuo relicto altera manu inscriptum est.

Jnmo specialiter renunciauit castro et opido Arnstein ac judicio necnon cente ac omnibus aliis ibidem, vt in illis nichil iuris vel agere vel disponere habeat, aut pretendere jurisdictionem aliquam vel eciam exercere, sed omne ius quod predictus quondam Conradus pater suus in eisdem habuisse dinoscitur nobis et ecclesie nostre remanebit iure proprietatis libere possidendum sev quasi eciam possidendum. Jpse quoque nobilis ratum et inpermutabile tenebit, quicquid dictus noster predecessor de feodis illis que manlehen dicuntur ad prefatum dominium pertinentibus contulit obligauit vel distraxit, vel nos contulimus obligauimus aut distraximus ad hunc diem quo hec littera est concepta. Possessores autem eorundem feodorum iam debent recognoscere, se ipsa feoda ab ipso nobili possidere. Et idem eadem feoda que cum militibus et militaribus prefatis a nostra ecclesia tenere dinoscitur, postquam ipsa feoda vacauerint, conferet tamquam dominus feodorum.

Nos eciam in recompensam renunciacionis huiusmodi eidem nobili, quem in nostrum et ecclesie nostre obsequium modis quibus possumus trahere aspiramus, opidum nostrum Bischoffesheim, castrum in eodem opido iuxta aream cimiterii situm, omnia alia loca infra septa ipsius opidi constituta, cum inhabitatoribus eiusdem opidi, siluam que vocatur der vorst ipsi opido attinentem, piscarias in ipsa silua, et centum librarum hallensium redditus quos sibi de redditibus nostris quos extra dicta septa viciniores ipsi opido habemus assignabimus pro octingentis marcis argenti, quarum quelibet pro terciadimidia libra hallensium computabitur, in feodum de consensu nostri capituli expresso contulimus et conferimus tytulo feodi possidendos, ita sane quod ipse nobilis de dicta silua nichil vendat, sed ad structuras et vsus ignium illis vtens eam in fomento et libertate teneat quibus illam dinoscuntur herbipolenses episcopi tenuisse, quodque nobis vel nostris successoribus aut nostro capitulo salua libera sit facultas, opidum siluam et redditus pretactos pro octingentis marcis argenti quandocunque nobis vel illis oportunitas affuerit reemendi.

Jn antedicta compositione eciam est hoc tactum, quod si ipse nobilis aliquas expensas ad structuras ipsi opido — extra quod

nullam structuram erliget vel faciet — de scita et consilio Heinrici marscalci de Slusungen et Theoderici de Ertal militum, quos vtrimque ad hoc elegimus, necessarias fecerit, illas ipsi nobili refundamus. Qui milites vel eorum alter si ante predictam decesserint reemptionem, alii vel alius in locum illorum decedentium vel decedentis debent subrogari.

Huic quoque composicioni non pro minimo est adiectum, quod omnes illi qui tempore Conradi patris prefati castrenses in Trimperg fuerunt debeant sub nobis vel successoribus nostris sicut sub eodem Conrado sua feoda castrensia et alia bona que ibidem habere dicuntur libere possidere, excepto Conrado de Westheim juniore, cuius feodum castrense quod idem in Trimperg vel in montibus inibi habere dicitur cum bonis nostris debemus si voluerimus conmutare. Quod si non fecerimus, ipse Conradus idem feodum libere possidebit, sic vt ipse ad prelibatum castrum Trimperg non accedat, nec in illo habeat residentiam personalem.

Castrenses itaque ad supradictum opidum [1]) pertinentes debent vice uersa feoda sua castrensia et alia bona que intra vel extra idem opidum habuerint ea libertate qua apud herbipolenses episcopos illa possederunt apud dictum nobilem quiete et libere possidere vsque ad tempus illud quo fuerit reemptio de qua predicitur celebrata.

Nouissime vero fauorabiliter protestamur, quod — compositione amicabili inter nos et memoratum nobilem celebrata — vniuersis et singulis qui ipsi nobili in supratacta dissensione astiterunt omnem maliciam contra nos et nostram ecclesiam in ipsa dissensione attemptatam ex cordis nostri intimis relaxamus, successores nostros ad obseruantiam premissorum de consensu prenominati capituli obligantes.

In quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem hanc paginam nostro et eiusdem capituli sigillis duximus roborandam.

[1]) In carta a Conrado domino de Trimpberg de hac compositione amicabili data legimus: *opidum Bischoffesheim.*

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo secundo, in die beati Brictii episcopi, pontificatus nostri anno quinto.

Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis sigilla ex hac compositione fasciis membranaceis suspensa sunt.

XLIV. 2.

1292, die 13. novembris.

Alterum hujus compositionis amicabilis documentum a Conrado domino de Trimpberg datum ejusdem tenoris nisi quod quae circa personas mutanda erant mutata sunt exstat.

Datum anno domini M°·CC°· nonagesimo secundo, in die Brictii episcopi.

Manegoldi episcopi et CONRADI DE TRIMBERTH sigilla itidem fasciis membranaceis suspensa sunt.

XLV.

1292, die 14. decembris.

Manegoldus episcopus domui Teutonicorum herbipolensi pro sublevandis damnis in occupatione reddituum sex marcarum argenti annuorum de teloneo in Sande competentium ipsi illatis id teloneum pro tempore assignat.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum tenore litterarum recognoscentes publice notum fieri cupimus sin-

gulis et vniuersis, quod — licet nos viris religiosis .. conmendatori et fratribus domus sancte Marie Teuthonicorum herbipolensis illos sex marcarum argenti redditus annuos eisdem .. conmendatori et fratribus de theloneo nostro in Sande conpetentes iam per biennium, utpote de ipsorum jure tunc minus certi, fecerimus occupari, nos tamen de ipsorum conmendatoris et fratrum jure nunc demum plenius informati — eisdem memoratum theloneum cum eius pertinentiis omnibus ac vsufructibus in hiis litteris assignamus, vt de ipso theloneo sicut hactenus ita et nunc pro instanti in quo iam sumus anno et deinde singulis sequentibus annis primo et principaliter sex marcas argenti pro redditibus annuo eis debitis recipiant. Residuum autem quod fuerit predictis .. conmendatori et fratribus similiter assignamus in solucionem illarum duodecim marcarum ipsis per supradictum biennium subtractarum, et etiam in solucionem illarum quatuordecim librarum denariorum pro quibus iidem conmendator et fratres dictum theloneum apud Irringum jnstitorem per nos obligatum liberarunt integre percipiendum. Et nos quidem nullum vnquam in magno aut modico de ipso theloneo vsufructum nos promittimus percepturos, nisi prius dicti .. conmendator et fratres de iam nominata argenti et denariorum summa per omnia sint pagati.

Quibus plene ad conputacionem de recipiendis huiusmodi coram curie nostre scriptore suis faciendam temporibus pagatis, quidquid extunc annuatim de prefato theloneo ultra illas sex marcas sepedictis .. conmendatori et fratribus primo et principaliter ut premittitur pro redditibus annuis dandas superfuerit, vsibus nostris cedet, saluis nichilominus et nobis et supradictis conmendatori et fratribus pactis clausulis et condicionibus in jnstrumentis super memoratis redditibus aliâs confectis specialiter declaratis.

Jn quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem hanc paginam nostri sigilli karactere roboramus.

Actum et datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo secundo, jn crastino Lucie virginis, pontificatus nostri anno quinto.

Sigillum Manegoldi episcopi fascia membranacea suspensum est.

XLVI.

1293, die 20. januarii.

Manegoldus episcopus decimam et redditus in villa Brumen a feodi nexu liberata domui teutonicae in Münrichestat donat, vinetum juxta villam Straluggen a Johanne et Ottone fratribus de Salzperg recipiens iisque titulo feodali conferens.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum tenore litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod Johannes filius quondam aduocati .. de Salzperg fidelis noster in nostri presentia constitutus sponte ac libere recognouit, se et Ottonem fratrem suum mediam partem decime in villa Brunnen, quam ijdem a nobis et ecclesia nostra in feodo possederant, dilectis in Christo .. commendatori et fratribus theutonice domus in Münrichestat cum redditibus in ipsa villa Brunne sitis annis singulis XVIII solidos hallensium soluentibus similiter a nobis in feodo procedentibus vendidisse. Idem quoque Johannes — eandem decime medietatem et ipsos redditus pro se et fratre suo predicto in manibus nostris resignans — cum instantia postulauit, vt quatuor jugera vineti sita iuxta villam Straluggen XII marcas argenti valentia, que ad ipsos fratres tytulo proprietatis spectarant, ab ipsis recipere ac eadem eis infeodum conferre, et medietatem prefate decime necnon redditus commendatori et fratribus predictis donare inproprium curaremus.

Nos itaque precibus ipsorum venditorum fauorabiliter inclinati, considerantesque ex reconpensa dictorum jugerum nostre ecclesie condicionem posse fieri meliorem, decime medietatem et redditus supradictos ab honere siue jure feodi penitus eximimus et exemptos pronunciamus, commendatori et fratribus prelibatis inproprium donauimus tradidimus et donamus jure proprietatis perpetim possidendos, a nobis nostrisque successoribus omne jus quod in medie-

tate predicte decime et redditibus predictis nobis conpetebat penitus abdicantes, illos in commendatorem et fratres prenominatos ac eorum ecclesiam cum pleno rerum dominio transferentes. Prenominata autem jugera a dictis venditoribus nobis ut premissum est resignata eisdem infeodum contulimus et conferimus jure feodi possidenda.

Ne autem predicto commendatori ac fratribus suis in Münrichestat in appropriacione pretacte decime et reddituum prescriptorum aliquid depereat, obinde predicti venditores — scilicet Johannes et Otto — dominum Eberardum de Maspach, dominum Ghysonem de Steyna, dominum Yriggum de Brende, milites, obligarunt eisdem fideiussoria cautione.

Huius rei testes sunt: dominus Albertus miles dictus Knürlin, Otto Sleten, Hermannus Ekkerici, Bertoldus Prelo, Conradus Kluffel, et tres fideiussores milites prenotati.

In quorum omnium premissorum testimonium presentem paginam sigilli nostri patrocinio roboramus.

Datum Herbipoli, anno domini M°CC° nonagesimo tercio, in die sanctorum Fabiani et Sebastiani martyrum, pontificatus nostri anno quinto.

Managoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

XLVII.

1293, die 1. februarii.

Litterae de canonicis in ecclesia wirziburgensi ad praebendas 2 vacantes et 23 vacaturas electis datae.

In nomine domini amen.

Nos Heinricus de Wechmar prepositus, Arnoldus de Spiezheim decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis

harum tenore litterarum publice recognoscimus vniuersis, quod nos — defectum personarum deo et sanctis in ecclesia nostra seruire debencium propensius attendentes — de reuerendi in Christo patris ac domini nostri Manegoldi episcopi herbipolensis voluntate expressa, ac nostrum vniuersorum et singulorum vnanimi accedente consensu, eligimus sex viros arbitros, videlicet dominos Heinricum prepositum, Arnoldum decanum, predictos, Fridericum de Hohemburg portenarium, Wernherum de Tannemberg cantorem, Andream de Gundeluingen prepositum orengouwensem, Albertum de Lewenstein scolasticum, Ludewicum de Hohemberg, et Gotteboldum de Walhusen, ecclesie nostre canonicos, quibus plenam damus potestatem eligendi viginti tres canonicos in herbipolensi ecclesia nostra ad prebendas vacaturas vel ad eas sique fuerint iam vacantes; ita tamen quod ipse persone eligende sint habiles et ydonee secundum ecclesie nostre consuetudinem hactenus a multis retroactis temporibus laudabiliter obseruatam: videlicet quod aut sint sacri imperij romani vel ecclesie nostre ministeriales, aut ex utraque linea sue parentele liberi, aut alias de sublimiori utpote principum vel magnatum sanguine procreati; et quod ijdem in canonicos recepti statim prebendas quas obtinent in ecclesiis non kathedralibus resignent, venientes ad ecclesiam nostram ab eisdem vacui penitus et soluti; jtem quod ipsi infra hinc et festum beate Walpurgis nunc proximum nostro capitulo in personis propriis se presentent; hiis qui in studio generali morantur exceptis, quibus ad presentandum se infra annum dimidium postquam de studio reuersi fuerint terminum assignamus.

Nos quoque vniuersi ac singuli supradicti exnunc expresse promittimus, quod illas personas recipiemus et exnunc hiis in scriptis recipimus in canonicos et in fratres quas predicti sex arbitri duxerint secundum formam electionis prehabitam eligendos.

Porro nos arbitri electores supradicti de plenitudine potestatis et auctoritatis nobis a capitulo nostro prelibato in hac parte tradite et conmisse ad peticionem venerabilis patris et domini nostri Manegoldi episcopi herbipolensis Gotfridum filium Got-

fridi nobilis de Brûnecke eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei primam prebendam vacantem ex morte . . iunioris de Hûrnheim assignamus.

Ad peticionem primariam serenissimi domini nostri Adolfi Romanorum regis Gotfridum de Eppenstein archidiaconum treuerensem eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei secundam prebendam vacantem ex morte domini Rûdolfi de Hurnheim decani assignamus.

Ad peticionem domini Heinrici de Wechmar prepositi Heinricum filium fratris sui eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei terciam in numero prebendam sed primam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Arnoldi de Spiezheim decani Ottonem natum jllustris principis Heinrici lantgrauii et domini terre Hassie eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei secundam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem reuerendi patris ac domini nostri Manegoldi episcopi predicti Heinricum natum nobilis viri quondam Hermanni comitis de Hennenberg eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei terciam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem eiusdem domini nostri Manegoldi episcopi Albertum natum Alberti nobilis de Ebersberg eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei quartam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Lamperti de Glichen archidiaconi Ottonem natum nobilis viri . . comitis de Orlamunde eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei quintam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Friderici de Hohemburg portenarij Heinricum filium fratris sui eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei sextam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Wernheri de Tannemberg cantoris Heinricum filium fratris sui eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei septimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Hermanni de Bastheim Theodericum de Karlburg eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei octauam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Andree de Gundelwingen prepositi orengauwensis Degenhardum Heilnstein eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei nonam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Wolframi de Linach Heinricum de Veimingen eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei decimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Alberti de Lewenstein scolastici et archidiaconi Gotfridum natum quondam Gotfridi nobilis de Hohenloch eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei vndecimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Arnoldi de Vssenheim Luppoldum de Grindelach eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei duodecimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Luppoldi de Wiltingen prepositi in Hauge Heinricum de Seldenecke eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et tredecimam prebendam vacaturam assignamus eidem.

Ad peticionem domini Ludewici de Hohemberg Ottonem de Wechmar eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei quartamdecimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Sibotonis Liehtemberg prepositi sancti Widonis in Spira Waltherum fratrem domini Alberti de Talheim concanonici nostri eligimus in canonicum et in

fratrem herbipolensis ecclesie, et ei quindecimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Hermanni Liebesberg Engelhardum pincernam de Erpach eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei sedecimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Luppoldi de Grindelach prepositi babembergensis Cunradum dictum Munich eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei decimamseptimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Wolframi de Grumbach custodis prepositi noui monasterii Heinricum filium pincerne de Rosseberg eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei decimamoctauam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Heinrici de Rannemberg archidiaconi Gerhardum filium sororis sue eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei nonamdecimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Friderici de Stahelberg .. filium .. fratris sui comitis de Stahelberg eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, [et ei] vicesimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem domini Arnoldi decani . . cognatum cantoris domini de Tannemberg eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei vicesimamprimam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem nobilis viri Kroftonis de Hohenloch Ottonem filium comitis de Flugelowe eligimus in canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei vicesimam secundam prebendam vacaturam assignamus.

Ad peticionem serenissimi domini nostri Adolfi Romanorum regis . . filium magistri coquine de Nortemberg eligimus in

canonicum et in fratrem herbipolensis ecclesie, et ei vicesimamterciam prebendam vacaturam assignamus.

Acta sunt hec anno domini M°·CC°· nonagesimo III°, in vigilia purificacionis Marie virginis gloriose, in loco capituli ecclesie supradicte.

Sigillum capituli ecclesiae majoris herbipolensis ex hoc documento fascia membranacea suspensum est.

XLVIII.

1293, die 22. februarii.

Ecclesiae wirziburgensis privilegium de civitate in loco Ippehoven construenda concessum.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum tenore litterarum recognoscimus vniuersis presentibus et futuris, quod nos — tranquillitati et vtilitati ciuium nostrorum de Ippehouen propter magna et grata ipsorum seruicia nobis et ecclesie nostre plerumque impensa prouidere quantum possumus intendentes — de consensu et bona voluntate honorabilium virorum Heinrici prepositi, Arnoldi decani, et capituli nostri acceptauimus et acceptamus, quod ijdem ciues nobis aut successoribus nostris vel ipsi capitulo si sedem nostram vacare contingeret tantum in octuaginta libris hallensium et decem karratis vini conmunis ad quatuor annos a data huius littere currentes pro omnibus juribus, saluis herbergis, nobis ad ipsos ciues conpetentibus deseruire teneantur, vt propter hoc in loco Ippehouen ciuitatem construere (incipiendo eandem structuram in festo sancti Martini venturo proxime) et ipsam ciuitatem in fossatis muris turribus et propugnaculis pro facultate rerum suarum iuxta taxationem et consilium . . notarii curie nostre, Eckehardi de

Rosseberg dapiferi nostri, Heinrici et Friderici dictorum Kilholce, aduocatorum nostrorum, firmare in predictis annis et eciam in infrascriptis annis teneantur. Predictarum vero librarum medietatem ipsi ciues in festo sancte Walpurgis, reliquam in festo sancti Martini, et vinum predictum in autumpno nobis aut successoribus nostris vel capitulo nostro dare in prefatis quatuor annis singulis tenebuntur.

Similiter eciam acceptauimus et acceptamus, quod — postquam ipsi anni finierint cursum suum — ipsi ciues per sex annos immediate post ipsos quatuor annos intrantes nobis aut nostris successoribus vel nostro capitulo in libris hallensium tantum centum et decem karratis vini deseruiant, saluis nobis herbergis superius declaratis. Quarum quidem librarum ipsi ciues octuaginta libras et vinum in expressis terminis nobis dabunt. Residuas vero XX^{ti} libras ipsi ciues ad firmandam dictam ciuitatem in quolibet prelibatorum sex annorum conuertere tenebuntur. Quibus sex annis finitis, deinceps singulis annis nobis aut nostris successoribus vel nostro capitulo centum libras hallensium dabunt tantum, saluis herbergis nobis superius nominatis.

Dictam autem structuram XX^{ti} IIII^{or} pociores ex ipsis ciuibus in prefato sancti Martini festo instaurare et promouere nobis pro se et suis conciuibus fideliter promiserunt.

Preterea maiori vtilitati eorundem ciuium prouidere prouide cupientes, Michelmannum judeum procuratorem et dispensatorem super ipsam structuram statuimus, et sibi eandem duximus attentius conmittendam. Jpsumque Michelmannum, vt eo studiosius et feruentius eidem possit insistere procurationi, ab omnibus precariis exactionibus sturis nobis dandis et seruiciis quocunque nomine censeantur nobis faciendis ad quatuor annos a data huius littere numerandos eximimus liberamus releuamus, exemptum liberatum et releuatum publice nunciamus. Expletis autem illis quatuor annis, extunc idem judeus iuxta quod predicti taxatores decreuerint nobis seruire tenebitur annuatim. Jnsuper promittimus, vt — quacunque hora die vel tempore ipse judeus a memorata ciuitate cum familia

sua et rebus suis recedere voluerit — ipsum et eandem familiam cum rebus eorum quibuscunque conduci ab eadem ciuitate ad quinque miliaria per nostros officiatos et homines procuremus, successores nostros ad obseruantiam premissorum de consensu predicti capituli obligantes.

In quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem hanc paginam nostro et ipsius capituli sigillis fecimus roborari.

Datum anno domini M°·CC°· nonagesimo tercio, in festo kathedre Petri, pontificatus nostri anno quinto.

Sigilla duo praedicta fasciis membranaceis ex hoc privilegio suspensa sunt.

XLIX.

1293, mense maio ineunte.

Hospitale s. Theoderici Alberto apothecario et Eberlino ejus socio domum quandam jure hereditario inhabitandam et possidendam confert.

Nos Arnoldus de Spiezsheim decanus et archidiaconus herbipolensis, gubernator hospitalis infirmorum sancti Theoderici, presenti scripto recognoscimus vniuersis, quod accedente consensu fratrum ipsius hospitalis contulimus et hiis in scriptis conferimus Alberto apothecario et Eberlino socio eius et cuilibet eorum in solidum, ac omnibus ipsorum heredibus domum quam dicta Meizzerin quondam inhabitabat, spectantem ad ipsum hospitale, iure hereditario inhabitandam pariter et possidendam, ita sane quod ipsi hospitali dare et soluere debent quolibet festo quatuor temporum quinque solidos denariorum herbipolensium et in carnispriuio duos pullos singulis annis census nomine annualis.

Verum quia vigintiduo denarii dantur quolibet anno de area ipsius domus, eosdem denarios dare et soluere debent fratres supra dicti hospitalis tempore deputato. In quo si negligentes fuerint, prelibati inhabitatores ipsos denarios dabunt, et ipsos denarios de illa libra denariorum ut predictum est quam tenentur soluere defalcabunt.

Licitum est eciam ipsis, ius suum hereditarium si voluerint vendere, et alias facere prout de bonis hereditariis hactenus est consuetum, iure sepedicti hospitalis per omnia saluo.

Huius rei testes sunt: Theodericus frater noster, Blůmelinus, concanonici nostri, dominus Hermannus de Crutheim, dominus Johannes sacerdos eiusdem hospitalis, Dietherus de Erenberg, Willehelmus notarius noster, Woluelinus Houegreue, Heinricus de Gruzzen, Vritzo Gyrlin, Cvnradus Gyrlin, institores, Johannes et Thomas apothecarij, Heinricus dictus Seilere, et plures alij.

In cuius rei testimonium presentes ipsis damus litteras, sigillorum nostri videlicet et supra dicti hospitalis muniminibus roboratas.

Datum anno domini M°.CC°.LXXXX tercio, in diebus rogacionum.

Sigilla duo modo dicta fasciis membranaceis suspensa sunt.

L.

1293, die 13. maji.

Compositio amicabilis facta in causa de munitionibus et possessionibus quas Boppo comes de Henninberg ab ecclesia wirziburgensi tenuerat inter hanc ecclesiam et Ottonem ejusque filium Hermanum marchiones brandenburgenses exorta.

Nos Otto dei gratia et Hermanus filius eiusdem marchiones de Brandenburg harum tenore litterarum recognoscimus et

constare cupimus vniuersis presentibus et futuris, quod mortuo nobili viro Boppone quondam comite de Henninberg inter nos ex vnâ et venerabilem patrem dominum Manegoldum episcopum herbipolensem et suam ecclesiam ex parte altera super munitionibus et possessionibus quas idem comes a dicta ecclesia tenuerat dissensionis materia suscitata, tandem viro nobili Heinrico comite de Stahilberg et aliis fidelibus nostris ac honorabili viro Heinrico preposito herbipolensi aliisque ipsius ecclesie fidelibus et amicis mediantibus ipsa dissensio decisa extitit amicabiliter in hunc modum.

Promisit dominus episcopus predictus de consensu sui capituli, nobis et heredibus nostris conferre vniuersa et singula feoda quocunque nomine censeantur que viri nobiles quondam Hermannus et Boppo filius eius prefatus comites de Henninberg ab ecclesia herbipolensi possederant eo jure quo ijdem comites illa tenuerunt possidenda.

Propter hoc nos promisimus et promittimus, domino episcopo prefato aut successori suo vel suo capitulo quatuor milia marcarum argenti, quarum quelibet pro terciodimidio talentorum hallensium conputabitur, nos daturos. Pro quibus marcis nos munitiones quatuor, videlicet castrum Kitziche cum opido, castrum Steinach, castrum Roetinstein, et opidum Kvnegeshoven, quamlibet illarum munitionum pro mille marcis argenti, eidem domino episcopo vel suo successori aut suo capitulo obligamus. Ad quamlibet eciam illarum munitionum centum marcarum argenti redditus ad estimationem et taxationem Conradi de Koburg, Heinrici de Smeheim, Heinrici marscalci de Slusungen, et Sifridi de Lapide, militum, quos super hoc et super quibusdam aliis infrascriptis arbitros siue arbitratores — adiuncto eisdem domino Friderico de Stahilberg canonico herbipolensi pro mediatore — vtrimque elegimus, sibi ante festum sancti Martini proximum vel successori suo aut suo capitulo assignabimus. Ipse quoque munitiones statim debent in potestatem domini prepositi, domini Friderici de Stahilberg, Heinrici marscalci, Sifridi de Lapide, predictorum, Theoderici de Hohinberg marscalci ipsius domini episcopi,

et Eberhardi de Maspach presentari. Qui sex illas tenebunt ad quatuor annos a festo Martini proximo continue se sequentes, jta sane quod si nos ipsas munitiones infra ipsos annos infra quos est nobis licitum easdem simul vel diuisim secundum formam infrapositam redimere non redimerimus, illas ipsi sex prefato domino episcopo vel suo successori aut suo capitulo debeant presentare. Jpse quoque dominus episcopus vel successor suus et capitulum suum parati esse debent, cum requisiti fuerint, quamlibet earundem munitionum pro mille marcis argenti iuxta formam restituere infrascriptam. Nos quidem habebimus libertatem, ex premissis munitionibus quamcunque voluerimus vel omnes aut quotquot poterimus infra primum prefatorum annorum ante festum sancti Martini redimendi. Jn qua redemptione nos inueniemus omnes redditus ad talem vel tales munitiones assignatos, exceptis expensis factis circa ipsius munitionis vel munitionum custodiam et edificia necessaria, que fieri debent de consilio castrensium duorum ex parte nostra eligendorum. Sane si nos illam munitionem vel munitiones post festum Martini redimerimus, tunc redditus illius redempte munitionis vel redemptarum munitionum de precedenti anno cedent domino episcopo aut suo successori vel capitulo supradicto, nec eosdem redditus de illis marcis pro quibus ipsa munitio vel munitiones obligate extiterant tenebitur defalcare. Si vero nos illam munitionem quam forte infra primum annum elegerimus redimendam in ipso anno ante prenotatum festum non redemerimus, tunc sex prenomitati illam domino episcopo aut suo successori vel suo capitulo presentabunt. Jtem dominus episcopus vel suus successor aut capitulum suum habebunt potestatem denominandi et dandi ad redimendum nobis secundam et terciam et quartam munitionum premissarum.

Jtem domini de Stahilberg prelibati has litteras in eorum tenebunt potestate, donec nos aut nostri heredes a domino episcopo amouerimus actiones et impedimenta que ipse in aliquibus dictarum munitionum iam sustinet vel siqua ipsum in illis conti(n)geret sustinere, aut donec nos de alijs bonis nostris domino episcopo aut successori suo vel suo capitulo illam restaurationem que vulgariter dicitur

ein vrsaza fecerimus iuxta estimationem et taxationem antedictorum quatuor arbitrorum, vel si ijdem super ipsa vrsaza concordare nequiuerint mediatoris memorati. Alioquin si nos huiusmodi actiones et impedimenta non amouerimus, vel vrsazzam non fecerimus, nos Hermannus filius domini Ottonis marchionis predicti cum quinque militibus opidum Munrichstat intrabimus, tamdiu in illo more fideiussorio permansuri donec illorum alterum effectui mancipetur.

Porro homicidia et dampna in treugis facta conmissa sunt eisdem arbitris et mediatori decidenda.

Ad obseruantiam autem premissorum dominus episcopus suum successorem, si ipsum episcopum ante consummationem pretactorum cedere vel decedere contingat, litteris patentibus obligauit.

In quorum premissorum testimonium atque euidentiam pleniorem hanc paginam nostris sigillis diligentius roboramus.

Actum apud Swinfurte. Datum vero in monte Bruberg, anno domini millesimo CCo. nonagesimo tercio, tercio jdus maij.

Sigilla duo praedicta fasciis membranaceis suspensa sunt. Prioris circumferentia plane periit. Ex eo Hermanni marchionis primae solummodo litterae S. HERM et ultimae SIS deciderunt, ita ut plane ANNI. MARCHIONIS. BRANDENBVRGEN restet.

Duplici errore ductus Johannes Adolfus de Schultes in opere cui titulus est „historische Schriften und Sammlungen ungedruckter Urkunden zur Erläuterung der deutschen Geschichte und Geographie des mittlern Zeitraums“ I pag. 177, et inde Riedel in codice diplomatico brandenburgensi II 1 sub. num. CCL pag. 193—195 hoc documentum diei 11 mensis maji anni 1290 tribuunt.

Documentum prius arbitrium idem spectans die 6 mensis octobris anni 1292 datum supra sub num. XL pag. 66—69 publici juris fecimus.

LI.

1293, die 26. maji.

Manegoldus episcopus — beginis civitatis herbipolensis, quae divino obsequio assidue insistunt, specialem ob ipsius animae salutem gratiam facere cupiens, ac etiam ipsarum inopiam quam nimium sustinent compassivis cordis oculis praetendens — eisdem beginis ut illos quos manuum suarum laboribus pannos fecerint incidere et vendere, remoto quolibet obstaculo, in domibus suis libere audeant indulget.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CC°. nonagesimo tertio, VII°. kalendas junii, pontificatus anno VI^to.

Sigillum Manegoldi episcopi filis sericis flavi et rubri colorum ex hoc privilegio suspensum est.

LII.

1293, die 15. junii.

Manegoldus episcopus curiam et bona in Wittolshusen a Gertrudi de Reinstein sibi resignata Cünrado de Hochheim et Cünrado de curia Kraftonis Fabri titulo feodali possidenda confert.

In nomine domini amen.

Ego Gerdrudis de Reinstein, relicta quondam Heinrici Hakkonis, recognosco presenti scripto publice protestando, quod vendidi et tytulo vendicionis dedi de consensu heredum meorum Cünrado dicto de Hochheim et Ců[n]rado dicto de curia

Kraftonis Fabri ipsorumque heredibus curiam et medietatem allodii seu bonorum in Wittolshusen ad me ex diuisione paterne hereditatis deuoluta, quorum bonorum medietatem contiguam finibus distinctam et aream quandam Volkerus filius meus possidet, de quibus omnibus in vniuerso michi et eidem filio meo quadragintaduo maldra siliginis secundum porcionem equalem annis singulis soluebantur, accedente consensu reuerendi patris domini Manegoldi episcopi herbipolensis, a quo eadem curia et bonorum medietas in feodo procedunt, habenda et etiam perpetuo possidenda, predictosque C(ůnradum) et C(ůnradum) necnon ipsorum heredes in possessionem predictarum curie et medietatis bonorum induco corporalem, omne jus quod in ipsis michi conpetebat in eosdem transferens per presentes, pro precio quadraginta librarum hallensium et duarum librarum hallensium, quod precium confiteor me habuisse recepisse in numerata pecunia et in vsus meos vtiles ac necessarios conuertisse, promittens — me meosque heredes obligans — ipsis facere de curia et bonorum medietate predictis plenam warandiam que vulgariter vuertschaft dicitur que de bonis feodalibus iuxta terre consuetudinem fieri consueuit, nichilominus deponere et remouere omne impedimentum quod occasione mei in curia et bonorum medietate sustinuerint memoratis.

Pro maiori autem caucione ipsis fideiussores do Cůnradum dictum Sweigerer militem, Heinricum et Vuoluoldum dictos de Wittholshusen fratres, qui sub fideidacione in solidum promiserunt et exnunc promittunt, deponere omnia impedimenta que in posterum per liberos meos qui adhuc minores annis existunt in prefatis curia et medietate bonorum possent contingere, necnon se curaturos et effecturos quod ijdem liberi postquam ad annos pubertatis peruenerint predictum contractum vendicionis et empcionis inter nos hinc inde celebratum ratum et gratum habebunt consensum eorum plenius adhibendo, ita quod renuncient ore manu et calamo omni impeticioni excepcioni et juri quod ipsis posset in curia et medietate bonorum conpetere sepedictis. Adiectum est etiam, quod si aliquem predictorum fideiussorum medio tempore cedere uel decedere contingat residui superstites debent alium eque ydoneum

loco eiusdem substituere infra mensem tunc proximum, aut extunc moniti fideiussorie re recipere quoad substitucio huiusmodi impleatur.

Nos vero Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis publice protestamur, quod Gerdrudis de Reinstein predicta curiam et medietatem bonorum in Wittholshusen predictorum a nobis in feodo procedencia ad manus nostras resignauit. Que bona ad peticionem ipsius Gerdrudis contulimus et hiis in scriptis conferimus Cunrado et Cunrado predictis et ipsorum heredibus a nobis nostrisque successoribus tytulo feodali perpetuo possidenda.

Jn cuius rei euidens testimonium sigillum nostrum apponi iussimus huic scripto.

Testes: Eckehardus dapifer, Gotfridus dictus Betelman, et Cůnradus Sweigerarius predictus, milites, et alii quamplures fidedigni.

Datum anno domini M°·CC°· nonagesimo tercio, in die beati Viti, pontificatus nostri anno VI^to.

Sigillum Manegoldi episcopi fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

LIII.

1293, die 3. julii.

Ecclesia herbipolensis pro pecunia parata accepta Heinrico Weibeler civi wirziburgensi fructus vinetorum in Sande et in der Schottenouwe sitorum, pacto reemtionis adjecto, titulo feodali possidendos confert.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis constare cupimus vniuersis presentibus et futuris, nos fore certitudinaliter

certificatos, Heinricum dictum Weibeler ciuem nostrum herbipolensem quartam partem fructuum vineti siti iuxta suburbium in Sande et quartam partem fructuum vineti siti in der Schottenouwe ex alia parte Mogi, que quidem partes ad nos et ecclesiam nostram jure dominij directi spectare noscuntur, apud venerabilem dominum quondam Ber(tholdum) episcopum herbipolensem nostrum predecessorem pro quadringentis libris hallensium parate pecunie tunc in vsus necessarios ipsius nostre ecclesie conuerse emptionis tytulo conparasse, sic vt ipse sev sui heredes easdem partes a nostra ecclesia debeant in feodum possidere, salua tamen de speciali amicicia episcopo existenti pro tempore sev capitulo potestate libera predictas partes pro prefatis quadringentis libris quandocunque ipsis facultas affuerit reemendi.

Et quia prefatus Heinricus — de dictis partibus magis cupiens esse cautus — nobis centum libras hallensium in parata pecunia per nos recepta similiter et in necessitatem nostre ecclesie conuersa dinoscitur addidisse, nos itaque ipsius nostri predecessoris vestigijs inherentes, ac predictarum partium concessionem per ipsum factam innouantes, prelibato Heinrico et heredibus suis easdem de expresso nostri capituli consensu in feodum contulimus et conferimus a nobis et nostra ecclesia jure feodi possidendas, potestate libera easdem partes nobis sev successori nostro vel capitulo predicto de speciali amicicia vt predicitur pro quingentis libris quandocunque nobis facultas affuerit [reemendi] similiter reseruata, jta tamen vt fructus ante reemptionem huiusmodi percepti prefato ciui sev heredibus suis in sortem principalem vel turpe lucrum minime debeant conputari, presertim cum ijdem supradictas partes a nobis nostraque ecclesia non nomine pignoris tenere sed jure meri feodi dinoscantur.

Jn quorum premissorum testimonium hoc instrvmentum exinde conscribi iussimus, et nostro ac prefati capituli sigillis diligentius conmuniri.

Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis premissum emptionis

contractum recognoscimus sub preexpressis modis et conditionibus celebratum, ac eidem nostrum consensum adhibuimus et presentibus adhibemus, nostri capituli sigillum in eorundem testimonium hiis litteris appendentes.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo tercio, V^to· nonas julij.

Sigilli Manegoldi episcopi fascia membranacea suspensi nil nisi pars suprema restat. Illud capituli majoris ecclesiae non suspensum est.

LIV.

1293, die 10. augusti.

Fridericus de Hoenburg portenarius et archidiaconus, et Wolframus de Linach, canonici herbipolenses — cum piae memoriae dominus Gregorius, et dominus Rodolfus de Hůrnheim scolasticus postea decanus, archidiaconi ecclesiae herbipolensis, percepissent quandam decimam contra justitiam in marchia villae Elbricheshusen, quae decima nuncupatur Hostheim, per aliquod tempus, quibus ipsi successerunt in oblatione, cujus ratione praedictam decimam receperunt — quia per publica instrumenta et per notitiam quae vulgariter kvntschaft dicitur plenius instructi fuerunt, eandem decimam pertinere jure dominii ad coenobium sanctimonialium in Vrowenrode ordinis cisterciensis herbipolensis dioecesis, eandem decimam jam dicto coenobio et conventui sanctimonialium ibidem restituunt, et ipsam liberam dimittunt perpetuo percipiendam pacifice et quiete.

Datum anno domini M°·CC°·LXXXX°·III°·, in die beati Laurentii martyris.

Sigilla canonicorum amborum dictorum fasciis membranaceis suspensa sunt.

LV.

1293, die 15. septembris.

Conradus laterum artifex extra muros wirziburgenses residens ejusque uxor et propinqui tria jugera vineti sui in Vlechnode Nicolao in Cripta vicario majoris ecclesiae herbipolensis, conditione venditionis adjecta, obligant.

Anno domini M°·CC°·LXXXXIII°., octaua natiuitatis beate virginis Marie.

Ego Cunradus artifex laterum residens extra muros herbipolenses, et ego Adelheidis vxor sua filia quondam Wortwini magistri laterum, et ego Katherina filia dicte Adelheidis a quondam dicto Criger genita, simul cum consensu meorum fratrum ac sororum a predicto Criger progenitorum, recognoscimus publice presenti scripto, quod manibus coadunatis et vnanimi consensu nomine pignoris obligauimus et hiis in scriptis obligamus domino Nicolao in Cripta vicario maioris ecclesie herbipolensis tria jugera vineti nostri proprietarij in Vlechnode sita sub castro Rosseberc pro IX libris denariorum et dimidia libra denariorum monete herbipolensis, quam summam pecunie confitemur nos integraliter recepisse et in vsus nostros conuertisse.

Predictaque obligatio facta est sub hac forma, videlicet quod dominus Nicolaus predictus totum vinum quod in autumpno nunc instanti in supradicto vineto creuerit in suum reponere debet cellarium, et idem vinum in festo beati Martini nunc proximo vendere, et quantam summam pecunie ex ipso vino receperit tantam nobis de predictis debitis defalcabit. De residuo vero, siquit insolutum remanserit, in vinum quod extunc in autumpno proxime subsequenti in prefato vineto creuerit respectum habebit. Et extunc, si in festo beati Martini proximiori sibi integraliter persolutum non fuerit, idem dominus Nicolaus superaddet nobis nostris ve heredibus quatuor

libras denariorum herbipolensium, et in posterum predicta tria jugera titulo empcionis pleno iure proprietario et hereditario perpetuo cum pleno rerum dominio — quod exnunc sicut extunc in ipsum transferimus — libere possidebit. Jnsuper prefatus dominus N(icolaus) debet per proximum annum nunc instantem colere predictum vinetum sub suis laboribus et expensis culturis debitis et consuetis, obligacione et persolucione de quibus predicitur nil obstantibus; et de eodem vineto nobis aut nostris terciam partem fructuum assignabit, nisi ita fuerit quod ipsum contingat eandem partem pro non solutis debitis reseruare.

Preterea pro maiori caucione pignoraticia que wlgariter vrsaze dicitur damus et assignamus sibi aut cui ipse legauerit siue dederit predictum vinetum domum nostram sitam in Bleichach in qua conficiuntur lateres, quam a Tyrolfo filio quondam Cunradi Weubelarij ciue herbipolensi titulo emphiteosis pro censu annuali possidemus, eiusdem Tirolfi accedente consensu, ut si sepefatus dominus N(icolaus) aut is cui ipse donauerit detrimentum aliquot in predicto vino seu vineto sustinuerit, prelibatam domum habeat et possideat eo iure quo ad nos spectare dinoscitur, quod eciam ius per presentes in ipsum transferimus, et insuper ad cetera nostra bona mobilia et inmobilia respectum habeat tam diu donec sue yndepnitati per omnia caueatur.

Facta sunt hec presentibus domino Heinrico sacerdote dicto Eberarn, magistro Heilmanno aduocato, Tyrolfo Weubeler, .. dicto Raz, et aliis quam pluribus ad hoc vocatis fidedignis.

Vt autem premissa rata firmaque permaneant, presens littera ad petitionem ipsius domini N(icolai) et nostrj sigillo honorabilis viri L(upoldi) de Wiltingen officialis curie herbipolensis est fideliter communita.

Sigillum officialis curiae herbipolensis ante dictum fascia membranacea suspensum est.

LVI.

1293, die 28. septembris.

Manegoldus episcopus patere cupit universis, quod — inter Heinricum praepositum, Ar(noldum) decanum, totumque capitulum ecclesiae herbipolensis ex una, et Reynheidim coniugem Willehelmi de Bleichvelt, Lutkardim et Elyzabeth filias quondam Rudegeri de Geylenhusen, ex parte altera super curia quadam sita in opido Karlstat, quam quidem curiam quondam Berngerus dictus Lurz civis in Karlstat et Gerdrudis coniux ejus adhuc vivens possederant, orta questione — praefatae sorores, receptis decem libris hallensium a praefatis praeposito decano et capitulo, renuntiaverunt manu et calamo, sicut moris est, omni actioni seu juri quod eis competebat in praenominata curia seu posset competere in futurum.

Datum Herbipoli, anno domini M° CC°. nonagesimo tertio, in vigilia beati Michahelis, pontificatus anno VI^to.

Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum magnam partem laesum est.

LVII.

1293, die 29. octobris.

Frater Ruegerus commendator ceterique fratres hospitalis sancti Johannis hierosolomitani domus herbipolensis se illas quatuor uncias denariorum herbipolensium, que ex parte decani de Northeim nomine census annis singulis in festo beati Martini episcopi ad lumen ecclesiae herbipolensis de bonis in inferiori

Bleichvelt sitis olim solvebantur, deinceps soluturos promittunt eodem modo quo supra de bonis suis in superiori Bleichvelt sitis, que colit Conradus de Salzwisen, et solvunt annuatim XLV maltra siliginis tritici et avenae, in quam permutationem decanus et capitulum majoris ecclesiae supradictae ad ipsius petitionem unanimiter consenserunt.

Datum et actum anno domini M°.CC°. nonagesimo III°., IIII°. kalendas novembris.

Sigilla duo ex hac carta fasciis membranaceis suspensa sunt. Illud commendatoris paene omnino periit. Illud hospitalis sancti Johannis superest.

LVIII.

1293, die 1. novembris.

Discordia inter ecclesiam herbipolensem et universitatem judaeorum wirziburgensium exorta componitur.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum tenore litterarum recognoscimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod omnis questio discordia dissensionis ve materia hactenus inter nos ex vna et vniuersitatem judeorum herbipolensium ex parte altera super quibuscunque casibus ventilata de expresso vnanimique nostrum hincinde consensu viris prudentibus et honestis mediantibus taliter est decisa, videlicet quod eadem judeorum vniuersitas nobis successori ve nostro aut sede nostra vacante ipsi capitulo nostro annis singulis in beati Martini festo, quamdiu serenissimus dominus noster Adolfus Romanorum rex vixerit et regnauerit, tantum sexcentas hallensium libras nomine precarie, omni occasione et contradictione postposita, persoluere tenebitur. Post cessionem vero vel decessum prelibati domini Adolfi Romanorum regis extunc per annos decem se continue subsequentes,

quamdiu infra idem decennium jmperium seu regnum romanum vacauerit, predicte vniuersitatis judej debent nobis vel successori nostro qui protempore fuerit aut si sedes nostra vacauerit capitulo nostro predicto mille libras hallensium annis singulis in festo sancti Martini nomine precarie absque contradictione qualibet persoluere integre et complete, jta sane quod quandocunque et quocienscunque medio tempore infra decennium memoratum alter Romanorum rex legitime creatus exstiterit extunc, quamdiu idem rex infra prelibatum decennium regno presederit et jmperium aut regnum romanum non vacauerit, a predicta judeorum vniuersitate solummodo sexcente libre hallensium nobis successori ve nostro aut si sedem nostram vacare contigerit capitulo supradicto annuatim in quolibet subsequencium beati Martini festorum nomine precarie sine contradictionis obstaculo persolui debent integraliter et complete. Et in hac summa pecunie suis temporibus et terminis prout predicitur persoluenda profitemur per omnia nos contentos, ita quod prefati judei ad alicuius alterius pecunie exactionis sture et precarie pesolucionem quantum ad tempora de quibus predictum est minime tenebuntur.

Sane vt nos predictam judeorum vniuersitatem fauore videamur prosequi pleniori, volumus concedimus indulgemus et expresse in hiis scriptis pronunciamus, quod vniuersa et singula instrumenta et priuilegia ipsi judeorum sepefatorum vniuersitati a romanis pontificibus, a diuis jmperatoribus, a romanis regibus, a nostris predecessoribus, a nobis et a nostro capitulo tradita indulta et concessa cum omnibus juribus libertatibus et approbatis consuetudinibus tam in scolis quam ante scolas ipsorum, quibus eorundem judeorum predecessores a retro actis hactenus gauisi sunt temporibus, permaneant et permanere debeant in posterum in sui vigoris ac firmitatis robore penitus inconuulsa.

Sciendum est autem expresse, quod pactum predictum inter nos et sepedictos judeos super precarie persolucione prout in hiis litteris superius exprimitur initum post elapsum supradicti decennii a die decessus uel cessionis prelibati domini nostri Adolfi Romanorum regis numerandi protinus dissoluetur, et omnino viribus

carebit, nec extunc in posterum vllius existet roboris uel momenti, saluis nichilominus predictis ipsorum instrumentis ac priuilegiis et cum sibi annexis seu subscriptis articulis in sua firmitate duraturis omnimode sicut ante.

Porro ad vniuersorum et singulorum premissorum prout dicta et scripta sunt ratihabicionem et non contrafacere aliquo ingenio studio uel cautela nos sub eiusdem promissionis ac obligacionis vinculo quo sepedicte judeorum vniuersitati antea in litteris nostris ipsi a nobis traditis obligari dinoscimur obligamus et astringimus per presentes, ad eorundemque firmam ac inconuulsam obseruanciam nostrorum successorum quemlibet de capituli nostri voluntate consensu et verbo expressis presentibus obligamus.

Nos quoque Heinricus prepositus maior, Arnoldus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis hiis in scriptis publice recognoscimus, vniuersa et singula premissa ita esse, et facta fore de nostro scitu verbo voluntate et consensu, ad ipsorum euidenciam pleniorem sigillum capituli nostri predicti hiis litteris appendentes.

Vt igitur omnia que predicta sunt rata firmaque permaneant, nos Manegoldus episcopus predictus dedimus prelibatorum judeorum vniuersitati presens instrumentum, sigillorum videlicet nostrum ac capituli nostri prelibati munimine fideliter consignitum.

Testes vero qui presentibus interfuerunt sunt hii: dominus Heinricus de Wechmar prepositus, dominus Arnoldus decanus, predicti; dominus Albertus de Lewenstein scolasticus et archidiaconus, et dominus Lupoldus prepositus in Houge, canonici ecclesie nostre predicte; Heinricus de Rebestokke, Heinricus dictus Weybeler, Fritzo dictus Gyr, Johannes dictus Hane, Otto Monetarius, ciues herbipolenses; et quamplures alii fidedigni.

Datum et actum anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo tercio, jn die seu festo omnium sanctorum, pontificatus nostri anno sexto.

Sigilla duo praedicta ex hac compositione fasciis membranaceis suspensa erant. Illud Manegoldi episcopi superest.

LIX.

1293, die 10. decembris.

Ecclesia herbipolensis Johanni protonotario curiam vulgariter des Herizogen hof dictam in proprium tradit, pro qua alia bona jure feodi conferenda recipit.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis patere cupimus vniuersis has litteras inspecturis, quod nos — adtendentes et considerantes nostre ecclesie condicionem exinde posse fieri meliorem — curiam quandam in ciuitate nostra herbipolensi sitam vulgariter des Herizogen hof dictam, capelle sancte Walpurgis contiguam, per Eckelinum de Tetelbach Johanni prothonotario nostro pro precio octaginta librarum hallensium rite et racionabiliter venditam, que inquam curia a nobis nostraque ecclesia in feodo processerat, accedente ad hoc expresso nostri capituli consensu, ab honere huiusmodi infeodacionis eximentes et solutam facientes, ipsi Johanni omnibusque personis quibus idem donauerit vendiderit sev quocumque alterius alienacionis genere tradiderit appropriauimus et appropriamus ac jure mere proprietatis donauimus presentibus et donamus titulo proprietatis perpetim possidendam. A nobis quoque et ipsa ecclesia nostra proprietatem dicte curie abdicantes, in ipsum Johannem sev alias personas in quas vt premittitur transtulerit cum pleno rerum dominio transferimus per presentes.

In huius autem curie restaurum et reconpensam Eckehardus dapifer noster tria jugera vinearum sita in monte Rûtwicsperge iuxta castrum Rosseberg, Eckelinus in palacio noster judex quatuor vinearum jugera sita in monte Rabensburg, et Gotfridus Betelman pincerna noster tria vinearum jugera sita in monte Branlite iuxta villam Gerbrunnen, que siquidem jugera

ad ipsos tytulo proprietatis spectarant, ad peticionem prefati Johannis nobis nostreque ecclesie libere resignantes, eadem in feodum receperant a nobis et nostra ecclesia jure feodi perpetim possidenda.

In quorum premissorum testimonium presens instrumentum nostri et prefati capituli nostri sigillis fecimus roborari.

Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum supradicte ecclesie premissam curie donacionem sub modis prescriptis de nostro scitu consensu et collaudacione recognoscimus esse factam, et in euidens illius testimonium sigillum capituli nostri hijs litteris duximus apponendum.

Testes autem huius facti sunt: Billungus prepositus castri sancte Marie, Gvntherus cappellanus noster, Theodericus de Hohenberg marschalcus noster, Ludewicus de Wipfelt, Cvnradus de Zvlisheim, Theodericus Spiez, milites, Cvnradus de Alnvelt, Johannes Kresse, Johannes de Hoecheim, Waltherus filius .. aduocati de Rienecke, Luzo de Hohenberg, Cvnradus cellerarius noster, et Heinricus de Katzenstein notarius noster, et quamplures alij fidedigni.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CC°. nonagesimo tercio, IIII^to. jdus decembris.

Sigilla bina ante dicta quondam fasciis membranaceis suspensa in altero hujus documenti exemplari restant, ex altero — in quo legimus *Ryenecke* — abscissa sunt.

LX.

1294, die 30. januarii.

Ecclesia wirziburgensis advocatiam jura et jurisdictiones villae Reittersheim ecclesiae novi monasterii in proprium tradit.

In nomine domini amen.

Nos Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis ad vniuersorum ac singulorum tam presentium quam futurorum noticiam

cupimus peruenire, quod nobiles viri Godfridus de Brunecke et Andreas filius eiusdem in nostri presentia constituti recognouerunt publice, se honorabilibus viris .. decano et capitulo ecclesie noui monasterij herbipolensis aduocatiam jura et jurisdictiones ville Reittersheim que vulgo dicitur zem Rippe, quas siquidem aduocatiam jura et jurisdictiones ijdem nobiles a nobis et nostra ecclesia in feodo tenuerant, rite et racionabiliter vendidisse. Nobis nostreque ecclesie aduocatiam jurisdictiones et jura eadem pure et simpliciter resignantes, petiuerunt instanter vt sic resignata in prefatos decanum et capitulum ac ipsorum ecclesiam transferre proprietatis tytulo curaremus.

Nos itaque cum honorabilibus viris Heinrico preposito, Arnoldo decano, et capitulo nostre ecclesie deliberatione prehabita diligenti, prefatorum nobilium — qui nichilominus pretextu aliorum feodorum que a nobis et nostra tenent ecclesia adhuc nostri vasalli remanent — precibus fauorabiliter annuentes, adtendentesque magnum fauorem juris existere ac ecclesiarum vtilitatem feruenter respicere bona de laycorum manibus reuocari ac in ecclesias et personas ecclesiasticas hec transferri, proprietatem sev dominium aduocatie jurium et jurisdictionum predicte ville sic nobis resignatorum memoratis decano et capitulo necnon eorum ecclesie tradidimus donauimus tradimus presentibus et donamus, prefati nostri capituli consensu plenius et expressius accedente, a nobis nostraque ecclesia proprietatem aduocatie jurium et jurisdictionum eorundem penitus abdicantes, et in eosdem decanum et capitulum eorumque ecclesiam cum pleno rerum dominio transferentes.

Ad hec promittimus vnâ cum capitulo nostro predicto, per nos vel successores nostros nullo vmquam tempore super huiusmodi aduocatia juribus et jurisdictionibus prenominatis decano et capitulo questionem aliquam nos moturos, aut consentire vt eis ab aliis moueatur, renunciantes cuilibet actioni sev defensioni, et omni juri canonico et ciuili per quod possent premissa sev eorum aliquid irritari, nec contra eadem venire inantea cupientes aliquo jngenio studio vel cautela, presertim cum cura pastoralis officij vt ecclesiis nobis subiectis consulamus nos sollicitet et hortetur. . . . . .

Jn quorum omnium et singulorum testimonium hoc instrvmentum nostri et capituli sigillis fecimus roborari. Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, et capitulum herbipolensis ecclesie predicte omnia suprascripta de nostro scitu et consensu recognoscimus esse facta, in eorundem euidens testimonium sigillum nostri capituli presentibus appendentes.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo quarto, sabbato proximo ante purificationem beate virginis, presentibus honorabilibus viris Heinrico preposito et Arnoldo decano predictis, Friderico portenario, Wernhero de Tannenberg cantore, Alberto de Leuwinstein scolastico, Sifrido de Wechmar, Heinrico de Rannenberg, archidyaconis; Andrea de Gvndelvingen preposito orengouwensi, Wolframo preposito ecclesie noui monasterii predicte, Theoderico de Spiezsheim, nostre, ecclesie canonicis; et pluribus aliis clericis et laycis ad hoc vocatis et rogatis testibus fidedignis.

Sigilla duo predicta una cum fasciis quibus suspensa erant avulsa sunt.

LXI.

1294, die 1. februarii.

Gotfridus de Brunecke advocatiam in villa Retirsheim ab ecclesia herbipolensi titulo feodali possessam cum ejusdem consensu novo monasterio ibidem vendit.

In nomine dominj amen.

Nos Gotfridus nobilis de Brunecke, Elizabet coniux nostra, Andreas filius, ac alij heredes nostri recognoscimus publice per presentes, volentes constare Christifidelibus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos manibus coadunatis et vnanimi voluntate de consensu expresso reuerendi patris dominj nostri

Manegoldi episcopi tociusque capituli herbipolensis vendidimus tradidimus et in hijs scriptis vendimus et tradimus honorabilibus viris . . decano et capitulo noui monasterij herbipolensis aduocaciam nostram in villa Retirsheim dictam zu dem Rippe cum omnibus hominibus nostris proprijs ibidem residentibus et cum omnibus juribus pertinencijs quesitis et non quesitis quocumque nomine censeantur, quam aduocaciam hactenus habuimus in feodo ab herbipolensi ecclesia supradicta, pro precio centumquinquaginta librarum hallensium preter duas libras, quam pecuniam confitemur nos integraliter recepisse et in vsus nostros vtiles et necessarios conuertisse. renunciantes omni excepcioni non numerate non habite non solute pecunie, doli mali, et in factum actioni, necnon omnj iuris auxilio tam canonici quam ciuilis per quod huiusmodi empcio et vendicio possent aliquatenus irritari. Omne ius eciam quod nobis et heredibus nostris in dicta aduocacia competebat vel competere poterit in dictos dominos decanum et capitulum transferimus pleno iure, idem ius a nobis et nostris heredibus totaliter abdicantes.

Nobis tamen decem et septem agros campestres in tribus campis inibi sitos, quos ad nos et nostros heredes proprietatis titulo asserimus pertinere, quos eciam . . dictus Lantwer olim coluit et possedit, presentibus reseruamus.

Preterea de dictis hominibus nostris proprijs inter nos et predictos emptores est taliter ordinatum, vt quamdiu ipsi homines in dicta villa sunt residentes ad dictam ecclesiam iure proprio pertinebunt. Ipsis vero a predicta villa sponte recedentibus ius nostrum quod nobis antea competebat habebimus in eisdem, et ad recedendum de dicta villa ipsos vel aliquem ipsorum per nos vel per nostros compellere non debemus.

Ceterum promittimus per sollempnem stipulacionem et fideidacionem, predictis dominis decano et capitulo litem vel controuersiam occasione dicte aduocacie siue hominum predictorum ullo tempore non inferre, nec inferenti consentire, sed predicta omnia et singula rata et firma habere et non contrafacere vel venire ali-

qua de causa de iure uel de facto per nos vel per alios aliquo ingenio studio vel cautela, et nichilominus ipsis emptoribus de euictione cauere ab omni homine ac vniuersitate secundum quod iustum fuerit et consuetum.

Jn quorum omnium testimonium et euidenciam pleniorem sigillum nostrum, quo filius noster Andreas predictus quia proprio sigillo caret vsus est, vna cum sigillo dominj episcopi supradicti presentibus duximus apponendum.

Datum et actum anno dominj millesimo CC°. nonagesimo IIII, jn vigilia purificacionis virginis gloriose, presentibus domino Wolframo preposito, Hermanno de Espenvelt cantore, Conrado Hozone, Gotfrido Vbelagger, Ottone custode, canonicis noui monasterij supradicti, Heinrico plebano de Hopphirstat, Heilmanno milite de Geilenhusen dicto Forstmeister, Hermanno de Selbolt, Heinrico sculteto de Baldolsheim, Frizzone dicto Gir, Wolfelino dicto Walkun, et Heinrico de Bastheim, ciuibus herbipolensibus, ac alijs quampluribus fide dignis ad hoc vocatis testibus et rogatis.

Sigilla duo praedicta ex hoc documento filis sericis flavi et rubri colorum suspensa sunt.

LXII.

1294, die 3. februarii.

Ecclesia herbipolensis advocatiam sibi in possessionibus in Vrah sitis competentem, acceptis aliis bonis in Imelendorf sitis, monasterio haylsprunnensi tradit.

In nomine dominj amen.

Nos Manegoldus dej gratia episcopus herbipolensis, Heinricus prepositus, Ar(noldus) decanus, totumque capitulum

ecclesie herbipolensis tenore presentium recognoscimus et constare volumus vniuersis presentem paginam inspecturis, quod nobilis vir Gotfridus de Heidecke et Cůnegundis vxor sua legittima nobis proposuerunt, quod ipsi aduocatiam tenerent in feodo ab ecclesia nostra super quibusdam bonis monasterij de Haylsprunne in villa Vrah: videlicet super altero dimidio mansu qui dicitur der Hof, soluens sibi racione aduocatie singulis annis tria sumerina siliginis, et alterumdimidium sumerinum auene, vnam libram hallensium, et sex pullos; jtem super vno mansu qui dicitur in Valle, soluens duo sůmerina siliginis, et vnum auene, LXXX denarios, et quatuor pullos; jtem super dimidio mansu, quem colit .. dictus Sewer, soluens vnum sumerinum siliginis, et dimidium auene, quadraginta denarios, et duos pullos; jtem super vno mansu in Colle, quem colit Eberlinus, soluens sibi duo sumerina siliginis, et vnum auene, LXXX denarios, et quatuor pullos; jtem super quarta parte vnius mansus qui dicitur Schuchcauf, soluens decem metretas siliginis et dimidiam, sex metretas auene, viginti septem denarios, et vnum pullum; jtem super vna curia, que soluit sibi duas libras hallensium; quibus simul conputatis in vnum faciunt secundum consuetudinem terre redditus XI librarum hallensium; quos redditus cum omni jure aduocatie et dominij quod in eisdem bonis haberent pro necessitate sua vendere vellent*) venerabilibus

*) Documenti de venditione ipsa die 12 mensis februarii anni 1294 exhibiti, e quo sigilla nonnisi Friderici burggravii senioris de Nürnberg et dominae CHVNGVNDIS de HAIDEGE fasciis membranaceis suspensa sunt, et quod Oetter in opere cui titulus est „zweiter Versuch einer Geschichte der Herren Burggraven zu Nürnberg" pag. 86—90 locis iis quae ecclesiam herbipolensem spectant omissis edidit, tenor hic est:

In nomine domini amen.

Antiquorum decreuit prouisio nec modernorum displicebit ingenio, res gestas ne in dubium aut in obliuionem ueniant scripture ac testium subsidijs roborarj.

Cuius rei causa nos Gotfridus nobilis de Heydecke et Chůnegundis vxor nostra legittima et dilecta tenore presentium recognoscimus et publice profitemur, quod — cum haberemus aduocatiam

viris .. abbati et conuentuj predicti monasterij halsprunnensis, si hoc fieri posset de nostro consensu et libera voluntate.

et dominium in villa Vrach super quibusdam bonis monasterij de Haylsprvnne cisterciensis ordinis eystetensis dyocesis: uidelicet super altero dimidio mansu qui dicitur der Hoff, soluente nobis annis singulis ratione advocatie tria sumerina siliginis, et alterum dimidium sumerinum auene, vnam libram hallensium, et sex pullos; jtem super vno mansu dicto in Valle, soluente duo sumerina siliginis, et vnum auene, octoginta denarios, et quatuor pullos; jtem super dimidio mansu, quem colit .. dictus Saewer, soluente vnum sumerinum siliginis, et dimidium auene, quadraginta denarios, et duos pullos; jtem super uno mansu in Colle, quem colit Eberlinus, soluente duo sumerina siliginis, et vnum auene, octoginta denarios, et quatuor pullos; item super quarta parte vnius mansus et pauloplus que dicitur Schûhkouf, decem metretas et dimidiam siliginis, ac sex metretas auene, viginti septem denarios, et unum pullum soluente annuatim — nos eandem aduocatiam cum suis redditibus predictis et alijs pertinentijs ac omni iure dominij quod nobis in eisdem bonis competit de consensu expresso et fauore domini Manegoldi venerabilis episcopi herbipolensis ac totius capituli eiusdem ecclesie herbipolensis, a quibus eadem aduocatia descendebat in feodo, prout in instrumento eiusdem domini episcopi et ipsius capituli idem consensus plenius est expressus, adiuncto etiam quodam predio nostro proprio quod colit ibidem .. dictus .., soluente singulis annis sexaginta VII denarios, pari consensu et vnanimi uoluntate vendidimus et tradidimus ac etiam in hijs scriptis vendimus et tradimus honorabilibus viris H(einrico) abbati et conventuj predicti monasterij haylsprunnensis et eorum ecclesie iure proprietatis perpetuo possidendam, pro centum sexagintauna libris hallensium, quam summam pecunie confitemur nos habuisse recepisse et in usus nostros communes utiles et necessarios conuertisse, renuntiantes exceptionj non numerate non solute et non habite pecunie, ac simpliciter omni iuris auxilio canonici uel ciuilis. Predictosque fratres in possessionem ipsorum bonorum inducimus corporalem, dantes eis perpetuo possessionem pacificam et quietam.

Ego uero Chunegundis predicta specialiter recognosco, quod quicquid iuris habeo uel habui in predictis bonis, que ex parte progenitorum meorum ad me fuerant deuoluta et ratione dotis ad me spectabant, libera uoluntate de consensu et permissione predicti domini M(anegoldi) episcopi herbipolensis et capituli sui totum tribuo et trans-

Nobis ergo predictus G(otfridus) nobilis et C(ůnegundis) vxor sua supplicauerunt humiliter et deuote, quatenus illud jus et dominium quod super tali aduocatia siue feodo nobis et ecclesie nostre in eisdem bonis competit transferre vellemus in abbatem et conuentum in Haylsprunne et eorum ecclesiam, et vt huiusmodi venditioni sue predicte vellemus consensum omnimodum adhibere, jta tamen quod loco omnium illorum bonorum predictorum in Vrah alia bona plura et meliora spectantia ad eundem nobilem et vxorem suam mero et pleno jure proprietatis in villa Imelendorf, videlicet curiam quam nunc colit . . dictus Krůse, soluentem singulis

fundo in dictum monasterium halsprvnnense, ac renuntiaui sicut debui prestito corporali iuramento omni actioni et juri quod michi et meis heredibus competit uel competere posset in bonis eisdem, promittens eisdem fratribus nunquam contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela, nec eis ullo tempore litem mouere, uel ab aliquo suscitari coram quocunque iudice ecclesiastico uel ciuilj, maxime cum in recompensam predictorum bonorum predilectus G(otfridus) maritus meus supradictus michi dederit et assignauerit alia bona magis utilia et plus soluentia, que loco predictorum bonorum gratanter accepi, et ideo venditioni huiusmodi liberaliter consensi et eam fideliter approbaui.

Ne autem contractus huiusmodi rite et rationabiliter ordinatus irritari possit a quoquam, presentem paginam dedimus supradictis fratribus, sigillorum uidelicet domini Friderici burgrauij senioris et C(unradi) burgrauij junioris de Nuremberg sui fratris, jtem et nostri G(otfridi) supradicti de Heydecke necnon et uxoris nostre C(ůnegundis) predicte munimine roboratam.

Testes uero ad hoc uocati et rogati sunt: Berngerus, Burchardus Wirsing, Burchardus de Imelndorf, Cunradus dictus Guntzelin, C(unradus) dictus Prepositus de noua ciuitate, milites; jtem Hermannus de Ror, Al(bertus) dictus Guntzelin, H. de Vrach, H. dictus Bonacker, militares; jtem fratres et monachi, Fr(idericus) prior dictus Guntzelin Hartmvdus cellerarius, Heinricus de Mekkenhusen, sacerdotes; jtem conuersi, frater C(unradus) magister hospitum, et frater Al(bertus) magister sutorum, monasterii sepedicti.

Datum et actum Liehtenowe, in presentia supradicti H(einrici) abbatis haylsprvnnensis, III^a^ jdus februarij, anno domini M°·CC°·LXXXX quarto.

annis decem libras hallensium, necnon et aliam curiam ibidem que dicitur Meierhof, soluentem annis singulis quinque libras hallensium, in restaurum et in reconpensam reciperemus tamquam nobis et ecclesie nostre magis vtilia, que bona Got(fridus) dictus nobilis et C(ůnegundis) vxor sua in manus nostras iam libere resignauerunt, et postmodum eadem bona a nobis in feodum sibi porrigere pecierunt.

Nos vero deliberacione prehabita diligenti peticionem ipsius Got-(fridi) et C(ůnegundis) vxoris sue ac heredum suorum duximus admittendam propter seruitia que idem nobilis nobis et ecclesie nostre exhibet et exhibere poterit in futurum, attendentes nichilominus quod possessiones in Imelendorf quas sepedictus Got-(fridus) et C(ůnegundis) vxor sua nobis resignauerunt ecclesie nostre magis expediant quam possessiones siue feoda memorata in Vrah, que ipsi ante a nostra ecclesia possederunt. Consideraui-mus etiam vtilitatem et commodum quod ex hoc fratres in Haylsprunne, quos in domino sincere diligimus, consequi poterunt propter nimias extorsiones et multas indebitas vexaciones quas quandoque aduocati in talibus aduocatiis et iuribus circa monasteria facere consuerunt. Jpsum jus advocatie et dominium quod nobis in predictis bonis ville Vrah competit in . . abbatem et conuentum ac ecclesiam eorum Haylsprunne transferimus pleno iure titulo proprietatis perpetuo possidendum, renunciantes omnj actioni que in bonis eisdem nobis competit et competere posset, et simpliciter omnj juris auxilio canonicj vel ciuilis, nec eis super hiis vllo tempore litem vel controuersiam moueri coram quocumque judice ecclesiastico vel ciuili, ratam etiam et gratam habentes vendicionem quam facit et fecit de bonis prelibatis in Vrah ipse Got(fridus) et C(ůnegundis) vxor sua monasterio supradicto, nec in premissis vnquam contrauenire volumus aliquo ingenio studio vel cautela. Si vero aliqua ex incuria vel negligentia hic pretermissa vel superflua posita sunt, nolumus quod propter hoc contractus vel instrumentum presens sit viciosum vel viciari posset quoquomodo.

Datum Herbipoli, anno dominj M°.CC°. nonagesimo quarto, quarta feria post purificacionem beate virginis, presentibus et con-

sensum adhibentibus domino Heinrico de Wechmar preposito nostro, domino Arnoldo decano, Wernhero de Tannenberg, Hermanno de Bastheim, Andrea de Gundelvingen preposito orengawensi, Alberto de Lewenstein scolastico, Lvpoldo de Wiltingen preposito ecclesie sancti Johannis in Havge, et quam pluribus aliis dominis et fratribus capituli nostrj qui debuerant et poterant interesse.

Sigilla Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis ex hoc documento filis sericis flavi rubri et viridis colorum suspensa sunt.

LXIII.

1294, die 27. junii.

H(einricus) praepositus, Ar(noldus) decanus, totumque capitulum ecclesiae herbipolensis, quoniam vicarii ecclesiae dictae humiliter supplicaverunt, quod — cum continuo in choro capituli die noctuque divinis vacantes obsequiis suae inopiae qua nimium opprimerentur ob hoc minus possent occurrere prout eorum necessitas postularit — in restaurum hujusmodi vacationis dono speciali eosdem prosequi favorabiliter dignarentur, quo feruentius possent ad divina laudum organa provocari, unanimi accedente consensu, ac etiam consensu Manegoldi episcopi plenius accedente, iis vicariis eorumque successoribus universis hanc faciunt et concedunt gratiam, ut quemcunque vicarium anno quocunque deinceps post annunciationem beatae virginis decedere contingat, eidem sic decedenti medietas omnium proventuum vicariae suae quocunque nomine censeantur et praecipue vineti sui quod illo anno excoluit quae ad hunc annum ipsum contingit aut illi vel illis cui vel quibus idem vicarius eosdem proventus legaverit sev donaverit in vita vel in morte quocunque titulo gratuito vel non gratuito sine diminutione qualibet cedere teneatur.

Datum et actum anno domini M°.CC°. nonagesimo quarto, V°. kalendas julij.

Sigilla Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis ex hac carta filis sericis flavi et rubri colorum suspensa magnam partem laesa sunt.

Hujus documenti copia exstat, munita sigillo officialis curiae herbipolensis, et signo Heinrici quondam Conradi Fries de Sulczbach clerici dioecesis ratisbonensis, publici imperiali auctoritate notarii, transcripta „anno domini M°. CCC°. LX septimo, indictione quinta, XII die mensis augusti, hora sexta vel quasi eiusdem diei, in domo minorum seu posteriorum fratrum dictorum de Moguncia alias de Leone, sita in ciuitate herbipolensi in curia vulgariter Kestlerhof dicta, in presentia discretorum virorum Arnoldi de Monaco, Vlrici dicti Mulhart, notariorum, et Bertoldi de Heringen procuratoris curie herbipolensis."

LXIV.

1294, die 29. junii.

Arnoldus decanus et archidiaconus herbipolensis pro parte hospitalis sancti Theoderici herbipolensis et priorissa totusque conventus sancti Marcii pro parte hujus monasterii utrimque hinc et inde concambium sive commutationem agrorum in marchia Espenvelt sitorum ab hospitalensibus et a sancti Marcii confratribus invicem celebratam ratam et gratam habent.

Hujus permutationis testes sunt: C(onradus) prior et Johannes sacerdotes, procuratores praedicti hospitalis; Heinricus Nuremberg, Heinricus surdus, Ditmarus pistor, et Fridericus, fratres dicti hospitalis; Goddeboldus, Hildebrandus, Conradus, fratres dicti claustri sancti Marcii; Markismann, Arnoldus de Espenvelt, et alii quamplures fidedigni.

Acta sunt haec anno domini M°.CC°.XC°.IIII°., feria tertia proxima post nativitatem Johannis baptistae.

Praeterea est adjectum, quod hi sunt agri quos fratres hospitalis praedicti Theoderici dederunt in concambium claustro sancti Marcii memorato: quorum quatuor inter Risfelt et Hegene

sunt siti, reliqui vero quatuor agri habent situm apud pratum supra fontem superiorem. Hos quoque agros conventus claustri sancti Marcii dedit praelibato hospitali in agrorum concambium praedictorum: quorum quatuor siti sunt ab illa parte prati in Erlebach, et sex ab illa parte ejusdem prati quod tangit rubetum quod dſ Hart wlgariter nuncupatur.

Sigilla Arnoldi decani et archidiaconi necnon priorissae de sancto Marco fasciis membranaceis ex hoc ratificationis documento suspensa sunt.

LXV.

1294, die 8. octobris.

Manegoldus episcopus cum capitulo ecclesiae herbipolensis vngeltum in civitate Wirziburg impositum illicitum pronuntians, societates civitatis ejusdem quae zumpſte vulgariter nuncupantur illicitas reprobat.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis inspectoribus presentium recognoscimus vniuersis, quod cum honorabilibus viris Heinrico preposito, Arnoldo decano, et capitulo ecclesie nostre deliberatione diligenti exactionem siue vngeltum in ciuitate nostra herbipolensi aliquanto tempore iam impositum, quod quidem vngeltum abhinc vsque ad festum beati Martinj nunc proximum et deinde ad vnum annum sequentem pro ecclesie nostre necessitatibus releuandis recipere tenemur, exnunc prout extunc illicitum pronunciamus reuocamus et tollimus per presentes.

Preterea quod — cum clamor validus contra societates ciuitatis nostre predicte que zumpfte wlgariter nuncupa[n]tur ex parte prelatorum cleri et populi ciuitatis eiusdem ad aures nostras querelis frequentibus peruenerit, super eo videlicet quod per societates pre-

dictas non solum clericis laycis et toto populo verum etiam diuitibus et pauperibus omnibusque dictam nostram ciuitatem frequentantibus dispendia incomoda et grauamina non modica generantur, presertim cum eedem societates id efficiant ne rerum conmercia in predicta ciuitate nostra libere valeant exerceri, et propter dispendia incomoda et grauamina predictarum societatum prelati capitula et clerus ciuitatis predicte necnon nobiles terre ac ministeriales ecclesie nostre a nobis cum instantia postulassent vt huiusmodi societates illicitas deo et hominibus inimicas reprobare reuocare ac tollere dignaremur — nos itaque crebris et assiduis cleri et populi predictorum peticionibus inclinati, societates predictas illicitas pronunciamus, easque exnunc reprobamus tollimus et absque retractione perpetuo reuocamus, promittentes et ad hoc nos specialiter obligantes quod statim elapso prefato beati Martinj festo ad quod vngeltum recipere tenemur absque qualibet monitione seu interpellatione contra omnes et singulos qui predictas societates contra reuocationem nostram manutenere defendere eis adherere ipsisque ut non dissoluantur auxilium vel consilium opem vel operam prestare presumpserint per excommunicationis et interdicti sententias ac per alias penas quascumque poterimus procedemus, vel id faciemus ante preexpressum terminum, si memoratis preposito decano et capitulo placuerit seu visum fuerit expedire.

Jn quorum omnium premissorum et singulorum testimonium hanc paginam eisdem tradimus, nostri sigilli patrocinio firmiter conmunitam.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo quarto, VIII°· ydus octobris, pontificatus nostri anno VII°·

Hoc documentum ex illo quod supra in nota cartae die 11 mensis augusti anni 1279 exhibitae adjecta memoratum est instrumento edidimus.

LXVI.

1294, die 8. octobris.

Ecclesia wirziburgensis pro castro Trimperg sibi resignato Heinrico de Wechmar et praepositurae suae castrum Frankenberg — pacto homines eo spectantes reemendi adjecto vel potius renovato — in proprium confert.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo quarto, VIII°· idus octobris, pontificatus anno VII°·

Hoc documentum, eodem fere verborum tenore quo illud prius de eadem re die 22 mensis decembris anni 1290 confectum, sed nonnisi capituli ecclesiae majoris herbipolensis sigillo munitum, Lupoldus de Bebenburg in libro quem dicant copiarum pagg. 424 et 425 exhibet.

LXVII.

1295, die 22. februarii.

Manegoldus episcopus ob onus aeris alieni ecclesiae wirziburgensis sublevandum oppidum Ochsenfurt mensam suam spectans cum omnibus pertinentiis necnon cum centae commissione capitulo suo vendit.

In nomine domini amen.

Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione octaua, marcii kalendas octaua.

Nos Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis constare volumus vniuersis presentibus pariter et futuris, quod —

cum ecclesia nostra herbipolensis cui deo auctore preesse dinoscimur ex diuersis antecessorum nostrorum contractibus necnon ex contractibus per nos habitis diuersis et multimodis esset debitorum oneribus pregrauata, que equidem debita per vsurarum voraginem in tantum a longe retroactis temporibus excreuerunt quod nisi festinacione celeri fuisset adhibitum remedium eadem ecclesia irrecuperabilis desolacionis opprobrium incurrisset, iidemque creditores ad faciendam solucionem vehemencius nos vrgerent — connocatis ecclesie nostre prelatis et canonicis vniuersis super tam imminentis desolacionis formidine consilium petebamus.

Dictis igitur ecclesie nostre prelatis et canonicis super dicto negocio tractantibus et deliberantibus diligenter, tandem post varios ac multiplices tractatus prouida deliberacione communi consensu firmarunt, quod — quia non essent res mobiles ex quibus tanta debita solui possent — vtile ac necessarium videretur, vt opidum Ochsenfurt mense nostre specialiter attinens venderetur, pensantes alienacionem uel vendicionem dicti opidi nostre ecclesie ac nobis minus fore dampnosam immo magis vtilem et necesssariam quam alicuius alterius rei uel possessionis ecclesie memorate.

Nos igitur de dictorum prelatorum et canonicorum nostrorum consilio et assensu ac aliorum proborum dictum opidum specialiter attinens mense nostre vendicioni exponi fecimus. Cumque emptor non compareret ydoneus, ac verisimiliter timeremus, quod si in extraneam personam eiusdem opidi fieret alienacio ex hoc ecclesia nostra diuersis periculis subiaceret, dictum opidum Ochsenfurt vendidimus et tradidimus mere proprietatis tytulo nostro capitulo cum omnibus iuribus iurisdictionibus districtibus honoribus siluis pratis pascuis aquis aquarum decursibus quesitis et inquirendis eo iure quo nos ac nostri predecessores hactenus habuimus et tenuimus, pro precio quatuor milium librarum hallensium trecentarum librarum hallensium, necnon pro redditibus quinquaginta librarum hallensium, quos redditus debemus percipere annis singulis solummodo pro tempore nostre vite, ita quod ipsi post nostrum decessum ad prelibatum capitulum libere reuertantur, et nichil iuris successori nostro

competat in eisdem, ad habendum tenendum et possidendum a supradicto capitulo et perpetuo de ipso faciendum prout ei videbitur expedire, nullo nobis aut nostris successoribus iure ibidem de cetero reseruato, inducentes ipsum capitulum in corporalem possessionem opidi sepedicti. Specialiter etiam recognoscimus, dictam pecuniam videlicet quatuor milia et trecentas libras hallensium fore nostris et ecclesie creditoribus persolutam, ac alias in nostros ac nostre ecclesie vsus vtiles ac necessarios conuersam, necnon de ipsa per omnia nos pagatos, renunciantes omni excepcioni iuris vel facti, beneficio restitucionis in integrum, decepcionis ultra medium iusti pretii, omnique auxilio iuris canonici uel ciuilis. Quam siquidem vendicionem, omnia et singula suprascripta, pro nobis ac nostris successoribus promittimus rata habere tenere et obseruare, nec in aliquo contrafacere uel venire de iure uel de facto, sub pena dupli pecunie principalis, que quidem pena tociens commitatur et exigi possit in singulis capitulis quociens fuerit contrafactum, qua etiam soluta uel non rata maneant omnia suprascripta.

Sane cum hactenus dicto opido attinuerit ac annexum fuerit exercitium iudicii temporalis tam meri quam mixti imperii, quod centa wlgariter dicitur, cuius iudicii seu cente commissio ad nos et successores nostros specialiter dinoscitur pertinere, nos et successores nostri quicumque nobis uel eis ex dicti capituli parte fuerit presentatus illi eandem centam seu iudicium tenebimur committere, ipsius capituli nomine exercendum, quem etiam mutare poterit idem capitulum pro sue libito uoluntatis.

Vt autem singula ac vniuersa premissa sicut scripta sunt perpetue robur obtineant firmitatis, presentem paginam sigilli nostri patrocinio communimus. Et nichilominus pro maiori certitudine sigilla capitulorum maioris videlicet, in Hauge, et noui monasterii ecclesiarum herbipolensium presentibus sunt appensa.

Datum et actum ut supra, in refectorio ecclesie herbipolensis, presentibus testibus hic subscriptis, videlicet domino Heinrico de Wechmar preposito, Arnoldo de Spiezesheim decano, archidiaconis herbipolensibus, Alberto decano in Houge, Walthero decano

noui monasterii, Johanne notario eiusdem loci canonico, domino Craphtone [1]) de Hohenloch, Conrado nato suo, Heckehardo [2]) dapifero, Gotfrido Betelman, militibus, et quam pluribus aliis fidedignis [3]).

[1]) In altero hujus venditionis documento legimus: *Craftone.* [2]) B: *Eckehardo.* [3]) A: *Heckehardus dapifer, Gotfridus Betelmann, milites, et quam plures alii fidedigni.*

Sigilla quaterna praedicta ex utroque hujus documenti exemplari filis sericis — ex altero flavi rubri et viridis, ex altero rubri et viridis colorum — suspensa sunt.

LXVIII.

1295, die 21. martii.

Heinricus de Wechmar praepositus, Arnoldus de Spiezesheim decanus, totumque capitulum ecclesiae herbipolensis — cum pro ipsorum utilitate evidenti apud Manegoldum episcopum oppidum Ochsenfurt pro quadam summa pecuniae comparaverint, nec ad praesens aeris parati ipsis affuerit copia ut exinde pretium ejusdem oppidi complete persolvere valuerint — considerantes quod talis defectus de bonis mobilibus aut se moventibus ipsius capituli suppleri non possit, cum visum fuerit omnibus et singulis expedire ut redditus trium librarum denariorum monetae herbipolensis qui ipsis et capitulo per abbatem et conventum monasterii superioris in Cellis ordinis praemonstratensis dioecesis herbipolensis annuatim canonis nomine solvebantur undecunque venderentur, accedente Manegoldi episcopi consensu, justo venditionis titulo monasterio cellensi supradictos trium librarum denariorum herbipolensium redditus, quamlibet libram videlicet pro pretio undecim librarum monetae herbipolensis, dant et tradunt, praedictosque abbatem et conventum a solutione horum reddituum

seu canonis unanimiter perpetuo liberos pronuntiant, ipsosque a regula sua deponunt ac deletos esse dicunt, et si forte tunc vel in futurum aliqua instrumenta regulas aut libros in quibus mentio de solutione praelibatorum reddituum seu canonis ipsis facienda habeatur reperiri contigerit illa exnunc fore cassa et irrita volunt.

Datum anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione octava, XII kalendas aprilis, pontificatus Manegoldi episcopi anno VII.

Testes qui praesentibus affuerunt sunt hii: dominus Craphto de Hobenloch, Eckehardus dapifer, Eckehardus sultetus, Richolfus de Bûtert, Conradus notarius dominorum, Nicolaus de sancto Gallo, vicarii herbipolenses, Albertus rector scolarum in summo, Conradus rector scolarum novi monasterii, Wigandus de Tetelbach, et quamplures alii fidedigni.

Manegoldi episcopi sigillum ex hac carta hincinde per mures corrosa vel alio modo laesa quondam filis sericis rubri et viridis colorum suspensum periit. Illud capituli ecclesiae majoris herbipolensis filis sericis flavi et viridis colorum suspensum magnam partem restat.

LXIX.

1295, die 23. martii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum onere aeris alieni propter oppidi in Ochsenfurt emtionem coactum bona sua in Selgenstat Lupoldo de Wiltingen canonico vendit.

In nomine domini amen.

Nos Heinricus de Wechmar prepositus, Arnoldus de Spiezesheim decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis ad vniuersorum cupimus noticiam peruenire, quod — cum

ob inminentem ecclesie nostre necessitatem propter empcionem opidi in Ohsenfurt, cuius exsolucio in foribus inminebat, necessario pecunia egeremus — conuocatis ecclesie nostre prelatis et ceteris canonicis vniuersis multiplicem tractatum et diligentem super ipsa solucione habuimus.

Et cum diligenti tractatu prehabito non inueniremus res mobiles ex quibus dicta pecunia solui posset, omnium et singulorum in hoc resedit opinio ac voluntas, vt bona in Selgenstat nostre ecclesie attinencia — soluencia singulis annis tres libras denariorum, duodecim solidos, et sex denarios herbipolenses — venderentur, eorundem bonorum vendicionem reputantes ecclesie nostre minus fore dampnosam inmo magis vtilem et necessariam quam alicuius alterius rei siue possessionis, prout omnes vnanimiter asserebant.

Nos igitur de consensu ac voluntate venerabilis patris et domini nostri Manegoldi episcopi herbipolensis dicta bona in Selgenstat cum omnibus suis attinencijs quesitis et inquirendis cultis et incultis vendimus damus tradimus Lupoldo de Wiltingen nostre ecclesie canonico pro precio triginta quinque librarum denariorum herbipolensium ad tenendum possidendum perpetuo proprietatis titulo et inde faciendum quidquid sibi videbitur expedire, recognoscentes nos dictum precium recepisse et in vsus nostros vtiles et necessarios conuertisse, renunciantes nichilominus omni auxilio iuris et facti, excepcioni non numerate non solute pecunie non conuerse et non durantis, beneficio restitucionis in integrum, decepcionis vltra medium iusti precij, et omni alij auxilio iuris canonici et ciuilis.

Quam siquidem vendicionem, omnia et singula suprascripta, pro nobis ac nostris successoribus promittimus rata habere tenere et obseruare, nec in aliquo contra venire de iure uel de facto sub pena dupli precij pretaxati.

In quorum omnium obseruanciam pleniorem presentes litteras venerabilis domini nostri episcopi sigillo ac nostro fecimus communiri.

Testes huius contractus sunt, et ei rogati interfuerunt, Wernherus de Tannenberg cantor, Alberhtus de Lewenstein scolasticus, Andreas de Gvndeluingen prepositus in Orengov, Wolframus de Linach, Gotboldus de Walhusen, et quamplures ceteri fidedigni.

Datum et actum anno domini M°·CC°· nonagesimo quinto, feria quarta ante annunciacionem beate virginis.

Sigilla duo praedicta fasciis membranaceis suspensa sunt.

LXX.

1295, die 23. martii.

Manegoldus episcopus venditionem canonis annui necnon pensionis annuae per ecclesiae wirziburgensis capitulum et Gernodum dictum Hoveschultheize monasterio cellensi factam confirmat.

In nomine domini amen. Anno eiusdem millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, decimo kalendas aprilis, indicione octaua.

Nos Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis vendicionem canonis videlicet trium librarum denariorum herbipolensis monete dilectis nobis in Christo . . abbati et conuentui monasterii cellensis ordinis premonstratensis necnon ipsi monasterio de consensu nostro et voluntate libera per Heinricum prepositum et Arnoldum decanum totumque capitulum nostrum rite et racionabiliter celebratam, quem scilicet canonem predicti . . abbas et conuentus actenus ecclesie nostre de bonis suis annis singulis persoluerunt, auctoritate nostra presentibus confirmamus, et ipsos a solucione ipsius canonis hiis in scriptis tam a nobis quam a capitulo nostro recognoscimus absolutos.

Preterea recognoscimus, quod Gernodus dictus Houeschultheize ciuis noster, nostro accedente consensu speciali,

vendidit predictis abbati et conuentui necnon ipsi monasterio pensionem annuam, videlicet vigintisex vncias denariorum herbipolensium, vigintisex pullos, et vigintisex mensuras siliginis que wlgariter dicuntur metzhen, pro vigintiocto libris denariorum. Quam pensionem actenus prefati . . abbas et conuentus ipsi Gernodo annis singulis in festo sancti Martini census nomine persoluerunt. Volentes igitur cauere ne in posterum aliquis scrupulus vel inpedimentum aliquod super vendicione predicte pensionis memoratis abbati et conuentui necnon ipsi monasterio possit suboriri, cum nos ipsos ampliori et maiori fauore aliis amplectemur, ipsam vendicionem nostra auctoritate confirmamus, et nichilominus omni iuri si quod nobis vel successoribus nostris in pensione prefata conpetere dinoscebatur vel conpetebat renunciauimus et renunciamus hiis in scriptis. Et pro maiori cautela omne ius nostrum quod habemus in ipsa et hucusque habuimus pensione in tytulum mere proprietatis conuertentes, memoratis abbati et conuentuj donamus et tradimus per presentes perpetuo possidendam. Renunciamus insuper omni iuris auxilio tam canonici quam ciuilis per quod possit predicta vendicio infirmari, promittentes eciam predictam confirmacionem et donacionem per nos factam nos et nostros successores attendere obseruare et obseruari facere, nec contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela.

In quorum omnium premissorum testimonium necnon euidenciam pleniorem sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Testes huius donacionis et vendicionis sunt hii: Johannes et Heinricus notarij nostri, canonici noui monasterii, Eckehardus dapifer noster, Eckehardus scultetus, Jringus Cresso, Richolfus de Butert, Heinricus iudeus, Wilhelmus de Bleichuelt, et Jringus dictus Kenzeler, necnon plures alii fide digni.

Datum ut supra, pontificatus nostri anno VII.

Manegoldi episcopi sigillum una cum fascia qua ex hoc documento suspensum erat avulsum est.

LXXI.

1295, die 8. aprilis.

Ecclesia herbipolensis monasterio eberacensi quartam partem decimarum in Grezestat tradit, pro qua mansos duos in Zulichesheim sitos a Friderico de Grůnbach recipit eique titulo feodali possidendos confert.

In nomine domini amen.

Nos Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis, Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum eiusdem ecclesie recognoscimus tenore presencium et constare volumus vniuersis, quod Fridericus de Grůnbach [1]), filius Woluelinj quondam militis de Grvnbach [1]), nostre ecclesie ministerialis, in nostra constitutus presencia nobis exposuit, quod — cum ipse quartam partem decime in Grezestat [2]) tam maioris quam minute teneat et tenuerit ipse et illi quibus ipse successit qui ante ipsum eandem decimam tenuerunt ab antiquo — nobis humiliter supplicauit, ut iurj nobis conpetentj in ipsa decima renunciare vellemus, et in monasterium eberacense*) transferre, cum ipse equeualentes

*) Documenti de decima dicta huic monasterio a Friderico de Grůmbach exhibiti, e quo Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est, tenor hic est:

Ego Fridericus de Grůmbach, filius Woluelini quondam militis de Grůmbach, presentibus recognosco, me vendidisse quartam partem decime in Gretzestat venerabilibus viris domino .. abbati et conuentui in Eberaco pro precio centum et vigintiquinque librarum hallensium, quod precium me confiteor recepisse, et plene in solucione quitatum esse, et ipsum precium in vsus meos vtiles et necessarios conuertisse.

Verum eciam vt ipsos dominos de Eberaco cerciores [faciam] de mea vendicione vt pretactum est, et pro facienda plena warandia dicte decime

vel meliores possessiones loco ipsius decime resignare vellet et a nobis et ecclesia nostra in feodo recipere que ad ipsum spectant iure proprietatis.

Nos vero matura deliberatione prehabita, multociens inter nos tractatum habentes, considerantes grata et utilia seruicia nobis et ecclesie nostre per ipsum inpensa et in posterum inpendenda, attendentes eciam quod res non modicum fauorabilis existit quando decime possesse a laicis reuocantur ad ius et proprietatem ecclesiarum, cum in hiis pius consensus sit adhibendus, attendentes nichilominus quod possessiones resignate per ipsum — videlicet duo mansi in Zvlichesheim, quos possident Hermannus Orengeu[3]) et Ludewicus — equeualentes meliores siue vtiliores sint ecclesie nostre possessionibus permutatis, peticionem huiusmodi admittimus per presentes, renunciantes omnj iurj actioni nobis et ecclesie nostre in ipsa decima conpetenti. Et si quod ius conpetit vel conpetere poterit, transferimus in monasterium eberacense titulo proprietatis perpetuo possidendum, et promittimus pro nobis et successoribus nostris ratum et gratum tenere et non contra venire aliquo ingenio studio vel cautela, renunciantes eciam omnj iuris auxilio canonicj vel ciuilis per quem vel per quod huiusmodi contractus posset viciari.

Ne autem de premissis quisquam dubietatis scrupulus in poste-

posui fideiussores fratrem meum Wolframum prepositum noui monasterii, Gotfridum Betelmann militem, et Bertoldum fratrem meum militem, qui fideiussores cum amoniti fuerint a venerabilibus dominis supradictis se recipient vt conswetum est in dampnum meum donec predictam decimam vbicumque occasione mei inpedite vel inpulsata fuerit plenarie reddam absolutam.

Et quia sigillo proprio careo, sigillum reuerendi patris domini mei herbipolensis episcopi ad peticionem meam presentibus est appensum. Et nos Manegoldus dei gracia herbipolensis episcopus recognoscimus sigillum nostrum ad peticionem supradicti Friderici presentibus appendisse.

Datum anno domini M°·CC°·LXXXX quinto, feria sexta infra octauas pasche.

rum a quoquam suscitetur, presentem litteram sigillorum nostrorum munimine roboramus.

Huius rei testes sunt: Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, Wernherus de Tannenberc cantor, Andreas de Gvndelvingen prepositus in Orengeu. Wolframus de Linach, Albertus de Lewenstein scolasticus, Lupoldus de Wilthingen prepositus in Hauge, Woluelinus prepositus noui monasterij. Heinricus de Randenberc [4]), Sifridus de Wechmar, Goteboldus de Walhusen, canonicj ecclesie nostre; Johannes cellerarius, Bertholdus de Walhusen magister conuersorum, fratres de Ebera; Ekehardus dapifer, Gotfridus Betelman, milites; Cvnradus de Nůzingen [5]), Heinricus de Zenne [6]), et alij quam plures fidedignj.

Datum anno domini M°CC°. nonogesimo qvinto, feria sexta infra octauas pasce.

[1]) In altero harum litterarum exemplari legimus: *Grůmbach.* [2]) B: *Gretstat.* [3]) B: *Orengowe.* [4]) B: *Rannenberg.* [5]) B: *Nutzingen.* [6]) B: *Cenne.*

Sigilla bina praedicta quae ex utroque hujus documenti exemplari quondam fasciis membranaceis suspensa erant, de altero abscissa, in altero integra sunt.

LXXII.

1295, die 1. maji.

Coram Heinrico ecclesiae herbipolensis praeposito et archidiacono Heinricus Klopher ejusque uxores Hiltegundis necnon Mehthildis per divortii sententiam separata de possessionibus suis altisque rebus disponunt.

In nomine dominj amen.

Nos Heinricus prepositus et archidiaconus maioris ecclesie herbipolensis inspectoribus presencium constare volumus vniuersis presentibus et futuris has litteras inspecturis, quod — cum Heinricus dictus Klopher coadunata manu Mehthildis, que

tunc vxor sua legittima esse credebatur, se et sua bona mobilia et inmobilia aquisita et aquirenda, sanus existens mente et corpore, libere donarit monasterio eberacensi cisterciensis ordinis; cumque postmodum quedam alia mulier Hiltegundis nomine, cum qua idem H(einricus) ante multa transacta tempora matrimonialiter per verba de presentj et in facie ecclesie contraxerat, carnali copula subsecuta, ipsum H(einricum) coram nobis super matrimonio huiusmodi traxisset in causam, nosque eidem Hiltegundi predictam H(einricum) in virum legittimum adjudicauerimus, justicia requirente sententiam diuorcij inter eum et dictam Mehthildim sollempniter celebrantes — prefata Hiltegundis donacionem predictam per Heinricum et Mehthildim predictos prius factam coram nobis habere ratam promittens, se et sua similiter mobilia et inmobilia aquisita et aquirenda, predicto H(einrico) marito suo jubente et consenciente, libera donacione donauit et transtulit in monasterium eberacense supradictum, promittens vna cum predicto marito suo sollempni stipulacione, se nunquam velle de dictis bonis aliquid alienare distrahere uel vendere sine voluntate et expresso consensu abbatis et conuentus monasterij memoratj, sed dictam donacionem attendere seruare, et non contrafacere uel uenire aliquo ingenio studio uel cautela.

Preterea mediantibus honorabili viro domino Her(manno) abbate predictj monasterij et quibusdam alijs discretis ordinatum est inter predictos, quod Mehthildis predicta in curia ipsius H(einrici), induta tamen veste religiosa, manere debeat in comodo ei ibidem specialiter deputato, et cellarium ac granarium claudere et custodire, et curam domus et rerum disponere et regere teneatur, prout fidelitatj ipsius ac vtilitatj H(einrici) et Hiltegundis predictorum et conmoditatj predictj monasterij visum fuerit expedire.

Insuper eciam Heinricus et Methildis supradictj sani et incolomes ordinauerunt et legando seu testando statuerunt, ut in anniuersario illius qui inter eos prior decesserit de vigintj quinque maldris siliginis de bonis eorum in Husen, Opher bein, Affalterach, et in Ôggershusen seruicium conuentaj per maiorem celterarium dictj monasterij annis singulis ministretur, ambobus

vero de ac vita sublatis de bonis omnibus per eos conquesitis et dicto monasterio donatis duo consimilia seruicia in ipsorum anniuersarijs dominus abbas dictj monasterij uel cellerarius maior singulis annis conuentuj ministrabit.

Jn quorum premissorum testimonium adque euidenciam pleniorem sigillum archidyaconatus nostrj presentibus duximus appendendum.

Huius rei testes sunt: dominus Hermannus abbas dictj monasterij, Heinricus notarius, Hermannus dictus de Nicht, Cunradus magister in curia herbipolensi, monachi et confratres ibidem, magister Burcardus scolasticus nouj monasterij, magister Johannes de Rienecke eiusdem ecclesie canonicus, Cunradus Klopher, Ulricus, Hermannus, Cunradus, Heinricus, fratres, filij sutoris, Bertoldus Klopher, et Cunradus Muhsel, et alij quam plures fidedignj.

Actum et datum anno dominj millesimo CC°. nonagesimo quinto, Walpurge virginis.

Sigillum praedictum ex utroque hujus cartae exemplari fasciis ex ipsarum litterarum membrana confectis suspensum est.

Aliud documentum de eadem re brevius redactum die „VIII°. jdus junii" datum et sigillo officialis praepositi herbipolensis munitum est.

LXXIII.

1295, die 15. maji.

Wernherus de Tannenberg cantor ecclesiae herbipolensis, arbiter in controversia quae inter dominum Gotteboldum de Walhusen concanonicum ex una et Beringerum de Berlichingen militem de quibusdam bonis in Horsverzen aliquamdiu vertebatur ex parte altera constitutus, sententiatur, quod praefatae partes communiter locare debeant cultores sive colonos ad bona memorata, quodque deinceps usu fructus redditus et obventus de eisdem bonis ad communes usus ipsorum per interpositam personam quam ad hoc communiter elegerint sub expensis communibus recipere teneantur.

Actum anno domini MCC nonagesimo quinto, idibus maji.

Sigilla quatuor modo memorata fasciis membranaceis suspensa sunt.

Documentum hoc arbitrium spectans die 29 mensis maji anni 1296 exhibitum est.

LXXIV.

1295, die 23. junii.

Walterus decanus totumque capitulum ecclesiae novi monasterii herbipolensis domum quam ipsis Dyetmarus ob animae suae remedium legavit, sitam retro capellam sancti Galli, ad preces sollicitas honorabilis viri domini Lupoldi praepositi sancti Johannis in Hauge ob servitia quae idem ipsis et ipsorum ecclesiae hactenus exhibuit ac exhibere poterit in futurum dant et conferunt domino Nycolao vicario sancti Galli ad tenendum possidendum et inde perpetuo faciendum quod ipsi et vicariae dictae capellae visum fuerit expedire, inducentes eundem in corporalem dictae domus possessionem, ita tamen quod Ghysela domina*) quae eanden domum ab ipsis pro tempore vitae suae pro XII libris hallensium conduxit inhabitandi ipsam domum pro tempore vitae suae liberam habeat facultatem.

Praesentibus domino Wolframo de Lynach et domino Cunrado de Rosseberg canonicis majoris ecclesiae, et magistro Burchardo scolastico et Ottone custode canonicis novi monasterii, et Gotfrido dicto Ubelacker seniore et Gotfrido Cyncone ejusdem ecclesiae canonicis, magistro Karulo canonico in Hauge, et aliis quam pluribus fidedignis ad hoc vocatis testibus et rogatis.

Datum anno domini M°.CC°. nonagesimo quinto, in vigilia beati Johannis baptistae.

*) In altero hujus collationis documento legimus: *Ghysela domina dicta de Arbore Rosarum.*

Ex utroque hujus cartae exemplari sigilla bina praedicta fasciis membranaceis suspensa sunt.

LXXV.

1295, die 28. junii.

Manegoldus episcopus concessionem allodii in Altolshusen cum pertinentiis suis, quod . . dicta Sûenhartin mulier et ejus filius possident, Heinrico de Breitebaçh et ejus progenitoribus a suis praedecessoribus ante multa transacta tempora factam innovans, Heinrico et Gerdrudi uxori ac heredibus eorundem praedictum allodium cum pertinentiis suis universis in feodum confert jure feodi perpetim possidendum.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo V^to., III^to. kalendas julii.

Sigillum Manegoldi episcopi fascia e documenti ipsius membrana confecta suspensum est.

LXXVI.

1295, die 5. augusti.

Manegoldus episcopus coenobio in Seyligental bona in Schalcperg in proprium donat, in eorum recompensationem possessiones Conradi de Nydenouwe proprietarias in Sewen sitas recipiens eique titulo feodali conferens.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis ad vniuersorum et singulorum noticiam tam presentium quam futurorum cupimus

peruenire, quod strennuus miles Conradus de Nydenouwe in nostri presentia constitutus publice recognouit, se bona illa in Schalcperg que a nobis et nostra ecclesia in feodum possederat, dilectis in Christo . . abbatisse et conuentui sanctimonialium cenobij in Seyligental ordinis cysterciensis nostre diocesis pro anime sue remedio pure et simpliciter donauisse, nobis instantius suplicando vt nos eandem donationem ratificantes dicta bona prenominatis abbatisse et conuentui ac eorum cenobio in proprium donare, et in reconpensacionem eorundem bonorum bona sua propria in Sewen ab eo resignata recipere sibique conferre in feodum dignaremur.

Nos itaque ipsius militis suplicationibus inclinati, sperantesque ex hoc nostre ecclesie conditionem posse fieri meliorem, supradictis abbatisse et conuentui ac eorum cenobio prelibata bona in Schalcperg, que a nobis et nostra ecclesia abdicamus, in proprium donauimus presentibus et donamus jure meriproprii perpetim possidenda. Prelibata vero bona in Sewen a prefato milite nobis resignata recipientes, sibi eadem in feodum contulimus et conferimus a nobis et ecclesia nostra jure feodi possidenda.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum nostri sigilli patrocinio fecimus roborari.

Datum Herbipoli, anno domini M° CC° nonagesimo V^to., nonas augusti, pontificatus nostri anno VIII

Sigillum Manegoldi episcopi fascia membranacea suspensum est.

LXXVII.

1296, die 24. februarii.

Bonifacius VIII papa ne laici clericis neve eorum possessionibus onera imponant interdicit.

Bonifacius episcopus seruus seruorum dei ad perpetuam rei memoriam.

Clericis laicos infestos opido tradit antiquitas, quod et presentium experimenta temporum manifeste declarant. Dum suis finibus non contenti nituntur in uetitum, ad illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt quam sit eis in clericos ecclesiasticasque personas et bona interdicta potestas, ecclesiarum prelatis ecclesijs ecclesiasticisque personis regularibus et secularibus imponunt onera grauia, ipsosque talliant, et eis collectas imponunt, ab ipsis suorum prouentuum uel honorum dimidiam, decimam, seu vicesimam uel quamuis aliam portionem aut quotam exigunt et extorquent, eosque moliuntur multifarie subiacere seruituti sueque submittere dicioni. Et — quod dolenter referimus — nonnulli ecclesiarum prelati ecclesiasticeque persone trepidantes ubi trepidandum non est, transitoriam pacem querentes, plus timentes maiestatem temporalem offendere quam eternam, talium abusibus non tam temerarie quam improuide acquiescunt, sedis apostolice auctoritate seu licentia non obtenta.

Nos igitur talibus iniquis actibus obuiare uolentes de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate statuimus, quod quicumque, prelati ecclesiasticeque persone religiose uel seculares quorumcumque ordinum conditionis seu statuum collectas uel tallias decimam, vicesimam, seu centesimam suorum et ecclesiarum prouentuum uel bonorum laicis soluerint, uel promiserint, uel se soluturos consenserint, aut quamuis aliam quantitatem portionem aut quotam ipsorum prouentuum uel bonorum extimationis uel ualoris ipsorum sub adiutorij mutui subuentionis subsidij uel doni nomine seu quouis alio titulo modo uel quesito colore absque auctoritate sedis eiusdem, necnon imperatores reges seu principes duces comites uel barones potestates capitanei officiales uel rectores quocumque nomine censcantur ciuitatum castrorum seu quorumcumque locorum constitutorum ubilibet, et quiuis alius cuiuscumque preminentie conditionis et status, qui talia imposuerint exegerint uel receperint, aut apud edes sacras depostta ecclesiarum uel ecclesiasticarum personarum ubilibet arestauerint sasiuerint seu occupare presumpserint, uel arrestari sasiri aut occupari mandauerint, aut occupata, sasita seu arestata receperint, necnon omnes qui scienter in predictis dederint auxilium consilium

uel fauorem publice uel occulte, eo ipso sententiam exconmunicationis incurrant. Vniuersitates quoque que in hijs culpabiles fuerint ecclesiastico supponimus interdicto, prelatis et personis ecclesiasticis supradictis in uirtute obedientie et sub depositionis pena districte mandantes, ut talibus absque expressa licentia dicte sedis mullatenus acquiescant, quodque pretextu cuiuscumque oblationis promissionis et concessionis factarum hactenus uel faciendarum in antea prius quam huiusmodi constitutio prohibitio seu preceptum ad notitiam ipsorum peruenerint nichil soluant, nec supradicti seculares quoquo modo recipiant. Et si soluerint, uel predicti receperint, in exconmunicationis sententiam incidant ipso facto.

A supradictis autem exconmunicationum et interdicti sententijs nullus absolui ualeat preter quam in mortis articulo absque sedis apostolice auctoritate et licentia speciali, cum nostre intentionis existat tam horrendum secularium potestatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire, non obstantibus quibuscumque priuilegijs sub quibuscumque tenoribus formis seu modis aut uerborum conceptione consessis imperatoribus regibus et alijs supradictis, que contra predicta in nullo uolumus alicui uel aliquibus suffragari.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre constitutionis prohibitionis seu precepti infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Rome apud sanctum Petrum, VI kalendas martij, pontificatus nostri anno secundo.

Bonifacii VIII papae bulla plumbea filis sericis flavi et rubri colorum suspensa est.

LXXVIII.

1296, die 22. martii.

Manegoldus episcopus recognoscit, quod abbatissa et conventus sanctimonialium in Marpurgehusen ordinis cisterciensis — cum ipso permutationem tam ipsi quam eis fructuosam facientes — ipsi et ecclesiae herbipolensi unum mansum situm in oppido Hasefurte quondam . . illius de Mecheriet cum attinentiis suis, qui ad coenobium praedictum jure proprietatis spectarat, libera donatione donarunt et tradiderunt; pro Eberlino de Urheim, qui episcopi et ecclesiae herbipolensis proprius exstiterat, et manso ejus proprio sito in ipsa villa Urheim, quem siquidem Eberlinum cum manso suo ab ipso et ecclesia dicta penitus abdicans, ipsum cum eodem manso in recompensationem mansi in Hasefurte siti praedictis abbatissae et conventui sanctimonialium libere et pure donat, et ad eas earumque coenobium ipsum transfert pleno jure.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo VI^to^·, in die coenae domini, pontificatus anno VIII°·

Manegoldi episcopi sigillum ex hac permutationis carta filis linteis rubri et viridis colorum suspensum est.

LXXIX.

1296, die 23. martii.

Fridericus de Truhendingen castrum suum Nuwenburg Manegoldo episcopo, pacto reemtionis adjecto, vendit.

Nos Fridericus de Truhendingen laycus senior jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris,

quod — cum ex paternis contractibus diuersis et multimodis essemus debitorum honeribus pregrauati, que imquam debita per vsurarum voraginem a longe retroactis temporibus adeo excreuerunt quod nisi ceteri remedio nobis fuisset prospectum dampna irrecuperabilia non potuissemus aliquatenus euitasse, nostrique creditores ad faciendam solutionem debitorum huiusmodi vehementius nos vrgerent — conuocatis consanguineis et amicis nostris super tam imminentium dampnorum formidine consilium petebamus. Quibus super eodem negocio tractantibus et deliberantibus, post varios et diuersos tractatus prouida deliberatione conmuni consensu firmarunt, quod — cum ex rebus nostris mobilibus aut se mouentibus tanta debita solui non possent — vtile et necessarium videretur, vt castrum nostrum Nuwenburg venderetur, pensantes alienationem sev venditionem eiusdem castri nobis fore minus dampnosam inmo magis vtilem et necessariam quam alicuius alterius rei vel possessionis nostre.

Propter quod adtendentes necessitatem eris alieni ac debitum vrgens, inspecta eciam euidenti vtilitate nostra, venerabili patri et domino nostro domino Manegoldo de Nuwenburg episcopo herbipolensi predictum castrum Nuwenburg vendidimus et in hiis scriptis vendimus jure mere proprietatis cum hominibus jurisdictionibus districtibus honoribus siluis pratis pascuis ortis agris vineis decimis aquis aquarumue decursibus omnibusque juribus et pertinentiis suis quesitis et non quesitis quocumque nomine censeantur pro precio qvingentarum librarum hallensium, quod quidem precium confitemur nos habuisse recepisse, et in vsus nostros necessarios et vtiles ac in solutionem predictorum debitorum precipue conuertisse, renunciantes exceptioni non numerate non solute non habite pecunie, exceptioni doli mali et in factum, restitutionis in integrum, deceptionis vltra dimidiam iusti precii, minoris etatis, omnique juris auxilio canonici et ciuilis per quod dicta posset venditio quomodolibet impediri, ac predictum dominum nostrum episcopum in possessionem dicti castri et omnium et singularum pertinentiarum eiusdem inducimus corporalem, ipsumque idem castrum ac bona omnia et singula eidem attinentia pleno et integro proprietatis et possessionis jure

constituimus possidere, abdicantes a nobis coniuge nostra et heredibus nostris omne jus quod in dicto castro et pertinentijs suis premissis habuimus, et in predictum dominum nostrum episcopum cum pleno rerum dominio transferentes.

Licitum est tamen nobis vel heredibus nostris de gratia speciali, prefatum castrum cum pertinentiis suis pro pretaxata pecunie summa abhinc vsque ad festum kathedre beati Petri et deinde ad duos annos inmediate subsequentes reemere quandocunque propria pecunia sine vara, ita tamen quod si hoc non fecerimus anno quocunque ante festum beati Petri iam pretactum, extunc fructus jndustriales de bonis ipsius castri prouenientes vsibus prelibati domini nostri episcopi quo ad illum annum cedere tenebuntur, vt de cultura eisdem bonis per eum tunc impensa emolimentum huiusmodi consequatur.

Promittimus eciam, quod ad minus qvinquaginta librarum hallensium redditus ipsi domino nostro episcopo ad iamdictum castrum assignabimus. Et siquid plus de bonis vel redditibus ad id inuentum fuerit pertinere, hoc ipsi domino nostro episcopo cum dicto castro pleno iure nichilominus remanebit.

Si vero infra supradictum terminum prenotatum castrum non reemerimus, extunc prelibatus dominus noster episcopus ad consilium sev arbitrium honorabilium virorum dominorum Andree de Gundelvingen prepositi ecclesie onolspacensis, auunculi nostri, domini Lupoldi de Wiltingen prepositi ecclesie sancti Johannis in Hauge, et domini Wolframi de Grůmbach prepositi ecclesie noui monasterii herbipolensis ex parte ipsius domini nostri episcopi electorum, et honorabilis viri domini Friderici de Truhendingen canonici ecclesie babenbergensis, patrui nostri, nobilis viri Kraftonis de Hohinloch, et Vlrici de Gyssendorf militis ex parte nostri electorum, iustum precium siquod deesse eis videretur nobis vel heredibus nostris supplebit addet et persoluet in certis terminis vel termino, secundum quod iidem inter se discretione adhibita ordinauerint taxauerint decreuerint sev fuerint arbitrati. Et si aliquis eorundem rebus humanis (quod absit) exemptus fuerit, vel alio impedimento le-

gittimo detentus quominus huic negocio interesse valeret, alter in locum illius subrogabitur sine vara.

Preterea promisimus et promittimus fide data vice prestiti sacramenti, predicto domino nostro episcopo facere warandiam que werschaft vulgariter dicitur que de bonis proprietariis fieri consueuit secundum jus et consuetudinem terre Frankonie hactenus obseruatam, omnesque actiones sev questiones que contra idem castrum cum pertinentiis suis a quocunque vel a quibuscunque nostri occasione in posterum mouebuntur secundum iustitiam dirimere et sopire, ac de euictione ipsius castri omnino cauere, necnon infra annum a data presentium numerandum efficere et procurare quod coniux nostra predicta contractum premissum ratum et gratum habebit, expressum suum consensum adhibendo eidem, et renunciando omni juri quod ei in dicto castro competit sev competere videretur. Alioquin si ipsi domino nostro episcopo per nos vel heredes nostros plenaria non fieret cautio de premissis sev aliquo premissorum, extunc dominus Fridericus canonicus babenbergensis, patruus noster, et Krafto de Hohinloch prelibati, Krafto natus eiusdem, patruus noster, et Vlricus de Truhendingen, frater noster, quos supradicto domino nostro episcopo damus fideiussores, recipient se in ciuitate herbipolensi more fideiussorio postquam moniti fuerint infra mensem tunc proximum, tamdiu inibi in dampnum nostrum expensas facturi et non abinde recessuri donec quod promissum est superius per nos vel heredes nostros effectualiter fuerit adimpletum. Sane si aliquis eorundem fideiussorum (quod absit) de medio sufferretur, vel aliquo necessitatis ineuitabilis impedimento fuerit detentus, alium eque bonum et ydoneum sibi substituere promittimus infra mensem tunc proximum loco sui. Alioquin superstites fideiussores moniti se extunc in obstagio in predicta ciuitate recipient et tamdiu expensas in dampnum nostrum facient quoadusque fuerit subrogatio talis facta.

Insuper dominus noster episcopus prefatus potest si voluerit infra prescriptum reemptionis terminum in antedicto castro facere edificia ad estimationem viginti librarum hallensium. Et si vltra aliquo idem

castrum necessario vel vtili edificio indiguerit, illud ad scitum et iussum predictorum domini Andree de Gundelvingen, auunculi nostri, et domini Friderici canonici babenbergensis, patrui nostri, vel Eckehardi militis, dapiferi prefati domini episcopi, et Vlrici de Gyssendorf, militis nostri prefati, vel aliorum duorum quos vtrimque ad hoc elegerimus, si ceteri essent prepediti, fieri debet. Quas siquidem edificii expensas ipsi domino nostro episcopo ante supradicti castri si id reemerimus restitucionem promisimus et promittimus integraliter resarcire, sepium propugnaculorum minorum stabulorum coquine et aliorum minutorum edificiis minime conputandis.

Adiectum est eciam, quod si prenominatum castrum a domino episcopo per fraudem dolum violentiam vel alium modum quemcunque illicitum fuerit euictum, prefati fideiussores a receptione obstagij predicti tamdiu erunt absoluti quo ad hunc casum quousque ipse dominus episcopus nostro auxilio mediante — quod sibi ad hoc efficaciter impertiri promittimus — possessionem ipsius castri recuperabit sev etiam rehabebit.

Que imquam omnia premissa et singula rata et grata habere fide data vice prestiti juramenti promittimus, et non contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela.

In quorum omnium premissorum et singulorum testimonium hoc instrumentum nostro et prefatorum fideiussorum sigillis sepedicto domino nostro episcopo tradidimus diligentius roboratum.

Nos quoque Vlricus de Truhendingen, frater venditoris predicti, prenarrato contractui specialiter nostrum consensum expressum presentibus adhibemus, promittentes eundem ratum et gratum habere fide data vice prestiti sacramenti, nec contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela.

Nos eciam Fridericus de Truhendingen canonicus babenbergensis, Krafto dominus de Hohinloch, Krafto natus eiusdem, et Vlricus de Truhendingen, fideiussores prenotati, premissa omnia et singula sic recognoscimus esse gesta, et ad

preexpressas fideiussiones nos presentibus obligamus, nostra sigilla in eorundem euidenciam pleniorem presentibus appendentes.

Datum et actum apud domum fratrum theutonicorum extra muros herbipolenses, anno domini M°·CC°·nonagesimo VI^to., feria sexta ante festum annunciationis beate virginis; presentibus fideiussoribus supradictis; honorabilibus viris domino Heinrico de Wechmar preposito maiori herbipolensi, domino Wolframo preposito ecclesie noui monasterii herbipolensis, domino Andrea de Gundeluingen preposito ecclesie onolspacensis, et domino Lupoldo de Wiltingen preposito ecclesie sancti Johannis in Hauge; item domino Johanne prothonotario predicti domini nostri episcopi, et Hartmanno notario predicti domini Kraftonis de Hohinloch, canonicis ecclesie noui monasterii predicti; item Eckehardo dapifero predicto, Vlrico de Gyssendorf prefato, Wiperto de Krentse, et Leschone, militibus; item Conrado dicto Studigel, .. dicto Liehtinvelser, et pluribus alijs testibus fidedignis.

Sigillorum ex hoc documento fasciis membranaceis suspensorum nonnisi ea FRIDERICI DEI GRACIA COMITIS DE TRVHENDINGEN, VLRICI· COMITIS· DE· TRUHENDINGEN, FRIDERICI· DE· TRVHENDINGEN· CANonici· BAMBERGensis, KRAFTHONis de HoHENLOCH supersunt.

LXXX.

1296, die 29. maji.

Wernherus de Tannenberg cantor et Wolframus de Grunbach custos canonici ecclesiae herbipolensis publice recognoscunt, dominum Goteboldum de Walhusen concanonicum et Berengerum militem de Berlechingen in ipsorum praesentia constitutos laudasse et solemnibus stipulationibus hincinde intervenientibus observare fideliter promisisse arbitrium inter ipsos anten promulgatum super quibusdam bonis in Horswerzen sitis

prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, hoc solum mutato, quod, quandocunque vel quotiescunque inter dominum Goteboldum et Berengerum praedictos vel eorum successores orta fuerit aliqua materia questionis, illam debent ad praedictorum vel illorum qui pro tempore fuerint in ipsorum officiis constituti audientiam deferre, ita ut ipsi hujusmodi questionis cognitione et diffinitione praehabitis alterum eorum alteri injuriam facientem sollicite moneant ut infra unius mensis spatium ab ipsorum monitione numerandum passo injuriam satisfaciat competenter, et a molestatione sua deinceps desistat penitus et quiescat. Alioquin statim elapso monitionis termino incidet poenam solvendam parti alteri arbitrium observanti, omnibus exceptionibus et defensionibus praetermissis quae contra hujusmodi poenam ex quacunque causa possent objici.

Datum et actum anno domini M°·CC°· nonagesimo VI, feria tertia post Urbani.

Sigilla dominorum quatuor ante nominatorum fasciis membranaceis suspensa sunt.

Arbitrium prius huc spectans die 15 mensis maji anni 1295 promulgatum supra sub num. LXXIII pag. 128 edidimus.

LXXXI.

1296, die 4. julii.

Manegoldus episcopus, gloriosam dei genitricem virginem Mariam omni reverentia et laudum quo potest praeconio extollere dignum ducens, commendatoris et fratrum theutonicae domus extra muros herbipolenses supplicationibus super consummanda capellae suae dudum coepta laudabiliter opera favorabiliter inclinatus, ut duorum arcuum lapideorum et pavimenti intermedii structuras ab ipsorum domo ultra illam quae ad Schotos publicam ducit viam

porrectas — observato tamen in his in altitudine et amplitudine moderamine competenti — facere possint concedit.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo VI^to., in die beati Vdalrici episcopi, pontificatus anno nono.

Manegoldi episcopi sigillum ex hac carta filis sericis flavi et rubri colorum suspensum est.

LXXXII.

1296, die 2. augusti.

Ecclesia herbipolensis medietatem decimae in Egenhusen a feodi nexu liberatam coenobio in Frauenrode tradit, bona proprietaria in Rûprehteshayn a Frowino de Heseler titulo feodali conferenda recipiens.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum serie litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod nobilis vir comes Heinricus de Kastele in nostri presentia constitutus nobis humiliter suplicauit, quod — cum Heinricus bone memorie dictus de Flache medietatem decime in Egenhusen, quam habuit in feodum ab ipso comite, qui inmediate eandem a nobis et ecclesia nostra in feodum tenuit, dilectis in Christo deuotis et religiosis . . abbatisse et conuentui sanctimonialium cenobii in Frauwenrode ordinis cysterciensis nostre dyocesis rite et legittime vendiderit, consensu ipsius comitis expressius accedente — nos eandem venditionem ratam et gratam habere de nostre paternitatis sollicitudine curaremus.

Et quia ad instantiam ipsius comitis Frowinus de Heseler in reconpensam dicte decime medietatem decem mansorum cum omnibus pertinentiis et juribus suis quesitis et non quesitis in Rû-

prehteshayn sitorum, qui ad eum tytulo proprietatis spectarant, longe in valore prescriptam decimam precellentium nobis donans, a nobis et nostra ecclesia in feodum nunc recepit, nos considerantes nostram ecclesiam exinde posse prospicere meliora, considerantesque non modicum fauorem iuris existere bona ecclesiastica de laycorum manibus reuocare et ad pia ac religiosa loca transferre, supradictam decime medietatem nobis a prenominato comite libere resignatam de nostri capituli consensu expresso a nobis et ecclesia nostra penitus abdicantes, prelibatis abbatisse et sanctimonialium conuentui necnon earum cenobio in meram proprietatem donauimus presentibus et donamus, in ipsas earumque cenobium cum pleno rerum dominio transferentes.

In quorum omnium premissorum et singulorum testimonium hoc instrumentum nostro, capituli, et comitis predictorum sigillis est diligentius roboratum.

Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, et capitulum ecclesie memorate premissis omnibus et singulis nostrum consensum plenius adhibemus, nostri capituli sigillum in eius testimonium huic pagine appendentes.

Nos eciam Heinricus comes sepedictus premissa omnia sic recognoscimus esse gesta, nostrum sigillum in eorundem euidentiam presentibus apponentes.

Testes autem omnium predictorum sunt honorabiles viri Heinricus prepositus maior predictus, Albertus de Leuwinstein scolasticus, Lupoldus de Wiltingen prepositus in Hauge, Heinricus de Rannenberg, archidyaconi herbipolenses, et plures alii fidedigni.

Datum anno domini M°·CC°· nonagesimo VI^to·, IIII^to· nonas augusti.

Sigilla tria ante laudata filis sericis flavi rubri et viridis colorum ex hac carta suspensa sunt.

LXXXIII.

1296, die 11. augusti.

Manegoldus episcopus se Adolfo Romanorum regi contra cives wirziburgenses et quemcunque injuriantem auxilium esse laturum promittit.

Nos M(anegoldus) dei gratia episcopus herbipolensis recognoscimus et presentibus litteris publice profitemur, quod cum serenissimo domino domino A(dolfo) rege Romanorum conuenimus et concordauimus in hunc modum, quod eidem domino regi non solum contra ciues herbipolenses ad prosequenda vtriusque nostrum jniurias et dampna data per eos sed eciam contra omnem hominem uiuentem bona fide et sine vara assistemus, ipsumque iuuabimus auxilio consilio et fauore, prout fide data promisimus et corporale super eo prestitimus iuramentum, hoc inter nos ac ipsum dominum regem acto expresse, quod — quamcunque emendam ipsos ciues prestare contigerit super actionibus que ipsi regi conpetunt contra eos — de illa nichil ad nos spectabit.

Si vero super questionibus sev actionibus nobis conpetentibus contra ciues eosdem aliqua emenda poterit procurari, de illa nobis impertienda et parte sibi retinenda nos sue gracie duximus submittendum.

Nos etiam cum dictis ciuibus nullam conpositionem inibimus nisi de ipsius domini regis beneplacito fuerit et consensu.

Ad hec si aliquis officiatorum nostrorum incusaretur a predicto domino nostro rege quod esset terre nociuus, nos requisiti ab ipso teneremur illum destituere, et instituere alium pacificum et quietum, nisi forte ipsum officiatum de obiectis possemus coram eodem domino nostro rege excusare rationabiliter sev purgare.

Jn cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri ac reuerendi domini H(einrici) abbatis fuldensis necnon illustris domini H(einrici) lantgrauii Hassie sigillorum munimine iussimus roborari.

Datum Wetflarie, III jdus augusti, indictione nona, anno domini M°. CC°. nonagesimo VI^to.

Hae litterae in cedula itidem membranacea longiore quam latiore litteris valde minutis exaratae per fasciam membranaceam diplomati modo sequenti eo loco quo abbatis fuldensis sigillum jamnunc perditum ex eo suspensum erat affixae sunt.

LXXXIV.

1296, die 11. augusti.

Adolfus Romanorum rex Manegoldum episcopum et ecclesiam herbipolensem — auxilio sibi contra cives wirziburgenses et quemcunque injuriantem promisso — in suum et sacri imperii protectionem recipit specialem.

Nos Adolfus dei gratia Romanorum rex semper augustus recognoscimus et presentibus litteris publice profitemur, quod cum venerabili Manegoldo herbipolensi episcopo principe nostro dilecto conuenimus et concordauimus in hunc modum, quod — cum idem non solum contra ciues herbipolenses ad prosequendum vtriusque nostrum iniurias et dampna data per eos, sed eciam contra omnem hominem bona fide et sine vara nobis assistere ac nos iuuare promiserit auxilio consilio et fauore — nos viceuersa ipsum et ecclesiam suam, necnon . . prepositum, . . decanum, totumque capitulum ecclesie herbipolensis in personis et rebus eorum sub nostram et sacri jmperij protectionem recepimus et recipimus

specialem, volentes ipsos contra iniuriatores eorum quoslibet defendere et tueri.

Nec ciues herbipolenses ad reconciliacionis vel fauoris nostri graciam admittemus nisi predicto episcopo procuremus de ipsis ciuibus iusticiam vel amorem, ita sane quod amicicia de ipsius episcopi voluntate procedat.

Nos eciam omnem indignacionis offensam, quam contra ipsum episcopum conceperamus exinde quod contra ordinacionem factam inter nos et ipsum per venerabilem Gerhardum archiepiscopum maguntinum videbatur aliqua attemptasse, ex corde remittimus, ipsum ad plenitudinem nostri fauoris et gracie resumentes.

In cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri ac venerabilis Heinrici abbatis fuldensis necnon illustris Heinrici lantgrauij Hassie principum nostrorum sigillorum munimine iussimus roborari.

Datum Wetflarie, IIIo. idus augusti, anno domini millesimo ducentesimo nonogesimo sexto, regni vero nostri anno quinto.

Sigillum Adolfi regis quod dicunt majestatis e sinistra hujus diplomatis parte suspensum est. Illud Heinrici Hassiae lantgravii, imaginem militis armati repraesentans quod dicunt equestre, e dextera ejus parte suspensum magnopere laesum est; de circumferentia sigilli ejusdem retro impressi solummodo verba: † ET · FIL SANCTE · ELIZABET restant. Illud abbatis fuldensis, quod medium inter duo praedicta suspensum erat, plane periit, cujus loco litteras hoc diploma antecedentes per fasciam membranaceam affixas esse jam memoravimus.

LXXXV.

1296, die 13. decembris.

Schiedsrichterliche Schlichtung der Misshellungen zwischen Bischof Manegolt und den Herren von den Stiften zu Wirzburg mit der Bürgerschaft daselbst.

Wir Manegolt von gotes gnaden bischof ze Wirceburg tûn kunt allen den die disen brief an sehen lesen oder horen, daz die edeln herren, her Gotfrit von Brunecke, her Kraft von Hohenloch, vnd greiue Rûdolf von Wertheim, mit vnsers herren kunec Adolfes von Rome wort vnd willen den kriec vnd die missehellunge die zwischen vns vnd den herren von den stiften ze Wirceburg einsit vnd vnsern burgern von Wirceburg arme vnd riche gewesen ist andersit minneclich vnd gûtlich verrihtet haben als hie nach geschriben stet.

Die burgere alle arme vnd riche suln vns bischof Manegolt vnd vnsern nachkumen alle vnser reht vnd gerihte halten vncerbrochenlichen, als sie von alter her sin komen, vnd vns nieman dar an sol irren noch gewalt tûn. Swer aber daz teite, gein dem vnd gein allen den die vns kein hindersal tûn mit worten oder mit werken suln sie vns vnd vnsern rihteren beholfen sin mit gûten truwen one geveirde.

Dar nach daz ir burgermeister rat rathus vnd ratgloggen vnd allez daz ze dem selben rate gehoret ieze abe suln sin, vnd furbaz nimmer mere suln gesetzet werden oder wider genumen.

Dar nach daz wir den alten rat wider setzen suln als er von alter her kumen ist. Vnd swaz der rat mit vnserm worte setzet vnd machet, daz sal man allez steite halten.

Dar nach daz furbaz nieman kein gerihte haben sol wan wir vnd vnser rihtere vnd die ez zerehte von alter her haben suln, vnd auch nieman kein gerihte sûchen sol wanne vor vns vnd vnsern rihteren.

Dar nach daz alle die seitze die ane vnser wort gesetzet sin abe suln sin vnd keine kraft haben, vnd daz man auch furbaz nimmer mere keine setzen sol ane vnser wort oder vnserre nachkumen.

Dar nach daz wir daz vngelt haben suln ze vnserm libe.

Dar nach daz wir die zunft abe nemen suln oder lazzen besten, swederz wir tûn wollen.

Dar nach daz man vnser geleite swem wir daz geben in die stat ze Wircoburg vesteclichen halten sol.

Dar nach swaz geschihte oder vfleufe oder vnrehtes geschehen ist, die suln wir vordern mit dem reht. Vnd dar zû suln die sehcec die hie nach bi namen sten vnd die gemeinde der burgere von Wirceburg bi ir eiden die sie dar vber gesworn haben mit gûten truwen ane geveirde vnd vorderlich beholfen sin, swenne wir sie des manen gemeinlich oder besundere.

Vnd daz die vorgenanten herren von den stiften ze Wirceburg deste bezzern fride haben an ir libe vnd an ir gûte, so haben vnser vorgenante burgere arme vnd riche in die sicherheit getan als sie hie nach geschriben stet. Ez haben sehcec burgere, der alte Lebarte, Heinrich vonme Rebstoc, Heinrich Weibelere, Fritze Gir, Eckehart von Heidenheim, Ortlieb Buzkorber, Marquart von Beirrutte, Heinrich Virnkorn, Cûnrat Willemût, Engellin von Hephenheim, Sifrit vonme Rebstoc, Cûnrat vnd Arnolt von der Helle, Otte Munscher, Bertholt von der Tanne, Diethrich Meiler, Aple von Wigenheim, Johan Hane, Merkelin von Beirrute, Heinrich Veizzelin, Johan vonme Ster, Herbort von Niht, Gotze von Haugc, Conrat Weibeler,

Heinrich Senfteleben, Engellin Hane, Cûnrat Heuber, Aple von der Tanne, Eckelin Fretzer, Eberhart von Beirrute, Lupolt Scholle, Arnolt Munscer, Marquart von Tetelbach, Heinrich von Babenberg, Heinrich Zan, Engelhart von Rotenburg, Wolfmar Ziechelin, Cûnrat vonme Rebstoc, Fûhs Rote, Friderich Buzkorbere, Friderich von hern Zinken houe, Gotze Ziechelin, Woluelin Muncer, Merkelin von Wigenheim, Cûnrat von Jsenburg, Woluelin von Heydenheim, Cûnrat Lebarte, Woluelin Brunlin, Merkelin Buzzigel, Heinrich Jôzzer, Eckehart vonme Stere, Cûnrat von Liebsperg, Hiltebrant Grûbe, Berthôlt Heuber, Johan Virnkorn, Erkenbolt Rote, Reinhart von Wigenheim, Heinrich Munscer, Gunther Schelle, vnd Gotfrit von Kunegeshouen, die die herren benennet haben, ze den heiligen gesworn, daz si niht gestaten daz den herren oder ir keime kein gewalt oder kein vnreht geschehe von der gemeinde, vnd suln daz wenden als verre als sie kunnen oder mugen ane geveirde, vnd daz sie kein hilfe oder rat dar zu geben. Weire aber daz ez dar vber ane ir wizzende vnd ane ir gedanc geschehe, rihten sie daz niht vz in vierzehen tagen als sies gemant wurden von dem tûmprobst, von dem techant, von dem schûlmeister, von dem sancmeister von dem tûme, von dem probst von Hauge, von dem probst von Onolspach, vnd von dem probst vonme nuwen munstere, von den allen oder drien den der gewalt zemanen ist geben, so suln die sehcec vf irn eit vf den sale al zemale varen, also daz ir keiner dar vz kome ane der vorgenanten herren wort. Wirt aber ez in viercehen tagen niht vz gerihtet nach minne oder nach reht, so suln die vorgenanten dri landesherren vnd auch der edel iuncherre Kraft, des vorgenanten hern Kraftes von Hohenloch sun, als sie gemant werden von den herren die vorgenant sin, alse lange leisten ze Wirceburg biz daz vz gerihtet werde nach minne oder nach reht. Daz reht suln sie vordern vor einem bischof ze Wirceburg; oder ob es in niht wider varen mohte, so suln siez anderswa vordern swa sie zerehte suln nach

gais(t)lichem oder nach wertlichem rehte. Doch die minne sol mit beider teil willen geschehen.

Die sehcec suln auch alle iare ir gelubedes veriehen an sante Walpurge tage, als si es gemant werden von den vorgenanten herren. Jst aber ir keiner abe gangen, so suln die andern einen andern setzen an sine stat vf den selben tac, swelhen die vorgenante herren benennen. Teiten sie des niht, so suln sie vf den sale varen, swenne sie von den selben herren die die maht haben gemant werden, als da vor gesprochen ist.

Jst aber daz sunderlingen kein gewalt oder kein vnreht keime herren wider vert ane der gemeine schult, swer daz getan hat, den suln die vorgenanten sehcec vf irn eit, ob er ez niht bezzert, in viercehen nehten nach minne oder nach reht mit des bischoffes boten an griffen, vnd entwurten dem bischof in sine gewalt, ob si in ane geveirde megen haben. Den sol er alse lange halten biz daz er gebezzert werde nach minne oder nach reht. Mohten si in aber ane geveirde niht gehaben, so sol sich ein bischof alles des er hat vnderwinden, vnd suln si im dar zu beholfen sin. Hat er aber niht gûtes da mit er gebezzern muge, so suln sie in nimmer in die stat lazzen kumen biz daz er gebezzeret hat nach minne oder nach reht.

Wurden si aber bruch an keinen dingen als vor gesprochen ist, so suln die sehcec vnd die landesherren leisten als vor gesprochen ist. Weire daz der landesherren keiner abe gienge, so suln die sehcec in einem mande dar nach in varen leisten biz daz si einen andern landesherren setzen, einen sinen genoz ane geveirde. Weire daz sie niht leisten, so suln die andern landesherren in varen leisten darnach in viercehen nehten als sies gemant werden von den herren die den gewalt haben, vnd suln als lange leisten biz ein anderre gesatzet wirt.

Wider vert aber keime der herren gesinde iht von keim burgere oder von sime gesinde, daz sal man klagen vor dem bischof. Vnd wolte man des rehten vor im vz gen, so solden die vorgenanten sehcec vf irn eit wider den beholfen sin, swenne sies

gemant wurden von den herren die den gewalt haben, biz er minne oder reht teite.

Weire aber daz keinem burgere kein gewalt von keim herren von den stiften gescheihe, der sol ez klagen vor dem techant. Wider vert im niht reht oder minne in viercehen tagen, so sol er ez einem bischof klagen. Der sal im nach reht rihten. Wil des iener wider sin, so sol in sin capitele von dem stifte vnd von siner pfrûnde vnd gemeinschaft vnd auch von der stat alse lange wisen biz daz er nach minne oder nach reht gebezzeret.

Weire auch daz der herren gesinde iht misseteite gein der burgere keime oder ir gesinde, so sol sin herre — ist ez ein sache die man billich im klagen sol — von im rihten als ein herre ze reht von sime gesinde sol, als verre er kan oder mac ane geveirde. Sol man aber die sache niht billich vor im klagen, so sol man die selben klage brengen fur einen bischof, vnd vzrihten nach minne oder nach reht.

Doch suln wir allewege vnser gerihte haben als ez vnser vor varen vnd wir von alter her gehabet haben.

Vmbe andere sache die die herren haben von des wegen von Stahilberg vnd auch anders gein den burgeren, des suln si sich mit in verrihten nach minne oder nach reht swa man daz reht zerehte vordern sol oder mac.

Ez ist auch gesprochen, swa die herren die sehcec oder die landesherren ze vnreht manen, daz sise ze rehte suln losen.

Die gemeinde auch arme vnd riche hat vns vnd den stiften vnd den sehcegen ze de heiligen gesworn, alle dise teidinc vnd die sûn steite zehalten vnd auch vorderlich dar zû ze beholfin sin.

Vnd daz auch die selbe sûn deste steiter vnd deste vester blibe, so haben wir disen brief ze einem ewigen vrkunde heizzen geschriben, vnd dar an vnser, der vorgenanten stifte, der vier landesherren, vnd der burger jnsingel al zemale heizzen gehangen.

Wir auch die herren von den stiften als wir vor genant sin geloben, die vorgesprochenne rede vnd sûn steite zehalten. Vnd des ze einem vrkunde henken wir vnser jnsingel an disen brief.

Wir auch die landesherren als wir vor genant sin bekennen der vorgeschribenen rede vnd verrihtunge aller, vnd verbinden vns mit vnsern truwen an disem brieue ze der vorgeschriben burgeschaft. Vnd ze einem vrkunde haben wir vnser jnsingel an disen brief heizzen geleit.

Wir auch die vorgenanten burgere arme vnd riche bekennen aller der dinge die vor geschriben sten, vnd geloben si alle vestecliehen steite zehalten. Vnd ze einem ewigen gezucnisse haben wir vnser jnsingel an disen brief heizzen gehangen.

Diser brief ist geben nach vnsers herren geburte tusent iare zwei hundert iare vnd in dem sehs vnd nuncegesten iare, an sante Lucien tage.

Undecim sigilla ex hoc documento filis linteis flavi et viridis colorum suspensa fuisse videntur. Ea Manegoldi episcopi, capituli majoris ecclesiae herbipolensis, abbatis s. Burkardi, ecclesiae s. Johannes in Hauge, ecclesiae novi monasterii herbipolensis, abbatis s. Stephani, abbatis s. Jacobi Scotorum, Gotfridi de Hohenloch supersunt. Illud Kraftonis de Hohenloch magnam partem periit. Reliquorum duorum nonnisi fila quibus suspensa esse poterant restant.

LXXXVI.

Anno 1296?

Wirzburgische Stadt- und Landfriedenssätze.

Wir Manegolt von gotes gnaden bischof zv Wirzebvrg tvn kvnt allen den die disen brief lesen oder horen lesen, daz wir

von vnser prelaten rate der dienstmanne vnde der bvrgere die ze vnserme rate horent dise gesetze die an disem brieve gescrieben sint mit gvtem willen vnde dvrch svnderliche gnade gesetzet han, vmme daz daz ie der man er si arm oder riche deste bezzer gemach vnde vride haben mvge.

Aber in disen setzen neme wir vz an einer iegelicher geschicht vnser gerichte vnde vnser recht, daz vns an den dieselben setze nicht schaden svlen.

Doch tvn wir die gnade vnsern bvrgeren vnde der stat, swer verwirket daz er vz der stat varen mvz vm eine iegelich geschicht als an den setzen gescrieben ist, der sal nicht wider in kvmen ern habe vns e vnde der stat gebezzert. Ist daz ieman anders vz vert denne in deme namen der bezzervnge e er habe gesworn, daz sal man nicht fvr die bezzervnge haben.

Zem ersten han wir gesetzet: swer einen totslac tvt arm oder riche oder sin gesinde, der sal die stat rvmen in achte tagen jar vnde tac vz der stat ze sine nicht naher ze kvmene bi drin milen.

Swer einen wundet, der sal die stat rvmen in achte tagen ein vierteil eines iares vz ze sine bi drin milen nich naher ze kvmene. Ist aber daz er gevangen wirt vnde daz ime die hant wirt abe geslagen, der ist der bezzervnge ledic. Wirt aber ime die hant nicht abe geslagen, so sal er die bezzervnge tvn als hie vor gescriben ist.

Swer den andern rovfet oder stozet oder wie er in slehet ane wunden, der sal die stat rvmen in achte tagen zwene manden vz ze sine bi drin milen nicht naher ze kvmene.

Swer dem anderen lesterliche scheltwort sprichet, der sal die stat rvmen in achte tagen einen manden vz ze sine vnde nicht naher ze kvmene bi drin milen.

An disen vor genanten geschichten were daz ein man der ane sine schvlde dar zv qveme vnde sich werte daz deme der ez ir haben hete ein schade geschehe, der selbe sal die bezzervnge halbe tvn die der gar sal tvn der ez ir haben hat.

Ist ovch daz dieheinman der dirre dinge gezigen wůrde wolte gerichten, des gerichte sal man nemen. Were aber daz ein man gerichte, vnde dar nach deme gerichte oder deme clegere bezzerte, der sal die bezzervnge tvn die vore dar vf gesetzet ist.

Dirre satz sal sin tages biz an die zit daz man nachtes die glocken lvtet.

Dar nach swer ane liecht get, wirt ers vber seit mit drin vnversprochen mannen, der sal die stat rvmen in achte tagen vz ze sine einen manden nicht naher bi drin milen ze kůmene vmme daz gen al eine.

Swer aber an schedelichen dingen wirt ir wischet, den sal man legen in vnser vesten, vnde sal man ime sin recht tvn. Ist aber daz ers hin kvmet daz er nicht ir wischet wirt, mac er da fvre gerichten, so sol man sin gerichte nemen. Were aber daz er gerichte vnde dar nach deme gerichte oder deme clegere bezzerte, der sal die stat rvmen in achte tagen vz ze sine zwei jar vnde nicht naher ze kůmene bi drin milen.

Swer den anderen nachtes wundet, mac man den vber zvgen mit drin vnversprochenen mannen, der sal die stat rvmen in achte tagen vz ze sine ein halb iar vnde nicht naher bi drin milen ze kůmene.

Swer den anderen nachtes rovfet oder stozet oder wie er ine slehet ane wunden, der sal die stat rvmen in achte tagen vz ze sine viere manden vnde bi drin milen nicht naher ze kůmen, wirt ers vber seit mit drin vnversprochenen mannen.

Swer dem anderen nachtes lesterliche scheltwort sprichet, der sal die stat rvmen in achte tagen vz ze sine zwene manden vnde nicht naher ze kůmene bi drin milen, wirt ers vberseit mit drin vnversprochenen mannen.

Ist ovch daz eime ein schade geschehe von eime des er nicht kente vnde sich doch vf einen svnderliche verwende, mac mans in nicht vber sagen mit drin unversprochen mannen, so sal man sin gerichte nemen.

An allen disen geschichten sweme dirre geschichte keine geschehe der ez verswigen wolte dv̊rch bete oder dv̊rch miete oder dv̊rch liebe oder dv̊rch forchte oder dv̊rch keinerslachte sache, der sal die selben bezzervnge tv̊n die der sol tv̊n der ez getan hat, ob erz dri tage verswiget.

Swer ovch dirre bezzervnge keine verwirket vnde der in achte tagen die stat nicht rvmen wolte, den sol vnser schvltheize (vnde sal zv̊ ime nemen der bv̊rgere meister, ob ers bedarf) der rat vnde die gemeinde gemeinliche ane grifen, vnde sal man in legen in vnsern tv̊rn also lange als er solte gebezzert haben vz der stat v̊f ir eit. Were aber daz er entwiche vnde nicht bezzeren wolte, der sal in die stat nimmer kv̊men v̊f ir eit biz er der bezzervnge zwo getv̊t der er eine solte han getan.

V̊ber dise setze alle sal der rat vz richten dise vor genanten gebresten v̊ffe sinen eit. Were aber ieman in deme rate der beschvren wolte keinen man, den selben sal man vregen v̊ffe sinen eit. Wil ers dar v̊ber nicht lazen, so sal sin rede keine craft han, vnde sal die bezzervnge halbe tv̊n die der gar solte tv̊n den er da beschvret. Vnde swar die merre menie vellet an deme selbe rate, der sal man volgen, vnde der andern nicht.

It ovch daz keine geschichte vnder ieman geschicht vnde daz sie des von ein ander kv̊ment, so sal ein fride dri tage sin, man wollez danne mit gerichte vorderen. Swer disen satz breche vnde nicht frides halten wolte, der sal die bezzervnge zwispeltic tv̊n der er sv̊s eine solte tv̊n.

Swer ovch ein swert oder ein mezzer v̊ber den andern zv̊cket, der sal die stat rvmen in achte tagen zwene manden vz ze sine nicht naher ze kv̊mene bi drin milen. Geschicht ez aber nachtes von iemanne, wirt ers v̊ber seit mit drin vnversproehen mannen, der sal die stat rvmen in achte tage(n) viere manden vz ze sine nicht naher ze kv̊mene bi drin milen.

Swer eime gaste dirre geschichte deheine tete vnverschvldet, der sal die bezzervnge halbe tv̊n die dar v̊f gesetzet ist.

Sich hant ovch gemeinliche des verbvnden arm vnde riche vf ir eit, daz ein iegelich man sal die warheit sagen an allen disen geschichten wes er gevreget wirt vffe sinen eit. Were aber daz einer des nicht tvn wolte dar vmme daz er lichte nicht hete gesworn, der sal die stat rvmen in achte tagen also lange biz er gesweret die warheit ze sagene.

Swer ovch iezvnt nicht ensweret, den sal vnser schvltheize vnde der bvrgere meister manen dristvnt daz er swere. Swert er aber in drin tagen nicht, so sal er die stat rvmen einen manden dvze ze sine vber dri mile vnde nicht naher. Dar nach swenne er wider in kvmet, so sal er aber swern in drin tagen, oder aber vz farn als hie gesprochen ist, vnde daz alse dicke tvn biz daz er geswere.

Swilch man arm oder riche vze were, qveme der nach der glocken geriten oder gegangen, wurde der besehen ane liecht, der sal sich vntschvldigen mit dem eide, ob manz an ime vorderet, daz er vze si gewest, vnde ane geverde rite oder gienge zv siner herberge.

Swo aber ein geschichte geschehe bi tage oder bi nachte, da sal nieman zv lovfen vffe sinen eit, denne dvrch bescheidenheit die selben geschichte ze scheidene ze bezzerne vnde nicht ze ergerne. Swer hie wider tete, vnde des vber redet wurde als da vor gesprochen ist, der sal die selben bezzervnge tvn als einer der die geschicht getan hat. Mac aber ers gerichten, daz sal man nemen.

Wir setzen ovch, ob ein biderbe man der hie gesezzen ist einen bvben dvrch rechte verschvlte sache slahe oder stoze oder werfe, daz die bezzervnge dar vmme an vns vnde an deme rate ste.

Wir wollen ovch vnde han daz geboten daz man einen isenen haken machen svln vnde slahen in den stoc, vmme daz ob keiner boser lichter man oder ein bvbe spreche die wort die an gotes oder an der heiligen ere ge, daz man den selben an den haken mit der zvngen oder mit dem oren henke, ob ers mit zwen vnversprochenen mannen vber seit wirt.

Dise vorgenanten gesetze svln halten arm vnde riche in der stat zv Wirzebvrg vnde vor der stat allen enden vffe dem velde vffe deme lande in bvrgen in steten vnde in den dorfern, ir si wenic oder vil bi ein ander.

Vber alle dise setze sal nieman keinen haz noch keinrehande viantschaft haben gein dem anderen vmme daz daz er dise gesetzede stete heltet oder darzv beholfen ist. Vnde sal daz ie dem manne sten vffe sinen eit.

Alsvs sol man sweren ie der man arm vnde riche, daz er alle die gesetzede stete halte, vnde darzv beholfen si mit libe vnde mit gvte daz man sie stete halte hie zwischen sente Walpurgen tac vnde dar nach zwei iar an allerhande geverde.

Were ovch daz der keinre der zv dem selben rate korn ist siech were, oder hie heime nicht en were ane geverde, so svln die andern vf irn eit vz richten swaz an sie gebracht wird in drin tagen.

Daz selbe sal ovch der rat gemeinlichen tvn, swen ez vnserme schvltheizen oder der bvrgere meister kvnt getan wirt, oder eime von deme rate.

Swer aber zv deme rate horet, geschihet ein geschichte, saget ime daz der bvrgere meister oder vnser schvltheize, vnde senden nach ime, oder ein teil des rates, ist er hie heime vnde gesvnt ane geverde, vnde kvmt er nicht zv deme rate, so sal er vz der stat varen vierzehen tage vz ze sine als da vore geredet ist. Vnde svln die anderen die geschicht vz richten von deme rate.

Vnde dirre rat hat ovch den gewalt dise gesetzede ze bezzerne vnde ze beswerene mit allen den dingen da mite dise selbe setze stete blibe.

Vnde alle die die der selbe rat zvzime nimet vnde die zv deme rate swern, die svln die vorgenanten setze stete halten, vnde svln ir ovch geniezen.

Swer ovch begriffen wirt der ein mezzer in der hosen treit, mac mans in mit zwen vnversprochen mannen verzvgen, so sal man ime den dvmen abe slahen.

Heinricus de Rebestok, Heinricus Weibelarius, Gotfridus de Hauge, Johannes Hane, Cùnradus de Inferno, Fridericus Gyr, Ekkehardus Lebart, Ergenboldus Ruphus, Fuchelinus frater suus, Wolfmarus Zichelin, Otto Monetarius, Engellinus de Hepphenhein, Heinricus Wirnekoren, Bertoldus de Abiete, Heinricus Wilmůt, Engelhardus de Rotenburg, Sifridus de Rebestok, Heinricus Dens, Ortliebus frater suus, Apelo de Wigenhein, Ekkehardus Frezzer. Item Vbellinus, Gotfridus Herrelin, Heinricus Longus, Apelo saltzkastener, Cůnradus Keller, Heinricus de Curnach. Item Ludewicus Schidel, Syboto Scezher. Item calcifici Gotboldus Schaller, Heinricus de Bappenhein, Cůnradus Dithart, et Siogelinus. Item Cůnradus Platener, Heroldus de Bůtheret. Item Otto doleator, Reinbotho altmettelarius, magister Ernestus sartor.

Sigilla Manegoldi episcopi et civitatis wirziburgensis ex hoc documento fasciis membranaceis suspensa sunt.

Est cur dubitemus, an hae sanctiones quas modo publici juris fecimus legis vigorem unquam obtinuerint.

Sigilla quidem quae diximus suspensa sunt, prius e sinistra documenti parte, alterum e dextera. Reliqua autem quibus locus intra haec praedicta satis amplus relictus erat non suspensa sunt.

Nomina ut ita dicamus testium nec eadem quae litteras ipsas exaravit manu nec eodem atramento scripta sunt, sed postmodum adjecta esse videntur.

Nec locus nec annus nec dies quibus sanctiones editae sunt vel quibus documentum de ipsis exhibitum scriptum est addita sunt, ut ne ullo quidem modo constet an recte instrumentum de quo agitur anno 1296 tribuamus.

Quod amplius nos movet ut haec statuta quantumvis e deliberatione diligentissima emanasse videantur legis vigorem vix nacta esse credamus, hoc est argumentum, quod iis in Lupoldi de Bebenburg libro quem dicunt copiarum locus non est. Qui enim, postquam compositionem inter

[illegible] et cives wirziburgenses die 19 mensis octobris [illegible] transscripsit, haec annotat:

[illegible] notabilis examinacio et conparacio conposicionis pre[illegible] abas conposiciones inter nonnullos episcopos et ecclesiam [illegible] et cives herbipolenses predictos parte ab altera hactenus [illegible] ab antiquo faciliter habeatur, et huiusmodi conposiciones [illegible] valeant recenseri, propterea huiusmodi conposiciones [illegible] eciam hic per ordinem subsecuntur.

Nostre igitur statuta, si publici juris unquam facta erant, praeterire nec debebat nec poterat. Sed quamvis compositiones magis insignes inter Iringum necnon Manegoldum episcopos et cives herbipolenses die 7 mensis octobris anni 1261, die 26 mensis augusti anni 1265, die 18 mensis decembris anno 1296 celebratas transscripserit, sanctionum de quibus hic agitur mentionem non facit.

LXXXVII.

1296, die 24. decembris.

Heinricus praepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum ecclesiae herbipolensis, cum abbas et conventus monasterii in Halsprunne cistertiensis ordinis eistetensis dioecesis se ad solvendas viginti libras hallensium capitulo de ecclesia in Erlbach annis singulis mera liberalitate quondam obligarint, cumque ipsum capitulum diversis debitorum oneribus et apud judaeos maxime occupatum esset, considerata in hoc utilitate sua, et diligenti deliberatione praehabita, receptis in recompensam praefatae pensionis ducentis libris hallensium et quadraginta libris hallensium ab abbate Heinrico et conventu monasterii praelibati, eosdem in antea a solutione ejusdem annuae pensionis absolutos nuntiant et absolvunt in instanti.

Datum et actum anno domini M°.CC°. nonagesimo sexto, in vigilia nativitatis domini, in praesentia totius capituli.

Ex utroque hujus cartae documento singula capituli majoris ecclesiae herbipolensis sigilla filis sericis rubri coloris suspensa sunt.

LXXXVIII.

1297, die 18. januarii.

Manegoldus episcopus — quod Marquardus de Michelouwe fidelis in ipsius praesentia constitutus recognovit publice, se abbati et conventui monasterii in Eberach ipsique monasterio vineam unam, videlicet quinque quartalia sita in monte Ullenberg in territorio Michelouwe, et aream unam sitam juxta eandem villam, pro una area sita in eadem villa et uno jugere vineti sito in monte Hutmarsperge in territorio ejusdem villae permutationis titulo donavisse, petens instanter ut dicta V quartalia et aream ab ecclesia herbipolensi in feodum procedentia ab ipso resignata recipere et supradictis abbati et conventui eorumque monasterio donare in proprium, ac praescriptam aream et juger in recompensam recipere et sibi conferre in feodum dignaretur — supradicta V quartalia et aream resignata memoratis abbati et conventui eorumque monasterio in proprium donat, in eos cum pleno rerum dominio transferendo, ac praefata jugera et aream in recompensam recepta antedicto Marquardo in feodum confert ab ecclesia herbipolensi jure feodi possidenda, vineae in Ullenberg et saepedictarum duarum arearum decima sicut ante nihilominus sibi salva.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo VII°·, in die Priscae virginis, pontificatus anno IX°·

Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

LXXXIX.

1297, die 23. januarii.

Praelati civitatis herbipolensis aliique plures abbates et abbatissae ob damna injurias et violentias per cives wirziburgenses ipsis illata a divinorum solemniis cessant.

Manegoldus dei gracia episcopus ecclesie herbipolensis, Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, totumque capiuilum, .. abbates ceterique prelati eiusdem ciuitatis tenore presentcum confitemur et constare volumus vniuersis, quod Heinricus dictus Weibeler, Eckehardus Lebarthe senior, Eckehardus Lebarthe junior, Engelhardus de Rotenburg, Conradus de Jnferno, Fridericus Gyer, Johannes Hane, Heinricus Zan, Heinricus Babenberg, Heinricus Jozer, Merkeli Buzzigel, et Aplo de Wigenheim, ceterique ciues pociores, et vniuersitas predicte ciuitatis herbipolensis — cum serenissimo domino Adolfo Romanorum regi in aliqua summa pecunie tenerentur — dilectis in Christo .. de Ebera .. de Hayls-prunne .. de Brunnebach .. de Lancheim et .. de Schonental abbatibus ac .. de Celiporta .. de Meidebrunne ac .. de Heiligental abbatissis eorumque monasteriis cysterciensis ordinis prefate nostre et eystetensis diocesis imposuerunt onera grauia, in nostra ciuitate iamdicta ipsos talliantes, et ab eis collectas et exactiones importabiles exigentes, videlicet de quolibet modio siliginis sex denarios valentes duodecim turonenses, ac de qualibet carrata vini libram hallensium valentem libram turonensium extorquendo. Nam pulsata campana publica communi habito consilio et populo conuocato in dicta ciuitate, cum dicti religiosi constanter assererent tum ex priuilegiis sibi a sede apostolica concessis tum propter constitucionem sanctissimi patris ac domini pape Boni-

facij nuper editam et vniuersaliter propter ecclesiasticam libertatem se ad huiusmodi non teneri, nec velle aliqualiter consentire, ipsi ciues curias ac domos eorum vi introierunt, confringentes seras et ostia diruentes, vina eorum et bladа ac res alias vendicioni publice exponentes immo vendentes, claues eorum detinent, et in huiusmodi maleficio vsque hodie perseuerant, comminantes se in antea facturos eisdem similia vel maiora.

Super quibus dampnis iniuriis et violenciis notoriis per nos et capitulum nostrum primo, deinde per alios prelatos ac plebanos nostre ciuitatis publice conmoniti sunt in ambonibus ecclesiarum, vt ablata restituerent et alias satisfacerent congruenter. Ipsi vero animo indurato monicionem predictam non solum contempserunt, verum eciam in nostra capitulique nostri ac multorum prelatorum et religiosorum ac aliorum ad hoc vocatorum presencia publice responderunt quod dictos religiosos et eorum monasteria nollent habere in contribucione tallia et exactione sepedicta aliquatenus supportatos.

Vnde nos constitucioni nouelle supradicte reuerenter obedientes, omnes concorditer cessauimus a sollempniis diuinorum, seruantes generaliter interdictum secundum quod clare precipit constitucio memorata.

Jn quorum omnium euidens testimonium presentem paginam super hiis conscriptam fecimus sigillorum nostrorum munimine roborari.

Datum apud Herbipolim, anno domini M°.CC°. nonagesimo septimo, X°. kalendas februarii.

Undecim sigilla ex hoc documento filis linteis variorum colorum suspensa sunt: singula Manegoldi episcopi, capituli majoris ecclesiae herbipolensis, Heinrici praepositi ejusdem filis albi et flavi colorum; singula Arnoldi decani et archidiaconi herbipolensis, abbatis s. Burchardi, praepositi noui monasterii filis glauci et rubri colorum; abbatis s. Stephani filis rubri coloris; praepositi onolsbacensis filis rubri et albi colorum; scolastici herbipolensis filis albi coloris; archidiaconatus filis glauci coloris; scolastici novi monasterii ibidem filis albi coloris.

XC.

1297, die 24. januarii.

Manegoldus episcopus Heinrico ecclesiae herbipolensis praeposito altare in kathedrali ecclesia sancti Kyliani constitutum quod vulgariter dicitur altare episcopi Hermanni, ut ibidem vicariam instituat et ordinet pro ipsius et praedecessorum suorum animarum remedio, de consensu capituli cum omnibus suis pertinentiis donat, ita quod ipse praepositus quamdiu vixerit dictam conferre debeat vicariam, et post ejus mortem ille vel illi cui vel quibus jus collationis ipsius vicariae legandum duxerit idem praepositus seu donandum.

Datum Herbipoli, anno domini M.CC. nonagesimo VII°., in die beati Thymothei apostoli, pontificatus anno IX°.

Sigilla cum Manegoldi episcopi tum capituli majoris ecclesiae herbipolensis filis linteis flavi et rubri colorum suspensa sunt.

XCI.

1297, die 17. aprilis.

Monasterium s. Mariae in Heytingesvelt de paradiso redditus annuos 30 maldrorum siliginis Philippo de Tannenberch ecclesiae herbipolensis canonico vendit.

In nomine domini amen.

Contencionis prebet materiam ignorancia rei geste. Vnde

multis occurritur periculis vtiliter et prvdenter, quociens presentis etatis actus et negocia scripture testimoniis perhennantur.

Eapropter nos Elysabet abbatissa et . . conuentus monasterii sancte Marie in Heytingesuelt de paradyso herbipolensis dyocesis ordinis sancti Benedicti constare volumus vniuersis presencium jnspectoribus tam presentibus quam futuris, quod — cum monasterium nostrum propter grauia debitorum onera et dampna non modica que ex ipsis debitis per vsurarum voraginem prouenerunt adeo in temporalibus sit collapsum, quod nisi sibi celeri remedio succurratur vix adiciet vt resurgat — volentes indempnitati dicti nostri monasterii precauere, cum dampna et debita predicta de bonis mobilibus aut se mouentibus ipsius monasterii solui non possint, deliberacione prehabita, post tractatus super huiusmodi solucione debitorum inter nos habitos visum fuit omnibus nobis et singulis expedire vt per aligenacionem rerum inmobilium indempnitati predicti nostri monasterii consulatur.

Habito itaque inter nos super aligenacione rerum inmobilium diligenti tractatu, post varias hincinde discussiones habitas super ipsa placuit vniuersis et singulis de collegio nostro, per aligenacionem reddituum siue prouentuum annuorum triginta maldrorum siliginis annis singulis perpetuo soluendorum indempnitati nostri prefati monasterii prouidere, cum talem aligenacionem non sit dubium nobis et nostro monasterio profuturam.

Propter quod adtendentes necessitatem eris alieni ac debitum vrgens, inspecta eciam euidenti vtilitate monasterii supradicti, interueniente omnium et singularum de nostro collegio voluntate expressa pariter et consensu, accedentibus nichilominus voluntate et consensu venerabilis patris domini nostri Manegoldi herbipolensis episcopi et sni capituli, redditus siue prouentus annuos triginta maldrorum siliginis mensure herbipolensis cum mensura que dicitur mêtze singulis annis de nostro monasterio perpetuo soluendos vendidimus et presentibus perpetuo vendimus discreto viro domino Philippo de Tannenberch canonico herbipolensi aut cui vel quibus idem Philippus eosdem prouentus siue reddi-

tus coniunctim vel diuisim donare vendere legare aut in quoscumque alio titulo transferre inter viuos vel in vltima voluntate voluerit, pro precio quadragintaquinque librarum denariorum herbipolensium, quod quidem precium confitemur nos habuisse recepisse et in vsus et vtilitatem nostri monasterii necessarios et vtiles conuertisse, renunciantes excepcioni non numerate non solute non habite pecunie, restitucioni in integrum, et omni iuris auxilio tam canonici quam ciuilis.

Ad solucionem igitur reddituum siue prouentuum triginta maldrorum siliginis premissorum singulis annis perpetuo soluendorum Philippo predicto aut illis in quos eosdem prouentus transferre voluerit nos et monasterium nostrum presentibus obligamus, et pro huiusmodi solucione annua triginta maldrorum siliginis assignamus et deputamus Philippo prenotato aut illis in quos triginta maldra predicta transferre voluerit bona nostra sita in Rottenbuer cum eorum attinenciis, ipsumque in possessionem eorundem bonorum inducimus corporalem, ita quod quidquid de prouentibus eorundem bonorum quantitatem triginta maldrorum excreuerit id ad nos et ad monasterium nostrum debet libere pertinere. Et si de eisdem bonis profata triginta maldra haberi non poterunt, de nostro granario ac de vino in nostro cellario deposito soluere promittimus, ipsaque sibi sine omni dampno ad ciuitatem herbipolensem cum mensura predicta presentare.

Et ad ipsorum solucionem predicto modo faciendam nos et nostrum monasterium astringimus literas per presentes, volentes et consencientes vt Philippus supradictus redditus siue prouentus triginta maldrorum siliginis perpetuo soluendos eo jure quo ipse possidet in quascumque personas ecclesiasticas vel mundanas in vita vel in morte quocumque titulo gratuito vel non gratuito simul vel diuisim liberam habeat potestatem. Verum si Philippus memoratus aut illi in quos premissos redditus duxerit transferendos in predictis bonis per nos vel nostri occasione impedimentum aliquod sustinuerint, ita quod annonam predictam infra festa scilicet assumpcionis et natiuitatis beate virginis in toto vel in parte de ipsis bonis

non possint percipere, promittimus ipsi vel ipsis prefatos redditus siliginis de granario ac cellario nostro vt premissum est soluere, et nichilominus illud inpedimentum remouere, omniaque dampna et expensas que et quas occasione huiusmodi inpedimenti sustinuerint ex integro eis refundere, et super hiis simplici ipsius vel eorum in quos ius sibi conpetens transferendum duxerit sine alio probacionis onere verbo stare, subicientes nos nichilominus et monasterium nostrum iurisdictioni . . prepositi herbipolensis et . . archidiaconi loci in cuius archidyaconatu dictum monasterium situm esse dinoscitur qui pro tempore fuerint, et promittentes vt nos ad premissa omnia et singula seruanda ambo vel alter eorum monicione preuia per exconmunicacionis et jnterdicti sententias plenam conpellendi habeant potestatem.

Si vero occasione grandinis aut inpedimenti quod wlgariter dicitur herrennôt de prefatis bonis redditus siue prouentus in toto vel in parte haberi non poterunt preexpressi, tale periculum non ad nos set ad prefatum Philippum redundabit.

Preterea a nobis abdicamus potestatem predicta bona vendendi donandi permutandi aut quocumque aligenacionis genere in preiudicium dicti Philippi transferendi.

Et si contrarium quod absit fieret, decernimus non valere hec omnia et singula supradicta.

Nos Elysabet abbatissa, Irmengardis priorissa, Adelhaidis subpriorissa, Agnes custodissa, Kvngundis celleraria, Irmengardis de Lewenrode, Livgardis Zôbelin, Jûta de Heytingesuelt, Mehthildis de Hŷdenhein, Kvngundis de Richenberch, Elysabet soror eius, Adelhaidis cantrix, Gerdrudis de Windesheim, Katherina Hiltegundis et Margareta dicte Grûbinne, Agnes de Bishoffeshein, et Elysabet de Eberstein, recognoscimus esse acta nobis presentibus et expresse consencientibus. Eapropter promittimus ipsa attendere obseruare, et non contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela, et ad ea nos et nostrum monasterium presentibus obligamus.

Vt autem contractus vendicionis huiusmodi cum pactionibus et condicionibus in eo conprehensis in sua permaneat firmitate, presens instrumentum exinde confectum ad perpetuam rei memoriam et euidens testimonium sigillorum nostrorum munimine conmunimus.

Nos quoque Manegoldus dei gracia herbipolensis episcopus supradictum contractum empcionis cum pactionibus et condicionibus eidem insertis ratum et gratum habentes per presentes ex certa sciencia confirmamus, et ipsum ad perpetuam firmitatem sigilli nostri munimine roboramus.

Nos quoque H(einricus) de Wechmar prepositus, Ar-(noldus) de Spiezhein decanus, et capitulum ecclesie herbipolensis prefate vendicionis contractui per venerabilem patrem dominum M(anegoldum) episcopum supradictum approbato et ex certa sciencia confirmato consensum nostrum adhibemus, in euidens testimonium sigillum nostrum presentibus appendentes.

Datum et actum anno domini M°·CC°· nonagesimo VII°·, XV°· kalendas maij.

Sigilla quatuor modo memorata ex hoc documento fasciis membranaceis suspensa sunt.

XCII.

1297, die 14. maji.

Manegoldus episcopus sententiam ministerialium ecclesiae wirziburgensis de evictione et probatione in actionibus personarum saecularium contra collegia seu conventus personarum ecclesiasticarum latam publicat.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis tenore presentium publice profitemur, quod anno domini M°·CC°· nonagesimo

VII°. pridie jdus maij ministeriales ecclesie nostre coram nobis tunc presentes ad instantiam religiosarum matronarum . . abbatisse et conuentus sanctimonialium cenobii in Schonauwe per nos requisiti nostre gratie sub obtentu respondendo concordem sententiam protulerunt, quod in actionibus secularium personarum quarumcumque contra collegia sev conuentus ecclesiasticarum sev religiosarum personarum quarumcumque maior persona collegij sev conuentus illius mettercia manu sui ordinis debet euincere sua bona super quibus esse dinoscitur impulsata, et in probatione sev euictione huiusmodi semper precedere sev preire.

Jn cuius sententie prolationis testimonium hoc scriptum predictis sanctimonialibus dari iussimus, nostri sigilli patrocinio consignatum.

Datum Herbipoli, anno et die predictis, pontificatus nostri anno X°.

Sigillum Manegoldi episcopi fascia ex ipsius documenti membrana confecta suspensum magnam partem interiit.

XCIII.

1297, die 11. junii.

Heinrico de Wechmar ecclesiae herbipolensis praeposito ut super murum ad monasterium eberacense pertinentem — salva hujus proprietate — aedificium aliquod construat conceditur.

Nos Heinricus dictus de Wechmar prepositus et archidyaconus maioris ecclesie herbipolensis omnibus presentem paginam inspecturis volumus ut innotescat, quod — cum nos quietudinis et commoditatis causa quoddam edificium sicut in presenciarum

patet in orto nostro construere vellemus — dilectum in Christo dominum Hermannum abbatem in Ebera longa inpulsauimus precum instancia, petentes apud ipsum quot nobis ex sua licencia et permissione super murum suum qui medius est inter ortum nostrum et suum, quem veridica multorum relacione cognouimus suum esse, edificium quod animo conceperamus liceret effectui mancipare.

Qui tamen — quamuis segniter, nostre annuens peticionj — rogauit intentissime ut sibi ac suo monasterio in hoc caueremus, ne id quod causa nostre dileccionis super murum suum nos edificare permisit sibi et monasterio suo in posterum transiret in preiudicium et grauamen.

Nos igitur ipsi ac suo monasterio cauere volentes, ne in futuro super predicti murj proprietate per quorumcumque inpeticionem molestetur, presentem literam sigilli nostri, domini Ar(noldi) decanj ecclesie nostre, et Sifridi concanonicj et archidiaconj, fratris nostrj, sigillorum appensione fecimus roborarj.

Datum anno domini M°·CC. nonogesimo septimo, Barnabe apostoli.

Sigilla tria modo memorata fasciis ex ipsius documenti membrana confectis suspensa magnam partem detrita sunt.

XCIV.

1297, die 15. junii.

Manegoldus episcopus Walthero de Seckendorf redditus in villa Bibert vendit, eumque castrensem inibi recipit.

Ego Waltherus de Seckendorf dapifer harum serie litterarum recognosco publice vniuersis presentibus et futuris, quod

reuerendus in Christo pater et dominus noster dominus Manegoldus episcopus herbipolensis quadraginta librarum hallensium redditus in villa sua Bibert et in aliis bonis eidem attinentibus pro quadringentis libris hallensium parate numerate et per me solute pecunie michi meisque heredibus vendidit et vendicionis tytulo tradidit et donauit, cum quibus siquidem quadringentis libris predictam villam suam Bibert et alia bona eidem attinentia apud nobilem virum Al(bertum) de Hohinloch recuperauit pariter et reemit. Predictus autem dominus noster episcopus sev successor suus aut capitulum de speciali affectu quo erga eos moueor memoratos redditus potestatem habent quandocumque eis facultas affuerit reemendi pro summa pecunie preexpressa.

Preterea idem dominus noster, me meosque heredes suis et ecclesie sue obsequiis attrahere cupiens, me in castrensem suum in Bibert de consensu sui capituli recepit, ac michi meisque heredibus viginti librarum hallensium redditus de predictis bonis in Bibert et pertinentiis suis pro castrensi feodo hereditario deputauit specialiter et eciam assignauit, ab eo et ecclesia sua iure castrensis feodi percipiendos perpetim et tenendos. Quos eciam redditus idem dominus meus vel successor suus aut capitulum suum pro ducentis libris hallensium liberam potestatem habent quandocumque eis placuerit reemendi. Et extunc illas ducentas libras ego vel mei heredes ad alia bona secundum ipsius domini mei vel successoris aut capituli sui consilium conuertemus, ab ipso et ecclesia sua iure castrensis feodi perpetim possidenda.

Jnsuper dominus noster episcopus iamdictus propugnaculum siue turrim et vnam domum pro comodo suo in area sua castrensi quam in dicta villa Bibert habet eriget, et residuam partem ipsius aree in qua domum castrensem et alia necessaria edificare debeo michi meisque heredibus ad predictum castrense feodum contulit iure castrensis feodi possidendam.

Ad que omnia premissa et singula obseruanda, et specialiter vt predictos redditus eo modo quo premittitur ad reemendum a me vel meis heredibus dentur, me et ipsos meos heredes obligo per pre-

sentes, sigilli mei karactere in premissorum testimonium diligentius consignatas.

Datum in Ochsenfurt, anno dominj M°·CC°· nonagesimo VII°·, in die sanctorum Viti Modesti et Crescentie.

Sigilli Waltheri DE SEKENDORF fascia membranacea ex his litteris suspensi circumferentia dextera periit.

XCV.

1297, die 25. junii.

Manegoldus episcopus, Gundeloci de Windecke grata obsequia sibi et ecclesiae herbipolensi impensa et adhuc in posterum impendenda grato animo respicere cupiens, ei decimas illorum novalium sitorum inter Babenberg et Burgeberach dictorum zedes Aptes Walde, quae de novo ad cultum reducuntur, quatenus illae decimae ad ipsum pertinent, in feodum confert.

Datum in Eberach, anno domini M°·CC°· nonagesimo VII°·, in crastino beati Johannis baptistae, pontificatus anno X°·

Manegoldi episcopi sigillum fascia e litterarum ipsarum membrana confecta suspensum est.

XCVI.

1297, die 13. augusti.

Sententia arbitraria inter ecclesiam herbipolensem et Conradum de Trimperg de bonis in Willebrehteshusen aliisque a nobili matrona Methildi de Sternberg relictis et de decima in Langendorf lata.

Ego Conradus dominus de Trimperg jnspectoribus presentium recognosco publice vniuersis presentibus et futuris, quod compositione amicabili inter reuerendum patrem et dominum meum Manegoldum episcopum herbipolensem et ecclesiam suam ex vna et me meosque heredes ex parte altera super castro et dominio Trimperg ac vniuersis suis pertinentiis dudum ordinata, prout in litteris exinde confectis lucidius et expressius continetur, postmodum super bonis in Willebrehteshusen et omnibus aliis quibuscumque que nobilis matrona quondam Methildis relicta pie memorie Vl(rici) de Sternberg amita mea post mortem suam reliquit inter prefatum dominum meum episcopum et ecclesiam suam et me alia dissensio fuit orta.

Super qua siquidem dissensione in quatuor arbitros, videlicet strennuos milites Eckehardum dapiferum et Andream dictum Zobel camerarium ex parte ipsius domini nostri episcopi, et Theodericum dictum de Ertal ac Heinricum de Espelbach ex parte mei, necnon in honorabilem virum dominum Andream de Gundeluingen prepositum ecclesie onolspacensis tamquam in personam mediam vtrimque extitit compromissum.

Qui tam de ipsius domini nostri episcopi quam de meo consensu expresso dissensionem eandem taliter deciderunt, quod videlicet ego pro me meisque heredibus bonis premissis in Willebrehteshusen omnibusque aliis quocumque nomine censeantur

que dicta relicta post mortem suam reliquit pure renunciaui et in hiis scriptis renuncio simpliciter et precise, protestans firmiter et promittens quod super eisdem bonis siue juribus eorundem ego vel heredes mei contra dictum dominum nostrum episcopum vel ecclesiam suam nullo vmquam in posterum tempore mouebo litem aliquam sev eciam questionem.

Jpse autem dominus noster episcopus, me propter hoc ad sua sueque ecclesie perpetua obsequia graciose inuitans, me in suum et ecclesie sue castrensem hereditarium in Karlburg recepit, ducentas libras hallensium michi meisque heredibus pro castrensi feodo promittendo. Et quia inpresentiarum eris copia sibi deest, michi viginti librarum hallensium redditus — videlicet decem de precaria sua Noue Ciuitatis, et decem de precaria sua in Melrichstat — pro eisdem ducentis libris hallensium assignauit quoadusque ipse vel successor suus michi meisque heredibus easdem ducentas libras duxerit persoluendas, quibus solutis cum illis alia bona infra duo miliaria a predicto castro Karlburg sita ego vel mei heredes comparabimus, a dicto domino nostro episcopo et ecclesia sua iure castrensis feodi perpetim possidenda.

Ego eciam sub iuramento meo corporaliter vtpote castrensis predicto domino meo et sue ecclesie prestito sibi et ecclesie sue iamdicte contra omnes aduersarios suos meum fidele consilium et auxilium promitto quoad vixero impertiri, jmperio et venerabili domino meo domino Heinrico nunc abbate fuldensi dumtaxat exceptis.

Et ipse viceuersa pro se et ecclesia sua me contra omnes meos aduersarios, jmperio similiter excepto, manutenere promisit et fideliter defensare.

Dictum est eciam et ordinatum de decima in Langendorf, quam quondam Heinricus de Flache habebat, quod illi cui ipsam decimam contuli, credens me hoc facere posse, tantummodo jus suum siquod ex collatione tali est consecutus recognoscere debeo, nec alias astare eidem. Quod et ipse dominus noster episcopus . . relicte quondam Heinrici de Flache, cui tantum jus

illud quod ipse Heinricus dum vixit in illa decima habebat quo ad vitam suam recognoscet, similiter faciet illud idem, donec huiusmodi questio inter nos super illa orta per priores compositionis litteras de quibus superius habetur mentio fuerit expedita.

Quorum omnium iam prelibatorum testes sunt honorabiles viri: Heinricus prepositus ecclesie nostre, arbitri et persona media supradicti, Albertus de Wilenouwe, Erkenbertus de Starkenberg prepositus ecclesie mosebacensis, Ludewicus de Hohinberg canonicus ecclesie herbipolensis, Johannes prothonotarius domini nostri, Bertholdus notarius meus, Godfridus dictus Betelman miles, Heinricus dictus de Katzenstein ipsius domini nostri episcopi notarius, et plures alii fidedigni.

Jn quorum omnium premissorum et singulorum testimonium hoc jnstrumentum meo sigillo volui roborari.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo VII°·, jdus augusti.

Sigillum CONRADI DE TRIMBERTH fascia membranacea suspensum est.

XCVII.

1297, die 28. augusti.

Adolfus Romanorum rex semper augustus se Manegoldo episcopo herbipolensi principi dilecto propter servitia sibi et imperio in praesenti expeditione seu reisa concepta contra illustrem Philippum regem Franciae impendenda duo milia marcarum argenti daturum promittit, ei obligans pro eadem summa pecuniae oppidum Windesheym, villam Ahusen sancti Nycolai, villam Ahusen sancti Bartholomaei, advocatias in Sauwensheym et in

Heytingesfelt, curiam in Lutzelvelt, et alia omnia bona sub montibus ad ipsum et imperium pertinentia, cum omnibus bonis redditibus judiciis juribus ac aliis suis pertinentiis universis, tamdiu tenenda et possidenda quousque episcopo aut ejus successori aut ecclesiae herbipolensi per ipsum aut successores ipsius in imperio de duobus milibus marcarum argenti praedictis plenarie satisfiat, perceptis de praefatis bonis in sortem minime conputandis.

Datum in Keysersperg, V°. kalendas septembris, anno domini M°.CC°. nonagesimo septimo, regni vero anno sexto.

Hoc diploma, quod Hugo in dissertatione „Verzeichniss der freien Reichsdörfer in Deutschland" inscripta in ephemeridibus virr. cll. Hoefer Erhard et de Medem quibus titulus est „Zeitschrift für Archivkunde Diplomatik und Geschichte" II pag. 485 et 486 „aus einer Abschrift im Münchener Archiv" edidit, ad fidem Lupoldi de Bebenburg libri quem dicunt copiarum publici juris facimus.

Diploma quod hoc spectat die 18 mensis novembris anni 1297 exhibitum est.

XCVIII.

1297, die 8? octobris.

Manegoldus episcopus monasteriis quibusdam et coenobiis ordinis cisterciensis suae dioecesis ut res suas Herbipolin adducant ibique de iis disponant indulget.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis tenore presentium publice profitemur, quod — cum nostra intersit nos locis religiosis et personis eorumdem debere defensionis adesse presidio pariter et preesse — de nostra bona uoluntate procedit,

quod venerandi in Christo . . religiosi . . de Ebera [1]) . . de Holsprvnnen [2]) . . de Brvnnebach . . de Lancheim . . de Bilithusen [. . de Schônthal et sanctimonialium in Celiporta] [3]) necnon aliorum monasteriorum ac cenobiorum abbates et fratres . . abbatisse et sanctimoniales ordinis cysterciensis nostre dyocesis res suas quocumque nomine censeantur ad ciuitatem nostram herbipolensem, sicut ab antiquo consueuerunt facere, libere adducant, et in illa conseruent, seu de eis ibidem in vendendo operando sev aliâs prout eis visum fuerit expedire negociando et faciendo disponant, secundum quod eorum placuerit voluntati.

Si quis autem illos in rebus suis vt predicitur quominus de eis in adducendo vendendo operando negociando sev aliâs pro sue voluntatis beneplacito faciendo disponere uel ordinare possent presumeret impedire, id non solum nobis displiceret, inmo foret omnino nostre contrarium voluntatj.

In quorum premissorum testimonium hoc scriptum eis dedimus, nostri sigilli patrocinio roboratum.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CC°. nonagesimo VII°., VIII°. nonas octobris, pontificatus nostri anno X°.

[1]) In altero hujus documenti exemplari legimus: *Eberach.* [2]) B.: *Halsprvnnen.* [3]) Quae modo uncis inclusimus in B non leguntur.

Ex utroque hujus privilegii documento singula Manegoldi episcopi sigilla — ex altero filis sericis flavi et rubri, ex altero filis linteis flavi et viridis colorum — suspensa sunt.

An pro die „*VIII°. nonas octobris*“ legendum sit „*VIII°. idus octobris*“ pro certo non habemus.

XCIX.

1297, die 18. novembris.

Adolfus Romanorum rex semper augustus hominibus de Heitingesvelt et de Lutzelenvelt fidelibus suis dilectis —

cum eos et bona in eorum villis sita Manegoldo herbipolensi episcopo dilecto principi suo obligaverit — committit et mandat, quatenus eidem episcopo obediant in omnibus reverenter, facientes ei redditus ad dictas villas pertinentes integre responderi.

Datum in Frankenfort, XIIII. kalendas decembris, regni anno sexto.

Sigillum Adolfi regis quod dicunt majestatis huic mandato impressum magnam partem detritum est.

Diploma huc spectans die 28 mensis augusti anni 1297 exhibitum supra sub num. XCVII pag. 173 et 174 edidimus.

C.

1297, die 6. decembris.

Cunradus dictus de Gundolvingen vicarius chori herbipolensis bona illa in Kirchain sita in barrochia Enricheshain ad vicariam sanctae Margaretae spectantia de jussu scitu et voluntate honorabilium virorum dominorum H(einrici) praepositi et Ar(noldi) decani et capituli herbipolensis et domini An(dreae) de Gundolvingen, in cujus curia capella sanctae Margaretae sita est, jure hereditario Heinrico Hofmanno de Helmolshain et suis heredibus universis pro pensione sive censu sex maldrorum siliginis et quatur maldrorum avenae annis singulis ante festum nativitatis domini sibi et suis successoribus universis finaliter persolvendorum colenda tenenda et pacifice possidenda locat et confert, tali pacto seu conditionis modo interposito quod idem Heinricus vel ejus heredes unum maldrum tritici totiens persolvant poenae nomine quae poena wette vulgariter nominatur

quotiens in solutione dictorum decem maldrorum claustralis mensurae negligentes poterunt inveniri.

H(einricus) praepositus, et Ar(noldus) de Spiezhain decanus, totumque capitulum herbipolensis ecclesiae, ac Andreas de Gundolvingen archidiaconus herbipolensis, antedicti — considerantes praefatae vicariae conditionem ex locatione supradicta posse fieri meliorem — ipsam locationem praesentibus literis, quas suis sigillis roborandas duxerunt, confirmant.

Datum anno domini M°.CC°. nonagesimo VII, in die beati Nycolai.

Sigillorum quatuor quae modo memorata sunt fasciis membranaceis suspensorum nonnisi illud Arnoldi decani integrum est.

CI.

Anno 1297.

Manegoldus episcopus capellam Truteskirchen ab ecclesia matrice Erlbach separat.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis harum serie litterarum recognoscimus publice vniuersis, quod ex parte religiosorum virorum Heinrici abbatis et conuentus monasterii in Haylsbrune ordinis cysterciensis eystetensis dyocesis nobis fuit humiliter supplicatum, quod — cum parrochia in Erlbach nostre dyocesis, spectans in suarum subsidium prebendarum, adeo sit ampla et diffusa, ac in illa populus nichilominus intantum excreuerit quod solus rector sev perpetuus vicarius ibidem cum sociorum eciam suffragio minime ad baptizandum ac ad alia sacramenta ecclesiastica et salutis pabula ministrandum sufficere dinoscatur — per diuisionem

ipsius parrochie, videlicet filialis cappelle in Truteskirchen, dicte matrici ecclesie Erlbach annexe, ab ipsa ecclesia Erlbach faciendam populo ipsius parrochie vt dictum est non modicum auc-mentato prouidere de paterne sollicitudinis diligencia dignaremur.

Nos itaque ad ampliandum cultum diuini numinis, et ne cure animarum negligencia dicte parrochie de manu nostra in die iudicij requiratur, prefatam cappellam Truteskirchen a dicta matrice ecclesia Erlbach de consensu et consilio honorabilis viri Andree de Gundeluingen loci archidiaconi diuidimus eximimus et presentibus separamus, volentes et statuentes vt ad eandem cappellam Truteskirchen a supradictis . . abbate et conuentu specialis et ydoneus vicarius, .cui conpetens assignetur prebenda, nunc et in posterum quocienscumque opus fuerit presentetur, qui canonice institutus de tercia parte iurium papalium legatorum episcopalium et archidiaconalium rectorem prefate matricis ecclesie quocienscumque et quantumcumque contingencium debeat respondere, quodque prenominati . . abbas et conuentus rectori dicte matricis ecclesie in reconpensam obuencionum siue prouentuum villarum — videlicet Obernueltgebrech, Nydernueltgebrech, Stockech, Eynaharsdorf, Ascrefte, Tauersbach, Tachenbach, Steinsberge, Fresendorf, Buche, Nuwendorfelin, Rûtere, Merzebach, Hohenrode, Vockenrode, Eckehartsberge — quatuor sumerina siliginis norenbergensis mensure annis singulis assignare et soluere teneantur. Ipsasque villas iamdictas, quarum homines ab antiquo dinoscuntur habuisse apud dictam cappellam Truteskirchen ecclesiasticam sepulturam, ipsi eidem cappelle cum omnibus suis iuribus et fructibus annectimus sicut ad dictam matricem ecclesiam actenus pertinebant.

Ne tamen ipsi matrici ecclesie subiectio dicte cappelle totaliter auferatur, volumus et ordinamus vt cappellanus dicte cappelle cum populo sibi subiecto annis singulis tribus vicibus in quolibet anno — videlicet in die patroni dicte matricis ecclesie, in die dedicacionis eiusdem, et in vigilia ascensionis domini — cum sanctorum reliquiis vt fieri consweuit accedere ipsam matricem ecclesiam pro

indicio subiectionis debeant cum reuerencia debita, ibique tamdiu manere donec officium misse sollempniter peragatur.

Et quia que in partes diuiduntur facilius supportantur, volumus vt de illis tribus synodalibus sedibus archidiaconalibus, quas rector sepedicte matricis ecclesie habebat actenus, cappellanus dicte cappelle pro tempore existens exnunc inantea terciam sev vltimam habeat suis laboribus et expensis.

Jn quorum omnium et singulorum testimonium hoc scriptum nostro et prefatorum . . abbatis et conuentus necnon predicti archidiaconi sigillis est diligencius conmunitum.

Nos quoque . . abbas et conuentus, et An(dreas) de Gundeluingen archidiaconus, predicti, premissa omnia de nostro consensu et voluntate expressa recognoscimus esse facta, sigilla nostra in eorumdem euidenciam presentibus appendentes.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CC°. nonagesimo VII.

Sigillorum trium quondam fasciis membranaceis suspensorum nonnisi illud Manegoldi episcopi superest.

CII.

1298, die 7.ⁱʳ januarii.

Manegoldus episcopus in capella tam s. Brictii quam s. Mariae et beati Johannis evangelistae palatii episcopalis ob animae suae remedium vicariam perpetuam instituit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis jnspectoribus presentium recog-

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis, quod — nos in consideracionis nostre

noscimus publice vniuersis, quod — nos in considerationis nostre trutina non inprouide ponderantes quod illa sollempnis capella sancti Brictii palacii nostri herbipolensis tamquam trutina non improuide ponderantes quod illa sollempnis capella gloriosissime virginis Marie et beati Johannis ewangeliste pallacij nostri locus profanus et execratus propter predecessorum nostrorum et nostram residentiam in ipso palacio nostro non factam caruit hactenus officiis diuinorum — nos, qui cultum diuini nominis ibidem feruenti desiderio cupimus ancmentari, ob anime nostre perpetuum remedium de consensu nostri capituli ordinamus et constituimus inibi perpetuam vicariam.

Et ut ipsius capelle vicarius conuenientem sustentationem tam in victu habere valeat quam vestitu, parrochialem ecclesiam in Gruzzen [1]), cuius juspatronatus ad nos intuitu ecclesie nostre spectare dinoscitur ab antiquo, cum suis pertinentiis — ita quod tantum de fructibus ipsi ecclesie relinquatur quod sacerdos sev perpetuus vicarius ibidem congruam possit sustentationem habere, et de juribus episcopalibus et archydiaconalibus respondere — de predicti capituli consensu post decessum sev cessionem illius persone que iam eandem tenet ecclesiam libera donatione proprietatis tytulo tradimus presentibus et donamus. Jtem quedam bona in Gauwenheim sita, videlicet nouem jugera vinearum que pro tercia parte coluntur, et quosdam agros campestres ibidem, soluentes annuatim quinque maldra siliginis, vnum sumerinum pise, vnam libram denariorum, et duodecim pullos in festo beati Martini, eidem capelle tradimus et donamus; jtem in villa Opherbein [2]) quosdam agros campestres per nos cum predictis bonis emptos, soluentes quinque maldra siliginis annuatim; jtem in villa Gauwenheim quedam bona similiter a nobis conparata, videlicet quosdam agros campestres, et nouem jugera pratorum, nouem maldra siliginis annis singulis soluentia, que possidet quedam vidua dicta Bremin [3]); jtem redditus decem maldrorum siliginis de quibusdam bonis in Garnstat per

[1]) In documento pro capella s. Mariae et beati Johannis evangelistae dato legimus: *Gruzen*. [2]) B: *Oppherbein*. [3]) B: *Hetzebremin*.

nos eciam conparatis, que possident viri religiosi . . prepositus et conuentus canonicorum regularium in Heidenuelt. Que imquam bona omnia vna cum predicta ecclesia ad predictam capellam de prefati capituli nostri consensu donatione pura inter viuos iure proprietatis donamus et tradimus per presentes.

Et vt dicte capelle vicario conmodosior vicinior frequencior et facilior ad ipsam accessus pateat, sibi pro mansione cameram illam magnam palacij nostri predicti ecclesie noui monasterii contiguam cum attinenciis suis concedimus et presentibus deputamus, sic quod quandocumque episcopus pro tempore illam ad vsus suos habere voluerit ipsi capellano de alia habitacione seu conmodo teneatur eque ydoneo prouidere, et expensas si quas dicte camere et attinenciis suis impenderit ante omnia integraliter resarcire.

Dictam autem vicariam quandocunque vacauerit episcopus herbipolensis pro tempore existens conferet non alii nisi ydoneo sacerdoti.

Ipse eciam vicarius ad frequentationem chori sancti Kyliani ecclesie nostre sicut ceteri vicarii tenebitur incessanter. Sed ut eo melius et comodius dictam possit officiare capellam, ad frequentationem chori quo ad summam missam et quo ad ebdomodale seruicium in choro faciendum liber erit penitus et exemptus.

Jn quorum omnium premissorum testimonium hoc scriptum nostro et predicti capituli sigillis est diligentius roboratum.

Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, et

capitulum predicte ecclesie premissa omnia de nostro scitu et consensu expresso recognoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem euidenciam hiis litteris appendentes.

Datum anno domini M°·CC°· nonagesimo VIII°·, jn crastino epiphanie eiusdem, pontificatus nostri anno X°·

E priore documento sigilla tam Manegoldi episcopi quam capituli ecclesiae majoris filis linteis rubri et viridis colorum suspensa sunt. Ex altero solummodo illud Manegoldi episcopi fascia membranacea suspensum restat.

Litteras huc spectantes, die 1 mensis augusti anni 1300 datas, infra sub num. CXXXIX edemus.

CIII.

1298, die 25. januarii.

Ecclesia wirziburgensis, in centum marcis argenti Ulrico de Hanauwe pro redemtione reddituum in oppido Karlstat obligata, decimas in villa Willebrehteshusen et in Wolftal capitulo suo vendit.

In nomine domini amen.

Nos Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis inspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum nobili viro Vlrico de Hanauwe de solucione trecentarum marcarum, in quibus eidem nomine filiorum sororis sue comitum de Wilnauwe pro redempcione quorundam reddituum in opido nostro Karlstat, in quibus sibi ex donacione felicis recordacionis reuerendi patris et domini quondam Wernheri archiepiscopi moguntini, cui vniuersi redditus in Karl-

stat a domino quondam Jringo herbipolensi episcopo, predecessore nostro, pro sexcentis marcis fuerant obligati, ius conpetere dicebant, adhuc in centum marcis argenti essemus obligati, et termino solucionis dudum elapso fideiussores ipsi nobili per nos dati, monicione legitima eis facta, se in obstagio in opido nostro Karlstat in dampnum nostrum et ecclesie nostre receperint, expensas aliquanto tempore non modicas faciendo — conuocatis prelatis et ministerialibus ecclesie nostre super tam inminencium dampnorum formidine consilium petebamus.

Quibus super eodem negocio tractantibus et deliberantibus, post varios et diuersos tractatus prouida deliberacione communi consensu firmarunt, quod — cum ex rebus ecclesie nostre mobilibus aut se mouentibus tanta debita persolui non possent — vtile et necessarium videretur, vt decime in villa Willebrehteshusen et in Wolftal et ius earundem cum pertinentiis suis nobis ex morte nobilis matrone . . de Sterenberg vacantes venderentur, pensantes vendicionem earundem nobis minus fore dampnosam immo magis vtilem et necessariam quam alicuius alterius rei vel possessionis nostre.

Propter que attendentes necessitatem eris alieni ac debitum vrgens, inspecta eciam euidenti vtilitate nostra, easdem decimas cum vniuersis iuribus et pertinenciis suis quesitis et non quesitis, sicut predicta matrona easdem tenebat, honorabilibus viris . . preposito . . decano et capitulo ecclesie nostre pro precio ducentarum librarum hallensium et decem librarum hallensium vendidimus et in hiis scriptis vendimus et iusto vendicionis titulo damus iure mere proprietatis possidendas seu quasi eciam possidendas, quod quidem precium confitemur nos habuisse recepisse et in predictorum debitorum solucionem integraliter conuertisse, renunciantes excepcioni non numerate non solute non habite pecunie, excepcioni doli mali et in factum, restitucionis in integrum, decepcionis vltra dimidiam iusti precii, et omni iuris auxilio canonici et ciuilis per quod dicta posset vendicio impediri. Ac predictos prepositum decanum et capitulum in possessionem dictarum decimarum seu quasi possessionem iuris ipsarum et omnium et singularum pertinenciarum earundem inducimus corporalem, et eos easdem decimas cum iuribus et pertinenciis suis plene et inte-

gre proprietatis et possessionis iure constituimus possidere, abdicantes a nobis et successoribus nostris omne ius quod in ipsis habuimus, et in predictos prepositum decanum et capitulum cum pleno rerum dominio transferentes.

Jn premissorum quoque testimonium ac certitudinem euidentem memoratis . . preposito . . decano et capitulo damus has litteras, sigilli nostri patrocinio roboratas.

Datum et actum anno domini M°·CC°· nonagesimo VIII°·, in die conuersionis beati Pauli apostoli, pontificatus nostri anno XI°·, presentibus testibus infrascriptis: Eckehardo dapifero, Gotfrido dicto Betelman, Andrea dicto Zobel, Cunrado de Zulichsheim, et quampluribus aliis fidedignis.

Manegoldi episcopi sigillum filis linteis flavi et rubri colorum suspensum est.

CIV.

1298, die 14. februarii.

Heinricus praepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum ecclesiae herbipolensis in partem restauri oppidi Ochsenfurt apud Manegoldum de Nuwenburg herbipolensis ecclesiae episcopum rite et rationabiliter per ipsos emti parrochialem ecclesiam in Gochesheim, quae ad ipsos ratione oblagii pertinebat, domino Manegoldo episcopo cum omnibus decimis possessionibus iuribus et pertinentiis suis quibuscumque titulo proprietatis donant, ita quod illam cum omnibus juribus et pertinentiis suis ut predicitur in quocumque statu fuerit libere retineat quoad tempora suae vitae, postquam autem decesserit ad ejus successorem eadem parrochia cum omnibus suis juribus devolvatur, jure prae-

sentandi ejusdem parrochiae nunc et in antea nihilominus ipsis salvo.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo VIII°., XVI^to. kalendas martij.

Sigillum capituli majoris ecclesiae herbipolensis filis linteis flavi et rubri colorum suspensum est.

CV.

1298, die 26. martii.

Das wirzburgische Domcapitel überträgt einen von Heinrich von Crentse und seinen Erben an die Domprobstei jährlich von ihrem Hofe zu Stokheim zu entrichtenden Zins auf Güter welche es dagegen zu Hernsheim von ihnen eingetauscht.

In gotes namen amen.

Wir Heinrich von Wechmar der Tůmprobest, Arnolt von Spiezesheim der Techan, vnde daz Capitel gemeinlich des gotshuses von Wirzeburg beiehen vnd bekennen offenlichen allen liuten an disen briefen, daz wir einmůteclichen durch vnsern vnd vnsers gotshuses nůtz haben gesait vnde sagen auch an disen geinwertigen briefe hern Heinrich von Crentse vnde vern Gůthen sin eliche frouwen vnd ir erben ledic vnde lôs alles des zinses den sie solten geben alle iar vnser probesteie von irme houe in vnserm dorfe zu Stokheim vnde von anderm irme gůthe, also daz wir nů fůrbaz immerme warten sůln des selben zinses alle iar vffe die Rietmůlen gelegen gein Hernsheim die do giltet alle iar eilf malder kornes, vnde vffe ander ir zinsgůt in dem vor genanten dorfe vnd auch da vze daz wir vmme sie kauft vnd

in abe gewechselt haben, vnd ez vns mit gesamneter hant vf haben geben, welich daz ander zinsgůt man ahtet vf vier pfunt heller gůlte.

Vnde sal furbaz der vor genante hof vnde daz gůt daz dar in gehôret vnd vber daz allez ir eigen daz sie von alter her biz an disen hutegen tac han gehabet in dorf vnd in velde, one aleine daz Bakhus vnde Scherlines hůz, ledic vnd frie als in eime frien dorfe sin, also daz wir da mite niht zetůnne oder zeschaffene noch keinerleie reht dar an haben.

Ez sal ouch der vor genante her Heinrich von Crentse noch sin erben furbaz deheiner leie vogeteie haben vber kein gůt in dem vor genanten dorfe oder daz dar in gehoeret, dan aleine die vogeteie vber den vor gesprochen sinen hof, die sůln auch sie zelehen haben von eime Tůmprobest zu Wirzeburg.

Vnde die lůte die in dem selben houe vnde vffe irm eigen sitzen sůln nichsnit haben zetůnne oder ze entwrten vor dem gerichte des vor genanten dorfes; sunder tete ieman vnder in kein vnrecht oder vngemach deheime andern von dem dorf, daz sol der selbe Heinrich oder sin erben schaffen vnde fůgen gebezzert vnde vzgerichtet werden als reht vnde billich ist one des dorfes gerichte. Daz selbe sal ouch her wider tůn von des dorfes lůten ein Tůmprobest, ob ir keiner dem ofte genanten hern Heinrich, sinen erben, oder iemanne der in sime houe oder vffe sime eigen gesezzen ist, ihtsit tete daz vmbillich oder clagebere were. Vnde sůln daz beider sit tůn mit zweiger bescheidener manne rate, der einer von eines teiles, vnde der ander von des anders teiles wegen dar zu er welt vnde bescheiden werde.

Zu einer gezucnisse vnde einer vestenunge aller dirre dinge so habe wir disen brief heizen ver insigelt mit vnsers vorgenanten Tůmprobestes vnd vnsers Capitels insigel.

Dirre brief ist geben vnde geschriben von gotes gebůrthe tusent zwei hundert vnd aht vnde nuenzig iar, an dem nehesten tage vnser frouwen tage klibelmesse.

Sigilla duo praedicta fasciis membranaceis suspensa sunt. Illud Heinrici de Wechmar praepositi magnam partem decidit.

CVI.

1298, die 30. martii.

Cůnradus de Wilperg ecclesiae herbipolensi medietatem castri sui Wilperg cum aliis possessionibus donatione inter vivos, stipulationibus de usufructu rebusque aliis adjectis, confert.

Nos Cůnradus dominus de Wilperg jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod considerantes et adtendentes tam progenitores nostros quam nos a venerabilibus dominis nostris . . episcopis herbipolensibus et ab ecclesia herbipolensi nos multiplicia beneficia recepisse, ac non inmerito precipue nos illis obnoxios fore a quibus nobis eadem sunt impensa, volentesque propter hoc venerabilem patrem et dominum nostrum Manegoldum episcopum herbipolensem et dictam ecclesiam suam fauore prosequi pre ceteris puriori, sibi et ecclesie herbipolensi iamdicte medietatem castri nostri in Wilperg, et dominium ibidem, et vniuersa bona nostra tam proprietaria quam feodalia, necnon omnia feoda que manlehen vulgariter nuncupantur, cum hominibus cuiuscumque status vel conditionis existant, jurisdictionibus, districtibus, honoribus, siluis, pratis, pascuis, ortis, agris, vineis, decimis, aquis aquarumque decursibus, judiciis, centis, omnibusque juribus siue corporalibus siue incorporalibus, et pertinentiis suis quesitis et non quesitis quocumque nomine censeantur; jtem curiam dominicalem in Buntdorf, que Houemarc dicitur, cum omnibus juribus et pertinentiis suis quondam comiti Hermanno de Hennenberg a venerabili domino quondam Jringo episcopo herbipolensi obligatam; et omnia alia bona quocumque nomine censeantur nobis pignori obligata donatione inter viuos voluntate spontanea et libera donauimus tradidimus donamus et tradimus per presentes, a nobis omne jus quod in omnibus predictis bonis et juribus habuimus penitus abdicantes, et in predictum dominum nostrum episcopum et ecclesiam suam cum pleno rerum dominio transferentes, eo tamen nichilominus nobis saluo quod illa omnia quamdiu vixerimus in nostra debemus potestate tenere, nec per dominum episcopum vel capitulum quo ad hoc quod illa habeamus et illis vtamur libere et fruamur impediri sev eciam aliqualiter infestari, nec deinceps potestatem habebimus predicta bona vel

aliqua ex eis simul vel diuisim vendendi vel aliquo alio genere alienationis distrahendi sine predicti domini nostri episcopi et capituli consensu pariter et assensu.

Si autem alicui vel aliquibus ex seruitoribus nostris dare vel conferre quicquam voluerimus de bonis predictis, hoc facere debebimus ipsius domini nostri episcopi de consensu.

Preterea dominus noster episcopus et capitulum predicti, viceuersa grato animo nostrum respicientes affectum, nos cum omnibus hominibus et bonis prefatis domino nostro episcopo et ecclesie sue traditis in defensionis sue receperunt presidium speciale, promittentes nos cum hominibus et bonis eisdem pereque sicut alios homines et bona ecclesie contra quoslibet aduersarios nostros manutenere et fideliter defensare.

Jnsuper in quacumque munitionum ipsius ecclesie voluerimus nos recipiemus. Et si in vna nobis displicuerit, ad aliam quamcumque voluerimus transibimus, in qua habitatio vacua morandi sev habitandi assignabitur nobis et familie nostre conueniens. Et castrenses ac vigiles tam turrium quam murorum illius munitionis necnon portenarius nos cum familia nostra respicere, et eciam nos nostros et nostra tam in corporibus quam in rebus custodire fideliter, et specialiter domino nostro episcopo et capitulo munitionem illam iurabunt fideliter conseruare.

Ad hec, si bona nobis de quibus predicitur rapina vel incendio aut bello vel quocumque alio infortunio deuastarentur, quod absit, quominus extunc sustentatio de eis tam in victu quam vestitu nobis et familie nostre sufficeret, dominus noster episcopus vel capitulum (si sedes episcopalis vacaret) nobis medio tempore quousque ad pristinum statum redeant in omnibus necessariis medecimo prouidere tenebitur habundanter, domino nostro episcopo vel capitulo sede vacante prouisionis nostre tempore fructus siqui de dictis bonis deuastatis prouenire poterunt ad vsus suos percipiente sev eciam colligente.

Jtem aduocatiam in Houeheim quatênus nos contingit a donatione predicta excepimus, quam illis de Sluzzelberg nostris auunculis dinoscimur deputasse.

Est et eciam dictum, quod si dominum nostrum episcopum de hoc monuerimus et rogauerimus, de omnibus feodis que castrenses in Halleberg et in Kastele comitis Friderici iunioris consanguinei nostri residentes a nobis in feodo tenent ab ipso domino nostro et ecclesia in feodum procedentia ipsi comiti Friderico dominus noster episcopus gratiam faciet, illa sibi eo iure quo nos habuimus in feodum conferendo.

Deinde, cum omnes progenitores nostri in cenobio sanctimonialium de Cella sancti Johannis sub castro Wilperg predicto sint sepulti, nosque similiter ibidem elegerimus sepulturam, quamcumque aduocatiam vel aduocatias quas in bonis ipsius cenobii habemus pro remedio anime nostre legauerimus, illud legatum a domino nostro episcopo et capitulo predictis ratum habebitur atque gratum.

Item si aliqui ex hominibus nunc vt predicitur ecclesie traditis contra ipsum dominum nostrum episcopum vel ecclesiam excesserunt, illos vel quemcumque ex eis pro quo vel quibus nos petemus dominus noster episcopus vel capitulum sede vacante ad gratiam secundum nostrum consilium recipiet et admittet.

Item Albertus dictus Donerslac, et Heinricus dictus Starz, officiali nostri, iurando obediuerunt domino nostro episcopo sev capitulo quod eos nunc respicient, quodque post mortem nostram predicta bona omnia cum hominibus et pertinentiis suis domino nostro episcopo vel capitulo sede vacante assignabunt et presentabunt, eique fideliter inantea tamquam suo domino adherebunt. Quod et alii homines et sculteti, siquos forte procedente tempore statuerimus, similiter iurabunt et fideliter obseruabunt.

Adiectum est eciam, quod si nobis forte in posterum videretur quod premissa vel aliqua ex premissis nobis non sint seruata, extunc honorabiles viros dominum Heinricum prepositum ecclesie maioris, et dominum Erkinbertum de Starkinberg prepositum ecclesie mosebacensis, Albertum de Swinsheubte, et Conradum dictum Studigel de hoc monebimus. Qui, si eo cognito predicta vel aliqua ex eis nobis non seruata vnanimiter pronunciauerint, et dominus noster episcopus vel capitulum illa vel illud ad iussum illorum quatuor infra tres menses a pronunciatione huiusmodi numerandos moniti non reformauerint sev emendauerint, nos et nostri extunc de omnibus premissis erimus liberi et soluti. Si vero aliqui spredictorum quatuor decesserit, alter de capitulo herbipolensi a domino nostro episcopo infra mensem tunc proximam subrogabitur loco sui.

Ad omnia quoque premissa obseruanda successor predicti domini nostri episcopi pro tempore existens de consensu capituli predicti, et sede vacante capitulum sunt patentibus suis litteris nobis traditis obligati.

Vnde nos ad omnium premissorum et singulorum testimonium hanc litteram predictis domino nostro et capitulo tradimus, sigilli nostri munimine diligentius roboratam.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°. CC°. nonagesimo VIII°., III°. kalendas aprilis; presentibus dominis nostris Heinrico preposito maiore, Arnoldo decano, Wolframo scolastico, Wernhero cantore, Andrea de Gundel-

uingen preposito onolspacensi, Erkingero de Starkenberg preposito ecclesie mosebacensis, et multis aliis prelatis et canonicis predicte ecclesie herbipolensis; jtem Heinrico de Erlach et Eckardo pincerna scultetis herbipolensibus; Eberhardo dicto Houeclin, Helwico, Hartmanno de Grânach, Friderico de Wipuelt, Eckehardo dapifero, Godfrido dicto Betelman, militibus; et multis aliis ministerialibus ecclesie herbipolensis predicte; jtem Alberto de Swinsheubte, Conrado dicto Studigel, Alberto dicto Donerslac, Heinrico dicto Starz, et pluribus aliis fidedignis.

SIGILLVM · COMITIS · CVNRADI · DE · WILTPERC filis linteis viridis et rubri colorum ex hoc documento suspensum integrum est.

Illud I. W. Rost in libro cui titulus est, „Versuch einer historisch-statistischen Beschreibung der Stadt und ehemaligen Festung Königshofen und des Landgerichtsbezirks Königshofen“ pag. 243—246 edidit.

CVII.

1298, die 22. aprilis.

Bonifacius VIII papa ne assumendi ad regimen ecclesiarum parrochialium usque ad septennium litterarum studio insistentes nisi ad subdiaconatus ordinem promoveri teneantur sancitur.

Bonifatius episcopus seruus seruorum dei vniuersis presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Tenorem cuiusdam constitutionis, quam inter alias Rome apud sanctum Petrum V nonas martij pontificatus nostri anno quarto nuper edidimus, presentibus fecimus annotari, qui talis est.

Cum ex eo quod felicis recordationis Gregorius papa predecessor noster statuit in concilio lugdunensi, ut ad regimen parrochialium ecclesiarum assumpti se ad sacerdotium promoueri faciant infra annum a sibi conmissi regiminis tempore numerandum,

et personaliter resideant in eisdem, alioquin si infra idem tempus promoti non fuerint huiusmodi ecclesijs absque monitione alia sint priuati, nonnullis extunc parrochiales ecclesias recusantibus acceptare legendi ac proficiendi (cum eis facultates non suppetant, nec ab ecclesiarum prelatis de alijs benefitijs in plerisque mundi partibus interdum prouideatur eisdem) oportunitas sit sublata in grande uniuersalis ecclesie que ad sui regimen uiris litteratis[1]) permaxime noscitur indigere dispendium et iacturam, nos super hoc multorum instantia excitati frequenter, uolentes cupientibus in scientia proficere ut fructum in dei ecclesia suo tempore afferre ualeant oportunum utiliter prouidere, presenti constitutione sancimus, ut episcopi eorumque superiores cum hijs qui huiusmodi subiectas sibi ecclesias obtinent vel obtinuerint infuturum dispensare possint libere quod usque ad septennium litterarum studio insistentes promoueri minime teneantur nisi ad ordinem subdiaconatus dumtaxat, ad quem infra predictum annum recipiendum — ne, sicut a multis de Christi patrimonio sublimatis olim factum esse dinoscitur, a statu retrocedere ualeant clericali — omnino astringi uolumus, et nisi receperint pena contenta in dicto concilio eo ipso percelli.

Porro septennio predicto durante ijdem episcopi et superiores sollicite prouidere procurent, ut per bonos et sufficientes vicarios ab eis in huiusmodi ecclesijs deputandos animarum cura diligenter exerceatur, et deseruiatur laudabiliter in diuinis, quibus de ipsarum ecclesiarum prouentibus necessaria congrue ministrentur.

Elapso uero dicto septennio hij cum quibus fuerit ut premittitur dispensatum ad diaconatus et presbyteratus ordines infra annum se faciant promoueri. Alioquin extunc dictam penam, nisi iusta de causa id omiserint, ipso iure se nouerint incursuros.

Datum Rome apud sanctum Petrum, X kalendas maij, pontificatus nostri anno quarto.

[1]) In documento ipso legimus: *litteras*.

Bonifacii VIII papae bulla plumbea filis cannabis ex hoc privilegio — in dextera marginis inferioris parte per Sy(monem) Aretinum signato — suspensum est.

CVIII.

1298, die 6. maji.

Ecclesiae herbipolensi Johannes burcgravius nurenbergensis reemtionem villarum Bernheim et Herborsheim infra hinc et festum purificationis s. Mariae et deinde ad duos annos faciendam concedit.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis tenore presencium recognoscimus et publice profitemur, quod — licet felicis recordacionis quondam dominus Bertoldus episcopus herbipolensis predecessor noster de consensu capituli herbipolensis villas Bernheim et Herborsheim cum earum pertinenciis, excepto iurepatronatus ecclesiarum earundem villarum, nobili viro quondam Friderico burcgrauio de Nurenberg suisque heredibus racione trecentarum marcarum argenti septingentarum librarum hallensium et triginta librarum hallensium sibi pro empcione castri Frankenberg ab ecclesia herbipolensi soluendarum in feodum contulerit, sicut in jnstrumento sub sigillis quondam domini Bertholdi episcopi babenbergensis et quondam domini episcopi prefati ac capituli herbipolensis exinde confecto plenius continetur — nobilis tamen vir Johannes nunc burcgrauius nurenbergensis natus et heres predicti quondam Friderici burcgrauij pro se et Friderico fratre suo minore annis, cuius tutor existit, nobis et capitulo nostro cupiens amiciciam facere specialem, expresse pro se et fratre suo iamdicto tutorio nomine consensit et concedit, quod nos vel noster successor aut capitulum herbipolense plenariam potestatem habeamus infra hinc et festum purificacionis beate virginis proxime nunc venturum et deinde ad duos annos immediate se subsequentes predictas villas et earum pertinencias apud eundem burcgrauium et fratrem suum vel heredes suos pro trecentis marcis argenti septingentis libris hallensium et triginta libris hallensium reemendi.

Si vero nos aut successor noster aut capitulum herbipolense prescriptas villas et pertinencias suas infra predictum tempus nobis prefinitum non reemerimus, deinceps nobis reempcio — nisi predicti burcgrauius et frater suus vel heredes sui voluerint — non competet quoquam modo, immo exnunc prout extunc omni iuri canonico et ciuili, fundo proprietatis quem a nobis tenent in feodum vt predictum est et iurepatronatus predicto dumtaxat

exceptis, actioni liti sev questioni si que possent nobis contra predictos burcgrauium et fratrem suum vel heredes suos pro supradictis bonis conpetere de consensu nostri capituli renunciamus simpliciter et precise, promittentes de eiusdem capituli consensu, sibi et predicto fratri suo vel heredibus suis nunquam vllo in posterum tempore extunc siue in foro ecclesiastico sev seculari causam actionem peticionem litem sev questionem aliquam nos mouere, nec cuiquam inferenti aliqualiter consentire, nec eciam contra dictam renunciacionem venire aliquo ingenio iuris colore vel subtilitate studio vel cautela, jmmo specialiter renunciantes de ipsius capituli consensu litteris impetratis contra eos a sede apostolica sev (quod absit) in antea impetrandis et eciam omni conmodo earundem.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum ipsi burcgrauio dedimus, nostri et predicti capituli sigillis diligencius roboratum. Nos quoque Heinricus de Wechmar prepositus, Arnoldus de Spiezesheim decanus, totumque capitulum ecclesie memorate predicta omnia de nostro consensu recognoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem testimonium hiis litteris appendentes.

Datum et actum in Babenberg, anno domini M° CC° nonagesimo VIII°, in die beati Johannis ante portam latinam; presentibus Heinrico preposito predicto, Wolframo preposito ecclesie noui monasterii herbipolensis, nostre ecclesie canonicis, Johanne prothonotario nostro canonico ipsius ecclesie noui monasterii, item Alberto Forts de Turnauwe, Virico et Hermanno dapiferis de Naunsdorf, Walthero dapifero de Seckendorf, militibus, et aliis pluribus fidedignis.

Sigilla Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae fasciis membranaceis suspensa sunt.

Tam hoc documentum quam illud Johannis burcgravii de Nurenberg huc spectans eodem die datum Maercker et de Stillfried in monumentis zolleranis vol. II pag. 249—251 ediderunt.

Nec minus documentum a Bertholdo episcopo die 12 mensis augusti anni 1281 datum, cujus tam hoc loco quam in mon. boic. coll. nov. vol. X pag. 538 mentio fit, iidem Maercker et de Stillfried l. l. II pag. 125 et 126 ediderunt.

CIX.

1298, die 8. maji.

Fridericus comes junior de Castele juri quod ipsi in bonis in villa Rumpteshayn sitis ad ecclesiam herbipolensem pertinentibus competere videbatur renuntiat.

Nos Fridericus comes junior de Castele harum litterarum serie recongnoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum Ottho miles dictus de Fůstat et sui heredes mediam partem decime ville Egenhůsen attinentem, quam a nobili domino Heynrico comite de Castel nostro patruo dilecto et a nobis habuerunt in feodo, et nos ipsam decimam inmediate ab herbipolensi ecclesia in feodo tenuimus, religiosis et in Christo dilectis . . abbatisse et conuentui sanctimonialium in Frowenrode ordinis cystertiensis vendiderint rite et racionabiliter, venerabilis domini nostrj Bertoldj de Scherinberg quondam dicti tunc temporis herbipolensis episcopj suique capituli necnon ipsius patrvi nostri Heinrici comitis de Castel consensibus accedentibus, qui eandem vendicionem ratam et gratam habuerunt, jta quod Ottho miles de Fustat medietatem eiusdem decime nostro patrvo prefato beniuole resingnans jpse noster patrvus eandem medietatem decime ad manus dicti domini nostri Bertoldi de Scherinberg herbipolensis episcopi libere resingnauit, qui de expresso sui capitulj consensu supradictam decime medietatem a sua ecclesia penitus abdicando prelibatis . . abbatisse et sanctimonialium conuentui in Frowenrode in meram proprietatem donauit, jn ipsas et ipsarum cenobium cum pleno rerum dominio transferendo — ipse quoque Ottho miles de Fustat suique heredes in recompensam medietatis

eiusdem decime quoddam allodium in villa Fustat situm, quod ad eos proprietatis titulo spectarat, medietati eiusdem decime equiualens, sepefato domino nostro herbipolensi episcopo donando ab eo et a sua ecclesia tenendum in feodo susceperunt, sicut in eiusdem domini nostri herbipolensis episcopi litteris super vendicione prehabita confectis liquidius continetur; preterea quod — cum bone memorie Heynricus quondam de Flachede dictus alteram eiusdem decime medietatem ville Egenhûsen attinentem, quam etiam a nobili domino Heinrico comite de Castel nostro patruo et a nobis habuit in feodo, et nos eandem inmediate ab herbipolensi ecclesia in feodo tenuimus, suprascriptis abbatisse et conuentui sanctimonialium in Frowenrode etiam rite et racionabiliter vendiderit, reuerendj domini nostrj Manegoldj tunc temporis herbipolensis episcopi suique capitulj et nostri patrvi consensibus similiter accedentibus, qui eandem vendicionem ratam et gratam sicut primam habuerunt, jta quod noster patrvus medietatis eiusdem decime resingacione sibi facta ab ipso Heinrico de Flachede eandem medietatem ad manus dicti domini nostrj Manegoldj tunc temporis herbipolensis episcopi libere resignauit, qui etiam de sui capitulj expresso consensv eandem alteram decime medietatem a sua ecclesia penitus ahdicando abbatisse et conuentui sanctimonialium suprascripto in meram proprietatem donauit, ja ipsas et ipsarum cenobium cum pleno rerum dominio sicut primam eiusdem decime partem perpetuo transferendo — Frowinus quoque de Heseler ad instanciam nostri patrvj in reconpensam altere medietatis eiusdem decem mansorum medietatem cum omnibus suis pertinencijs et juribus quesitis et non quesitis in villa Rumpteshayn sitorum, qui ad eum proprietatis titulo spectarant, longe in valore prescriptam decimam precellencium, sepefato domino nostro herbipolensi episcopo donans ab eo et a sua ecclesia loco prioris feodj suscepit feodalj titulo possidere, sicut in litteris eiusdem reuerendj domini nostri Manegoldj herbipolensis episcopi plenius continetur.

Nos vero, quia huius decime vendicio pariter et empcio nostro fauore pariter et consensu ad hoc irrequesito celebrata fuerat, sen-

cientes nobis jniuriam inferrj, cum in talj decima equale ius sicut et noster patrvus vt nobis videbatur sortiri congrve deberemus, ad inpediendum sanctimoniales sepefatas in hac decima omne jus quod nobis in ea conpetere videbatur Heynrico dicto de Ryntbach, et Hartungo dicto Kylholz, militibus, Brůnwardo et suis fratribus dictis Hůzelin, nostris castrensibus, in feodum quantum huiusmodj nostra collacio valuit duximus conferendum. Qui cum eisdem sanctimonialibus pro eadem decima litis matteriam jnstaurabant.

Tandem precibus earundem sanctimonialium et amicorum earundem et principaliter diuine remuneracionis intuitu permolliti, simulque considerantes non modicum fauorem juris existere bona ecclesiastica de laycorum manibus reuocare et ad pia ac religiosa loca transferre, nominatos nostros castrenses induximus quod feodum in tali decima per nos quodcumque eis collatum ad manus nostras libere resingnantes jpsas sanctimoniales earumque cenobium ab omni actione occasione prenotate decime solutas et liberas reddunt et in hiis scriptis publice reddiderunt.

Nos quoque Fridericus comes junior de Castele omni jurj nobis nostrisque heredibus in prenotata decima conpetenti integraliter abdicantes, et tale feodum ad venerabilis dominj nostri Manegoldi herbipolensis episcopi manus libere resingnantes, equalj consensu pariter et fauore sicut et noster patrvus comes Heynricus supradictus omnem graciam quam in donacione proprietatis eiusdem decime reuerendi dominj nostrj Bertoldus et Manegoldus herbipolenses episcopi fecerunt sanctimonialibus necnon earum cenobio in Frowenrode nobis fore gratam et habere velle ratam presentibus affirmamus, omnique suffragio tam juris canonicj quam ciuilis in hac decima nobis nostrisque heredibus conpetentj renunciamus integraliter in hijs scriptis. Et quod earum simus oracionibus ceterisque karitatis jnclusi operibus, volumus et tocius nostri desiderio cordis affectamus sanctimoniales et cenobium jn Frowenrode sepenotatam decimam ville Egenhvsen attinentem cum vniuersis suis pertinencijs et juribus tam in campo quam in

villa quesitis et non quesitis mero proprietatis titulo pleno rerum dominio temporibus perpetuis quiete ac libere possidere.

Jn quorum omnium premissorum euidens testimonium presens scriptum nostri sigillj patrocinio duximus roborandum.

Nos quoque Heynricus de Rynthbach, Hartungus Kylholz, milites, Brûnwardus meique fratres dicti Hûzelin prenotati, vniuerso jurj quod nobis in prelibata decima ex collacione feodi per nobilem dominum nostrum Fridericum juniorem comitem de Castele facta conpetere poterat integraliter renunciantes, ab omni actione occasione eiusdem decime abbatissam et conuentum sanctimonialium necnon ipsarum cenobium in Frowenrode absoluimus jn hiis scriptis.

Et in huius rej euidens testimonium sigillum dominj nostri comitis Friderici junioris de Castel ad nostras preces presentibus est appensum.

Testes vero qui interfuerunt premissis omnibus sunt milites et serui suprascripti nostrj castrenses: Hermannus Heynricus et Vlricus dicti de Wysynbrunnen, Cunradus theolonearius, ceterique viri prouidj et honesti jbidem vocati in testimonium et rogati.

Actum et datum anno dominj M°. CC°. nonagesimo VIII°., VIII°. jdus maij.

Sigillum COMITIS · FRIDERICI · DE · KASTELE filis sericis viridis et rubri colorum ex hoc documento suspensum integrum est.

Documentum ab Heinrico comite de Kastele die 2 mensis octobris anni 1281 datum huc pertinens in mon. boic. coll. nov. vol. X pag. 539 legitur. Cartam alteram huc spectantem die 2 mensis augusti anni 1296 datam supra sub num. LXXXII pag. 141 et 142 edidimus

CX.

1298, die 14. maji.

Domini de Bergauwe ecclesiae herbipolensi villas Ulsenheim et Subenheim cum omnibus pertinentiis et juribus olim pignori obligatas restituunt.

Nos Hartmannus Otto et Otto fratres domini de Bergauwe ad vniuersorum et singulorum noticiam cupimus peruenire, inmo eciam recognoscimus publice per presentes, quod reuerendus in Christo pater et dominus noster Manegoldus episcopus herbipolensis villas Vlsenheim et Svbenheim cum omnibus pertinentiis et juribus suis quesitis et non quesitis, olim karissimo quondam auo nostro a venerande memorie quondam domino Hermanno episcopo herbipolensi pignori obligatas, et ad nos sic ex successione deuolutas apud nos partim pro parata pecunia et partim pecunia credita in festo beati Martini nunc proximo vel ad maius infra vnum mensem post idem festum soluenda, pro qua nobis sufficientem cautionem fideiussoriam dedit, libere nunc redemit.

Quas siquidem villas cum omnibus pertinentiis et juribus suis quesitis et non quesitis predicto domino nostro episcopo et ecclesie sue libere restituimus per presentes.

Et si ipse vel successor suus pro tempore in predictis bonis in parte vel in toto a quocumque vel quibuscumque occasione nostri vel progenitorum nostrorum pura ex obligatione vel quacumque alia indebita alienatione per nos vel per eos (quod non credimus) facta impedimentum aliquod sustineret, id moniti secundum iustitiam remouere promittimus penitus et sopire.

Preterea a nobis et heredibus nostris omne jus quod in dictis villis habuimus abdicamus, jllud in prenominatum dominum nostrum

episcopum et ecclesiam suam cum pleno rerum dominio transferentes. Specialiter eciam omnibus jnstrumentis sev litteris a memorato quondam domino Hermanno episcopo vel a quocumque alio sub quacumque forma verborum vel tenore quocumque nobis vel progenitoribus nostris datis in hiis scriptis renunciamus omnique comodo earundem, jnmo protestamur et pronunciamus easdem super predictis bonis datas exnunc inantea inualidas et nullius omnino fore roboris vel momenti.

Jn quorum omnium premissorum testimonium et euidenciam pleniorem predicto domino nostro episcopo has dedimus litteras . . de Swarzeburg et . . de Keuernberg comitum necnon ciuitatis in Erphordia, ac nostri Hartmanni predicti sigillis diligenter roboratas.

Nos quoque de Swarceburg et de Keuernberg comites, et scultetus consules scabini et vniuersitas ciuium erfordensium predicti ad peticionem predictorum nobilium sigilla nostra huic littere duximus apponenda. Nos eciam Otto et Otto fratres predicti sigillo Hartmanni fratris nostri iamdicti sumus contenti, quia propriis iam caremus.

Datum anno dominj M°·CC°· nonagesimo VIII°·, pridie jdus maij.

Sigillorum ex altero hujus documenti quondam fasciis membranaceis suspensorum jam nonnisi duo restant. Dum illud COMITIS DE SWARZBVRCH, imaginem militis armati repraesentans, quod dicunt equestre, in parte dextera laesum est, illud HARTMANNi de BEREGOWE fere integrum est.

In altero harum litterarum exemplari eodem fere omnino tenore confecto, e quo sigillum HARTMANNI · DE · BEREGOWE fascia ex ipsius documenti membrana confecta suspensum est, finem versus solummodo haec legimus:

In quorum premissorum testimonium has lit[teras nos] Hartmannus sigillo nostro, quo nos Otto et Otto fratres predicti, quia caremus propriis, sumus contenti, duximus fideliter roborandas.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo VIII°·, pridie jdus maij.

CXI.

1298, die 17. maji.

Manegoldus episcopus duas canonicorum ad praebendas vacaturas receptiones a capitulo ecclesiae onolspacensis factas cassat.

M(anegoldus) dei gracia episcopus herbipolensis honorabilibus viris . . decano et capitulo ecclesie onolspacensis salutem et sinceram in domino karitatem.

Rem mirandam et statutis canonicis obuiam de vobis percepimus, quod in eo non contenti quod dudum ante tempora nostra ad vacaturas prebendas fere tot ad ecclesiam vestram canonicos elegistis et recepistis quot ibidem numero sunt prebende contra statuta concilii lateranensis, inmo nunc de nouo pro eo quod in pacientia dictam ordinationem inprouidam tolerauimus quasdam alias personas — videlicet vnam ad petitionem nobilis viri Conradi comitis de Ôtingen, et aliam ad honorabilis viri An(dree) de Gundeluingen prepositi ecclesie vestre preces — ad vacaturas prebendas nobis insciis recipere presumpsistis.

Ne igitur in ecclesia dei sic locum (quod absit) futura successio habeat ne quis mortem proximi desiderare videatur in cuius locum et beneficium se crediderit successurum, nos huiusmodi consuetudinis vicium hev nimis inolite ab ecclesia vestra precidere et auellere cupientes, premissas electiones et receptiones de personis prenominatis sic a vobis inprouide attemptatas cassamus et irritamus in hiis scriptis, inmo etiam cassas et irritas omnique virtute vacuas nunciamus, vobis vniuersis et singulariter singulis mandantes in virtute sancte obedientie, quatenus premissum vestrum errorem recognoscentes et corrigentes electiones et receptiones supradictas per nos sic cassatas et annichilatas, quatenus de facto ad illas pro-

cessistis, reuocatas et cassatas inmo vigore vacuas in vestro capitulo et aliis locis in quibus oportunum fuerit nuncietis.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CC°. nonagesimo VIII°., XVI^to. kalendas junij, pontificatus nostri XI°.

Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CXII.

1298, die 31. julii.

Manegoldus episcopus vineas et bona alia quae Hermannus dictus Muzzel et Krafto fratres ab ecclesia herbipolensi titulo feodali possessa Juthae de Tronstat et Juthae de Repperdorf et Hedewigi consanguineis vendiderant ipsis jure feodi habenda confert.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis, quod Hermannus dictus Muzzel et Krafto frater suus in nostri presentia constituti, sani mente et corporibus, voluntarie et publice sunt confessi, se sorori Juthe de Tronstat matertere sue, sorori Juthe de Repperdorf filie sororis eiusdem, et sorori Hedewigi filie fratris eius quinque vinearum jugera sita iuxta villam Michelouwe in monte dicto Brusteberg et tria vinearum jugera sita in monte dicto Vlenberge, jtem in eadem villa Michelauwe curiam et mansum vnum quos possidet Cůnradus vinitor, jtem domum vnam quam inhabitat . . dictus Ketener, jtem domum illam quam inhabitat Hermannus scultetus, et domum vnam quam inhabitat . . dictus Ergerster in eadem villa, rite et racionabiliter pro parato soluto et numerato sibi precio vendidisse, petentes a nobis instanter,

quod — cum vinee curia et domus predicte a nobis et ecclesia nostra in feodum procederent — illas resignatas ab eis recipere, et prefatis sororibus eo iure quo ipsi tenuerant conferre in feodum dignaremur.

Nos itaque suis precibus fauorabiliter annuentes, vineas curiam et domus iamdictas a predictis fratribus resignatas recipientes, illas memoratis sororibus in feodum contulimus et conferimus, a nobis et ecclesia nostra quoad vitam ipsarum dumtaxat in feodum possidendas. Postquam vero vna illarum vel due decesserit vel decesserint, illa bona iure premisso ad superstitem vel superstites totaliter deuoluentur. Eis autem omnibus tribus de medio sublatis. dicta bona ad natos quondam Conradi aduocati nostri in Walperg qui tunc adhuc superstites fuerint iure quo premittitur libere deuoluentur.

Sane si dicta soror Jutha de Tronstat, euidenti necessitate compulsa, dicta bona, quod facere poterit libere de consensu . . episcopi existentis pro tempore, venderet quandocumque, extunc predicte sorores, videlicet Jutha de Repperdorf et Hedewigis, nec eciam nati predicti quondam Conradi de Walperg, simul vel diuisim, ipsam in vendicione eorundem bonorum in toto vel in parte de iure poterunt impedire, nec ei de facto eciam afferre debebunt in hoc obstaculum aliquale.

Quod siquidem ius vendendi necessitate vrgente iamdicte due sorores quo ad natos supradicti quondam Conradi libere retinebunt, impedimento aliquo non obstante.

Prefati vero fratres de speciali amicicia dictarum sororum habent potestatem dicta bona pro summa pecunie qua ipsi eis illa vendiderunt liberam reemendi sua propria pecunia vsque ad festum kathedre beati Petri proxime nunc venturum.

Quorum premissorum sunt testes: Heinricus prepositus ecclesie nostre maioris, Erkengerus de Saunsheim aduocatus noster in Gerolshouen miles, Erkingerus filius suus, Hiltebrandus de Brackenlare, et plures alii fidedigni.

Jn illorum autem omnium et singulorum testimonium hoc scriptum exinde confectum nostro sigillo fecimus roborari.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo VIII°·, pridie kalendas augusti, pontificatus nostri anno XI°·

Sigillum Manegoldi episcopi fascia membranacea ex hac carta auspensum est.

CXIII.

1298, die 8. augusti.

Gerhardus archiepiscopus maguntinus et Manegoldus episcopus herbipolensis unionem ineunt.

Sciant cuncti ad quos presens scriptum peruenerit, quod nos Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis cum reuerendo in Christo patre et domino Ger[hardo] sancte maguntine sedis archiepiscopo, sacri jmperii per Germaniam archicancellario, ad formandum et firmandum inter eum et nos fraterne vinculum karitatis talem iniuimus concorditer vnionem, quod — hinc et inde cunctarum discordiarum nostrarum materiis siue causis extantibus hactenus vel subortis super homicidiis incendiis vel rapinis sev captiuitatibus suorum hominum et nostrorum et nominatim iuxta Karlstat factis penitus resecatis et extinctis omnino — nos eidem contra suos et ipse nobis contra nostros quoslibet jniuriatores, solo dumtaxat excepto jmperio, cum vniuersis castris fortaliciis et munitionibus nostris et suis vt pateant in adiutorium ad intrandum exeundum standum ibidem et hostilia opera faciendum cum fidelibus eciam et amicis nostris et suis pro posse quocumque locorum quocienscumque et quandocumque opus fuerit ipse sub suis et nos sub nostris expensis infra trium septimanarum spacium a requisicionis

tempore conputandum mutuum et fidele auxilium faciemus, omni dolo et fraude prorsus exclusis.

Ne autem huiusmodi vnionis vinculum perpetuo nostris temporibus duraturum aliquatenus dissoluatur, sic prouidimus ad cautelam, vt nos duos pro nobis et prefatus pater et dominus archiepiscopus similiter pro se duos milites habeamus, medium autem nobilem virum Godfridum de Brunecke, causarum nostrarum omnium hinc vel inde quomodolibet futurarum in amicicia vel iusticia decisores. Et quicquid iidem vel maior pars eorum super emergentibus inter nos causis duxerint ordinandum, illud ratum atque gratum nos promittimus habituros per fidem loco iuramenti datam a nobis sub presentium testimonio litterarum.

Fideles autem nostros et castrenses excipimus sub hac forma, vt si forte secundum premissa super jniuriis si quas fecerint domino archiepiscopo memorato predictorum parere noluerint arbitrio decisorum, tunc eundem contra ipsos sicut quoslibet alios tenebimur adiuuare.

Jn cuius rei certitudinem sigillum nostrum apponi fecimus huic scripto.

Datum et actum apud Herbipolim, anno domini M°·CC°· nonagesimo VIII°·, VI^to· jdus augusti.

Sigillum Manegoldi episcopi fascia membranacea e media carta suspensum est.

Illam Würdtwein in diplomatariis suis maguntinis vol. I pag. 83 et 84 edidit.

CXIV.

1298, die 16 octobris.

In majoris ecclesiae herbipolensis altari quod dicunt Hermanni episcopi vicaria perpetua pro remedio animarum Hermanni Bertoldi et Mangoldi episcoporum necnon Heinrici de Wechmar praepositi ordinatur.

In nomine dominj amen.

Nos Heinricus de Wechmar prepositus herbipolensis recognoscimus et tenore presencium constare volumus vniuersis presentibus et futuris has litteras inspecturis, quod — volentes cultum diuinj nominis ampliare — humane condicionis memores, quam semper comitatur innata fragilitas cui ab ipso vite principio mortis imperium dominatur, donamus et tradimus iure proprio et imperpetuum per presentes ad habendum retinendum et possidendum pleno iure terciam decime in Eischleib, libertatam et collatam predicte ecclesie nostre per dominum Bertoldum quondam episcopum herbipolensem, quam pecunia nostra conparauimus, et tres libras denariorum monete herbipolensis vsualis de aduocacia nostra in Tiefenstocheim, necnon decem vncias denariorum et duos denarios herbipolensis monete de curia officij in Westheim, similiter nostra pecunia conparatas, soluendas singulis annis in festo sancti Martinj, pro remedio animarum venerabilium patrum dominorum Hermannj et predicti Bertoldi quondam episcoporum ecclesie herbipolensis et anime nostre ac omnium aliorum qui de huiusmodj donacione et elemosina nostra digne debent meritum reportare, consensu et voluntate decani et capituli ac prelatorum ecclesie nostre herbipolensis predicte accedente, ad altare sanctorum Mathei apostoli, Mauricij, Dyonisij, Katherine, et Marie

Magdalene, quod conmuniter dicitur altare episcopi Hermannj, ad veram ibidem vicariam perpetuo ordinandam, ad quam vicariam reuerendus pater dominus Mangoldus herbipolensis episcopus in remedium anime sue ac predictorum episcoporum, et ut in dicto altari diuinum officium ulterius augeretur, pie donauit et tradidit omnes et singulos redditus et prouentus qui ad ipsum altare ante donacionem nostram huiusmodi pertinebant, in quo quidem altari ius instituendi vicarium ac vicariam ipsius altaris conferendi nobis nostrisque successoribus duximus reseruandum.

Volumus autem et presenti scripto statuimus et ordinamus, ut in ipso altari per vicarium a nobis ibidem aut nostris successoribus institutum seu constitutum in subsidium et remedium animarum prefatorum dominorum episcoporum et nostre missa diebus singulis celebretur, et quod ipse vicarius quj pro tempore institutus fuerit in choro dicte ecclesie sancti Kyliani omnibus horis intersit et septimanam suam tam in missa quam in aliis horis faciat prout a vicariis dicti chori fieri actenus est consuetum, et quod quicumque quj nobis in curia nostra Luden successerit vicariam dicti altaris auctoritatem habeat conferendi et non nisi sacerdotj qui uita conuersacione et moribus approbetur. Si uero plures in iam dicta curia Luden nobis succedant, volumus jus conferendi dictam vicariam aput seniorem in introitu ecclesie tantum successorum nostrorum simpliciter residere, et quod vicarius ille qui in dicto altari institutus fuerit ius aliquod ultra prefatos redditus in successores nostros seu in curia nostra predicta sibi amplius vendicet uel requirat. Volumus eciam, quod quilibet successorum nostrorum in prepositura nostra predictas decem vncias et duos denarios de dicta curia Westheim, et ille quj in dicta aduocacia Tiefenstocheim ex donacione seu legacione nobis successerit supradictas tres libras denariorum dent et persoluant vicario dicti altaris annis singulis in termino memorato sub pena forme super administracione prebendarum nostrarum edite, quam formam ipsos in omnibus suis articulis obseruare decreuimus in personis propriis et non per alium uel alios, si in solucione dictorum denariorum requisiti a vicario dictj altaris neglientes fuerint uel remissi. Dictam vero aduocaciam ab

ecclesia nostra predicta alienare non intendimus, sed ipsam volumus ex donacione uel legacione nostra aput aliquem de gremio dicte nostre ecclesie remanere.

Jn quorum premissorum testimonium atque euidenciam pleniorem sigilla videlicet predictj capituli nostrj et nostrum presentibus sunt appensa.

Datum et actum anno dominj M°·CC°· nonagesimo VIII°·, XVII kalendas nouembris.

Sigilla duo praedicta fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa sunt.

Illud per officialitatem curiae herbipolensis „anno domini millesimo CCC tricesimo quarto, sabbato post octauam epiphanie eiusdem“ transcriptum est.

Litterae de 17 mensis octobris anni 1302 datae, quas infra sub num. CLXXI edemus, huc conferri possunt.

CXV.

1298, die 25. novembris.

Manegoldus episcopus, cum Hermannus marchio brandenburgensis necnon de Hennenberch et de Landesberch dominus Annae uxori (Alberti Romanorum regis filiae) comitatum seu dominium in Hennenberch necnon dominium in Franconia cum pertinentiis universis donaret, feoda omnia et singula quae ab ipso et ecclesia herbipolensi in comitatu et dominio praedictis procedebant Hermanno et Annae memoratis concedit, eum una cum ea solemniter ac rite de illis investiendo.

Documentum de hac donatione a Hermanno praedicto confectum — datum apud Nuremberch, VII kalendas decembris, anno domini M° CC°· nonagesimo octavo, indictione XII[a] — e scriniis vindobonensibus Riedel in codice diplomatico brandenburgensi II 1 pag. 224 et 225 edidit.

CXVI.

1298, die 13. decembris.

Johannes de Rienecke canonicus Novi Monasterii herbipolensis ob honorabilium virorum domini Heinrici praepositi, domini Arnoldi decani, et capituli ecclesiae herbipolensis, quorum votis et beneplacitis omni tempore desiderat complacere, reverentiam et petitionum instantiam omni juri quod sibi ratione gratiae in provisione de praebenda in ecclesia a sede apostolica sibi factae extunc competit vel in futurum modo quoquam videretur aut posset competere spontanea voluntate renuntiat, pronuntians ac dicens expresse praetactam provisionem et gratiam ipsius exnunc penitus irritam et inanem necnon omnino in posterum nullius fore roboris aut momenti.

Datum et actum anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, in die sanctae Luciae virginis.

Sigilla Manegoldi episcopi et ipsius Johannis de Rienecke fasciis membranaceis ex hac carta suspensa hinc inde laesa sunt.

CXVII.

Anno 1298.

Synodus dioecesana a Manegoldo episcopo Herbipoli celebrata.

Statuta synodi dioecesanae anno 1292 Herbipoli celebratae „omnibus animas regentibus valde necessaria et utilia“ per episco-

pum dictum anno 1298 in plena synodo de consilio praelatorum et assensu de novo sunt edita.

E codice manuscripto bibliothecae carmelitarum bambergensium illa publici juris fecit Josephus Hartzheim in conciliorum Germaniae tomo IV pag. 24 — 36, et inde Schneidt in thesauro juris canonici II pag. 59—97, necnon Fr. Xav. Himmelstein in synodico herbipolensi pag. 139—159.

Qui editor modo laudatus l. c. pag. 115 haec annotat: Wir vermissen darin das Capitel „de officio vicarii" welches in der Synode Bischofs Wolfram (vom Jahre 1329) Cap. XI als von Manegold stammend citirt wird. Vielleicht war dieses Capitel bei der zweiten Ausgabe der Statuten ausgeschieden worden.

CXVIII.

1299, die 10. januarii.

Civitas wirziburgensis se conventum quorundam ordinis cisterciensis jura de inducendo et vendendo vinum bladum et alias res amplius non violaturam pollicetur.

Nos Heinricus Weibeler, Fritzo Gyr, Sifridus de Rebestog, Johannes Hane, Eckehardus Frezzer, Marquardus de Beierruthe, Merkelinus de Wigenheim, ceterique consules, ac vniuersitas ciuitatis herbipolensis constare volumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod — licet peruersorum suggestionibus stimulati conati fuerimus religiosos viros monasteriorum in Eberach, Halsbrunnen, Brunnebach, Lancheim, Schonental abbates, ac . . abbatissam Celiporte, et eorum conuentus ordinis cystercíensis ad contributionem seu collectam nobiscum faciendam minus racionabiliter coartare, res

eorundem arrestando, vinum et bladum ipsorum impediendo, ac ipsos prohibendo vinum et bladum ac alia eorum bona inducere, inducta vendere pro sue libito voluntatis — de predictorum tamen religiosorum libertatibus iuribus consuetudinibus postmodum plenius informati, timentes nedum diuinam verum eciam temporalem offendere maiestatem, dictis religiosis restitucionem plenariam fecimus taliter ablatorum.

Ne igitur super libertatibus iuribus seu consuetudinibus predictorum religiosorum in ciuitate herbipolensi hactenus obseruatis et inposterum obseruandis a quoquam successorum nostrorum aliquod dubium oriatur, et ne similia attemptentur, presentibus publice profitemur et in hiis scriptis recognoscimus, quod dicti abbates abbatissa et eorum conuentus habent ius et libertatem introducendi vinum bladum ceteraque bona sua, recolligendi in curiis suis, vendendi ac mercandi pro sue arbitrio voluntatis, nec ex hoc cuiquam ad contribucionem collectam seu queuis obsequia sunt astricti, prout eciam dictis libertatibus a retroactis temporibus pacifice sunt gauisi.

Si qua vero statuta constituciones seu prohibiciones inueniantur que in preiudicium predictarum libertatum seu consuetudinum vergant, presentibus reuocamus, promittentes per sollempnem stipulacionem pro nobis nostrisque successoribus vniuersis, dictis abbatibus abbatisse ac eorum conuentibus omnes predictas libertates, ceteraque eorum iura consuetudines illibata conseruare, et non contrauenire per nos vel per alios aliquo ingenio studio vel cautela, nec aliqua statuta constituciones seu prohibiciones edere que possint in preiudicium libertatum seu iurium dictorum aliqualiter redundare.

Quodsi contra premissa venerimus vel aliquod predictorum, nos Eckehardus Lebarte senior, Engelhardus Leberte, Fritzo Gyr, Johannes Hane, Heinricus Zan, Heinricus de Babenberg, Sifridus de Rebestog, Conradus de Inferno, Herbordus de Nicht, Heinricus Petri, Heinricus Virnekorn, Wolvelinus Brunlini, Heinricus Weibeler, Engellinus de Hepphenheim, Engelhardus de Rotenburg, Bertoldus de Abiete, Conradus

de Rebestog, Conradus Ysenburg, Ortliebus Buzkorber, Gotfridus de Meiningen, Heinricus de Nouo Cellario, Johannes de Ariete, et Conradus Weibeler, ciues herbipolenses, sentencias exconmunicacionis — quibus hactenus ob dictam causam per sedem apostolicam seu venerabilem patrem dominum .. eystetensem episcopum delegatum ipsius fuimus innodati — in nos exnunc prout extunc recipimus per presentes vt eisdem sine contradictione qualibet innodemur, renunciantes omni auxilio iuris canonici vel ciuilis, premissis omnibus nichilominus obtinentibus perpetuam firmitatem.

Adicimus eciam, quod si per singularem vel singulares personas predicti religiosi in eorum iuribus fuerint perturbati, talem vel tales non tenebimus vel fouebimus, sed eius vel eorum correctioni et emendacioni vna cum reuerendo patre domino .. episcopo nostro, mota prius querimonia coram ipso, sine fraude efficaciter intendemus sub pena superius annotata.

Jn premissorum autem omnium et singulorum, ita quod hincinde vara fraus et dolus penitus excludantur, testimonium sigillum vniuersitatis nostre presentibus duximus appendendum.

Datum et actum anno domini M°.CC°. nonagesimo nono, sabbato post epiphaniam eiusdem; presentibus testibus infrascriptis viris honorabilibus: Heinrico de Wechmar preposito maiori, Wernhero de Tannenberg cantore, Andrea de Gundeluingen onolspacensi ac orengowensi preposito, archidiaconis; Wolframo scolastico preposito noui monasterii, canonico herbipolensi; Johanne, Heinrico de Katzenstein, notariis domini episcopi, canonicis noui monasterii; fratre Bertoldo de Gebezstein domus Theutonicorum; ac aliis pluribus fidedignis.

Sigillum civitatis wirziburgensis fascia membranacea suspensum est.

Documentum die 23 mensis januarii anni 1297 datum, quod supra sub num. LXXXIX pag. 160 et 161 edidimus, conferri potest.

CXIX.

1299, die 9. februarii.

Fridericus de Truhendingen castrum suum Nuwenburg Manegoldo episcopo vendit.

Nos Fridericus dominus de Truhendingen harum serie litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod reuerendo in Christo patri et domino nostro Manegoldo de Nuwenburg episcopo herbipolensi castrum nostrum Nuwenburg cum omnibus juribus suis redditibus hominibus et pertinenciis quibuscumque pro mille et ducentarum librarum hallensium precio rite et racionabiliter dinoscimur vendidisse, cuius siquidem precii octingentas libras hallensium nobis iam ab eodem domino nostro episcopo persolutas recognoscimus in pecunia numerata, residuas vero quadringentas libras pro medietate in festo beate Walpurgis proximo et pro alia medietate in festo beati Johannis baptiste deinde proximo nobis cum integritate soluere promisit pariter et spopondit.

Si autem nobis necessitas redimendi castrum nostrum Stûffenberg obligatum incumbere contingeret sine vara, extunc nobis ipsas quadringentas libras simul in prenotato festo beate Walpurgis soluere promisit, dummodo ad quatuor septimanarum spacium ante idem festum ipsum prescire faciamus necessitatem huiusmodi redimendi.

Pro eisdem eciam quadringentis libris nobis modo premisso persoluendis idem dominus noster episcopus sex fideiussores — quos honorabiles domini Heinricus prepositus maior ecclesie herbipolensis, et Andreas de Gundeluingen prepositus ecclesie onolspacensis, jtem nobilis vir dominus Cûnradus burcgrauius nûrembergensis, et Wolframus de Gyssendorf miles, vtrimque ad hoc electi, simul inter se decreuerunt vel decreuerint acceptandos — nobis infra hinc et dominicam jnuocauit proximam dare sev obligare modo fideiussorio nullatenus pretermittet.

Quod si facere neglexerit, extunc dominus Heinricus prepositus maior, et dominus Andreas de Gundeluingen prenotati, necnon dominus Wolframus prepositus ecclesie noui monasterii herbipolensis sub

fide prestita moniti se in opido Ochsenfurt recipient, tamdiu inibi in dampnum suum expensas facturi donec nobis ab eodem domino nostro episcopo fideiussores vt premittitur dati fuerint sev eciam obligati. Dominus autem prepositus maior supradictus si aliquo necessario negocio durante huiusmodi receptione fuerit prepeditus, honorabilem dominum Sifridum fratrem suum archidiaconum herbipolensem, aut . . filium fratris ipsius herbipolensis ecclesie canonicum donec idem impedimentum cessauerit pro se subrogare poterit sine vara.

Preterea nos ipsi domino nostro episcopo de euictione castri predicti et pertinentiarum suarum cauere tenebimur, et gwarandiam que wertschaft wulgaritur dicitur quam poterimus facere de eodem, prout dominus H(einricus) prepositus maior, An(dreas) de Gundeluingen, dominus Cunradus burcgrauius socer noster, et Wolframus de Gissendorf miles, predicti, inter se simul decreuerint et fuerint arbitrati.

Ac etiam super dicta venditione ipsi domino nostro nostras patentes dabimus litteras, nostro et coniugis nostre sigillis ac alias prout dicti quatuor ordinauerint firmiter conmunitas.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum predicto domino nostro episcopo dedimus, sepefati domini Cunradi burcgrauii soceri nostri sigillo, quo contenti sumus et vsi, cum nostrum penes nos non habeamus, diligentius roboratum.

Datum Herbipoli, anno domini M°. CC°. nonagesimo IX°., V^to. jdus februarii.

Sigillum praedictum fascia membranacea ex ipsius documenti membrana confecta suspensum magnam partem periit.

Has litteras Maercker et de Stillfried in monumentis zolleranis vol. II pag. 258 et 259 ediderunt.

Alteras huc spectantes, die 12 mensis martii datas, infra sub num. CXXI pag. 215 edemus.

CXX.

1299, die 10. martii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum curiam suam in superiori Broute sitam Ottoni de Wisenprunne jure hereditario possidendam confert.

H(einricus) prepositus, Ar(noldus) de Spiezsheim decanus, totumque capitulum herbipolensis ecclesie recognoscimus presentibus publice, quod contulimus et hiis in scriptis conferimus cvriam nostram in superiori [1]) Broute sitam Ottoni de Wisonprunne et suis heredibus iure hereditario possidendam, jta tamen quod vnus suorum possideat ipsam, et sic vnus post alium successiue, vt curia permaneat indiuisa, et quod ipsam edificent suis laboribus et expensis de scitu Cvnradi Bischof, Sizemanni, Cvnradi de Augea, et Heinrici Zvbelrode, ad hoc deputatorum vt si domini nostri vel dominus de Walhusen aut alter quicumque oblacionem habuerit eandem curiam habere voluerit, quod tunc eedem expense edificiorum facte sibi aut suis heredibus secundum taxacionem quatuor virorum supra dictorum, vel aliorum quatuor si isti decesserint, totaliter refundantur.

Dictum est eciam, quod idem Otto aut sui heredes nobis vinum nostrum in torculari eiusdem curie premi permittant, et in cellario reseruent, et eciam dominis nostris hospicia in eadem curia ministrent.

Jn cuius rei testimonium sigillum capituli nostri presentibus est appensum.

Datum anno domini M°.CC°.LXXXX°.VIIII, feria tercia post dominicam jnuocauit.

[1]) In carta ipsa scriptum est: *in jnsuperiori.*

Sigillum praedictum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum magnam partem periit.

CXXI.

1299, die 12. martii.

Fridericus nobilis de Truhendingen coadunata manu nobilis matronae Agnetis conjugis suae Manegoldo episcopo herbipolensi castrum suum Nuwenburg cum hominibus, jurisdictionibus, redditibus, villis, agris, pratis, pascuis, hortis, aquis aquarumve decursibus, omnibusque aliis juribus et pertinentiis suis de consensu expresso Alberti et Gotfridi dictorum de Blavelt et Ulrici dicti Sturmer, qui idem castrum ipsi tamquam feodum manutenuerunt portaverunt et conservaverunt, pro duobus milibus marcarum argenti pro quibus ipsi etiam fuerat antea obligatum pignori obligat tamdiu tenendum et possidendum donec illud pro tanta pecunia redimat.

Cuius obligationis sunt testes: dominus Heinricus praepositus major, dominus Andreas de Gundelvingen praepositus onolspacensis, dominus Wolframus praepositus ecclesiae novi monasterii herbipolensis, dominus Heinricus de Rannenberg archidiaconus, praelati ecclesiae majoris herbipolensis; nobilis vir dominus Cûnradus burcgravius nûrenbergensis socer Friderici de Truhendingen; Johannes protonotarius domini episcopi praefati; Heinricus de Erlach scultetus herbipolensis; Andreas dictus Zobel camerarius ipsius domini episcopi, Erkengerus de Sauwensheim, et Otto dictus Ufseizze fidelis, milites; Cûnradus dictus Studigel, et plures alii fidedigni.

Datum Herbipoli, anno domini MCC nonagesimo IX, in die beati Gregorii papae.

Sigilla Friderici necnon Agnetis de Truhendingen et Cunradi burggravii nurenbergensis fasciis membranaceis ex hoc documento — quod Maercker et de Stillfried in monumentis zolleranis II pag. 259 et 260 ediderunt — suspensa sunt.

Litteras huc spectantes, die 9 mensis februarii datas, supra sub num. CXIX pag. 212 et 213 edidimus.

CXXII.

1299, die 29. martii.

Manegoldus episcopus ob grata Wolframi advocati de Dornberg servitia castrum et dominium in Dornberg necnon alia bona inde ab ejus morte sibi vacantia Elizabethae ejus filiae (Friderici comitis de Otingen uxori) et Mariae eorum filiae jure feodi confert, a Ludewico comite de Otingen et Friderico ejus filio dicto ipsis manutenenda, hisque ea postquam matronae illae absque heredibus masculis decesserint concedit.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod nos in consideracionis nostre trutina non immerito ponderamus non incongruum id censendum existere quod hij peramplius a nobis nostraque ecclesia maioribus et piguioribus beneficiis honorentur qui quorumue progenitores predecessoribus nostris et nobis ac dicte ecclesie nostre grandiora et graciora suis incessanter temporibus obsequia prestiterunt.

Cum itaque nobilis vir felicis recordacionis quondam Wolframus aduocatus de Dornberg in ecclesie nostre seruiciis tempore quo poterat et viuebat semper apparuerit efficax sedulus et fidelis, nos — vt alij ad ipsius ecclesie nostre obsequia forcius animentur — nobiles matronas Elizabeth filiam ipsius quondam aduocati coniugem nobilis Friderici nati spectabilis viri comitis Ludewici de Otingen ac Mariam filiam eorundem coniugum aliosque ipsorum heredes ob deuocionem obsequiorum dicti quondam aduocati nostre ecclesie prestitorum condigne retribucionis stipendiis respicere cupientes, eisdem Elizabeth et Marie castrum et dominium in Dornberg, aduocacias opidi nostri in Onolspach et

prepositure onolspacensis quo ad officia in Rugelande et in Celle et prope Raticenam, exceptis illis feodis que nobilem virum Godfridum de Heidecke proporcionaliter contingunt, que siquidem feoda nobis et ecclesie nostre iamdicte ex morte dicti quondam aduocati vacarant, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis in feodum contulimus et conferimus, ipsasque de eisdem feodis presentibus inuestimus, eorundem feodorum manutentores et conseruatores memoratos nobiles comitem Ludewicum de Ôtingen et Fridericum natum suum dicte Elizabet collateralem constituentes et ordinantes, quibus eadem feoda nomine prefatarum matronarum similiter contulimus et conferimus manutenenda eisdem seu eciam conseruanda.

Specialiter autem eosdem comitem et filium suum nostre ecclesie prefate obsequiis attrahere cupientes, volumus et concedimus, vt si prenominate matrone absque heredibus masculis decesserint extunc comes et filius suus iamdicti si ipsas superuixerint a nobis et ecclesia teneant omnia feoda supradicta, de quibus exnunc prout extunc vtpote fideles et vasallos ecclesie nostre iuramento fidelitatis nobis prestito presentibus inuestimus, juribus libertatibus et inmunitatibus ecclesie onolspacensis et personarum in ea institutarum et in antea instituendarum quibus actenus sunt gauise saluis nichilominus et prorsus remanentibus inconcussis.

In quorum premissorum testimonium hoc instrumentum exinde conscribi fecimus, et nostri sigilli patrocinio roborari.

Datum et actum Herbipoli, in castro montis beate virginis, anno domini M°·CC°· nonagesimo nono, IIII°· kalendas aprilis; presentibus honorabilibus viris Heinrico preposito maiore, Andrea de Gundelwingen preposito onolspacensi, Wolframo preposito ecclesie noui monasterii herbipolensis, et Heinrico de Rannenberg, archidiaconis, nostre ecclesie canonicis; Heinrico decano ecclesie onolspacensis, et Johanne prothonotario nostro, canonicis ecclesie noui monasterii predicti; item nobili viro Kraftone de Hohenloch, . . dicto Taube, Friderico de Meigengen, Sifrido de Phalheim, militibus; et pluribus aliis testibus fidedignis.

Sigillum Manegoldi episcopi filis sericis rubri et viridis colorum ex hoc documento suspensum paene prorsus decidit.

Litterarum a Ludewico et Friderico comitibus de Oetingen die 10 mensis junii datarum infra sub num. CXXIV pag. 220 mentionem faciemus

CXXIII.

1299, die 5. aprilis.

Comites de Oetingen advocatiam villae Vrach ab ecclesia herbipolensi titulo feodali possessam cum Manigoldi episcopi et capituli ecclesiae dictae consensu monasterio halsprunnensi vendunt.

In nomine domini amen.

Nos Lvdewicus et Fridericus dei gracia comites de Oetingen et Elizabet vxor predicti Friderici recognoscimus et constare volumus presencium inspectoribus vniuersis, quod — accedente consensu venerabilis patris ac domini Manigoldi episcopi ecclesie herbipolensis, Heinrici prepositi, Arnoldi decani, et capituli ecclesie predicte — religiosis viris . . abbati et conuentui monasterij in Halsprvnne ordinis cysterciensis aduocaciam ville Vrach, guardiam, custodiam, vicedominatum sev jus aduocaticium quod tenebamus in feodum ab ecclesia herbipolensi predicta vendidimus pro trecentis et sex libris hallensium. Et in hiis scriptis vendimus tradimus et assignamus eisdem religiosis omne ius vtilitatem dominium vtile vel directum ac redditus decem et octo librarum hallensium qui nobis cedebant nomine iuris aduocaticij annis singulis in villa predicta, cum omnibus pertinenciis et iuribus suis et aliis quocumque nomine censeantur, transferentes omnia et singula predicta in eosdem religiosos cum pleno rerum dominio proprietatis titulo perpetuo possidenda. Jpsosque nichilominus in

possessionem inducimus predictorum, ac veros et legittimos constituimus possessores.

Et ut eisdem plenius caueatur, promittimus per sollempnem stipulacionem fidei dacione interposita vice et nomine sacramenti, facere plenam guarandiam que werschaft wlgariter appellatur vbicumque et quandocumque eis fuerit necessarium vel oportunum et fuerimus requisiti. Promittimus eciam de euiccione omnium predictorum, et eos indempnes penitus conseruare.

Renunciamus insuper doli mali et in factum accioni prescriptis verbis, decepcionis vltra dimidiam iusti precij, restitucionis in integrum, litteris impetratis et impetrandis, officio judicis, excepcioni non numerate pecunie, et omni accioni excepcioni sev cuiuis auxilio juris canonici vel ciuilis per que predicta possent viciari in judicio vel extra vel eciam annullari.

Promittimus insuper per sollempnem stipulacionem, predicta omnia obseruare et obseruari facere, nec contrauenire per nos vel aliquos nomine nostro aliquo studio ingenio vel cautela, nos et successores nostros ad omnia predicta et singula obligantes.

Jn quorum omnium et singulorum testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa.

Datum et actum in castro nostro Hohenburch, anno domini millesimo CCo. nonagesimonono, in crastino beati Ambrosij episcopi; presentibus honorabilibus viris fratre Friderico priore in Halsprvnne, H(einrico) de Meckenhvsen monacho ibidem; Heinrico notario nostro; Vlrico Spiez, Heinrico Vogel, Cvnrado Gvntzlin, militibus; et aliis pluribus fidedignis.

Sigilla Ludevici et Friderici comitum de Oetingen fasciis membranaceis ex hac carta suspensa magnam partem perierunt. Illud ELIZABET comitissae quod dicunt alliantiae fere integrum restat.

CXXIV.

1299, die 10. junii.

Ludewicus et Fridericus comites de Ôtingen, quia castrum et dominium in Dorenberch et advocatiam oppidi onolspacensis necnon advocatiam bonorum praepositurae onolspacensis in officiis Celle et Rugelande ac prope Raticenam sitorum cum omnibus juribus et pertinentiis suis a Mangoldo episcopo herbipolensis ecclesiae receperunt in feodum, promittunt et se obligant, eundem dominum episcopum et ecclesiam herbipolensem in conservandis ipsius et ecclesiae juribus et tuendis, quemadmodum ex debito fidelitatis ei prestito juraverunt et ligati sunt, contra quoslibet juvare fideliter et tueri, et specialiter ipsius domini episcopi praedicti et ecclesiae negotia promovere apud inclitum dominum Albertum regem Romanorum omni fide et diligentia qua possunt et debent.

Datum et actum in castro Baldern, anno domini M°·CC°·XCVIIII°., feria quarta in ebdomeda pentecosten.

Ludevici comitis de Oetingen sigillum filis sericis rubri et viridis colorum ex hoc documento suspensum est; illud Friderici comitis filis sericis flavi et violacei colorum.

Has litteras edidit And. Seb. Stumpf in opere cui titulus est „Historisches Archiv für Franken“ I pag. 164.

Manegoldi episcopi cartam huc spectantem, die 29 mensis martii datam, supra sub num. CXXII pag. 216 et 217 edidimus.

CXXV.

1299, die 19. junii.

Manegoldus episcopus — cum Cûnradus dictus Tore civis herbipolensis coadunata manu Elyzabeth uxoris suae abbati et conventui monasterii in Eberach tria jugera vineti sita in pede montis dicti Rabenspurg, et septem jugera sita in monte dicto Scharlach tamquam propria donatione inter vivos pure tradiderit et donarit — credens idem vinetum ab ecclesia herbipolensi in feodum procedere, contradixit donationi eidem; verum quia ex postfacto veraciter didicit, dictum vinetum non a se et ecclesia herbipolensi in feodum procedere, sed fore praefati proprium donatoris, a contradictione praedicta prorsus desistit et cessat, immo si quid juris in eodem vineto ipse vel ecclesia habet vel habere in posterum videretur, in supra dictos abbatem et conventum necnon eorum monasterium transfert pleno jure, praesertim cum non modicus favor juris existat bona etiam ecclesiastica de manu laicorum ad usum ecclesiasticum revocare.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CC°. nonagesimo IX°., in die beatorum martyrum Gervasii et Prothasii, pontificatus anno XII°.

Manegoldi episcopi sigillum fascia membranacea ex hac carta suspensum integrum restat.

CXXVI.

1299, die 10. augusti.

Ad Manegoldi episcopi et capituli ecclesiae herbipolensis preces Johannes burcgravius nûrembergensis se villas Bernheim et Herbolsheim cum omnibus suis pertinentiis, quae — excepto jure patronatus ecclesiarum ibidem — a felicis recordationis quondam Bertholdo episcopo herbipolensi et ejus capitulo clarae memoriae viro nobili Friderico burcgravio nûrembergensi patri et ejus heredibus ratione trecentarum marcarum puri argenti septingentarum librarum hallensium et triginta librarum hallensium pro emtione castri Frankemberg ipsi quondam burcgravio ejusque heredibus ab herbipolensi ecclesia solvendarum in feodum sunt collatae, ipsi vel successori pro tempore aut ipsi capitulo herbipolensi infra hinc et festum purificationis beatae Mariae virginis proximum et deinde infra decem annos immediate se subsequentes pro supradicta pecuniarum summa, videlicet trecentis marcis argenti septingentis libris hallensium et triginta libris hallensium, pro se et Friderico fratre suo minore annis, cujus tutor existit, et etiam heredibus suis ad reemendum daturum per solemnem stipulationem promittit suis patentibus litteris quandocunque facultas affuerit reemendi, dummodo infra illa duo festa videlicet nativitatis domini et cathedrae beati Petri proxime sequentis tempore reemtionis hujusmodi currentia reemtio talis fiat, non obstantibus brevioribus induciis gratia reemtionis ejusdem faciendae prius datis.

Actum in Kiczingen, anno domini M°·CC°· nonagesimo IX°·, in die beati Laurentii martyris; praesentibus Heinrico praeposito majore praefato, Andrea de Gundelvingen praeposito onolspacensi, et Wolframo praeposito ecclesiae novi monasterii, ecclesiae herbipolensis

praelatis; item nobili viro Alberto de Hohenloch, Walthero de Seckendorf dapifero, Burchardo de Vendebach, Arnoldo de Seckendorf, Eberhardo et Cůnrado fratribus de Kullesheim, Andrea dicto Zobel, Erkengero de Sauwensheim, et Erkengero filio ejus, militibus; necnon pluribus aliis testibus fidedignis.

Sigilla Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae fasciis membranaceis suspensa sunt.

Documentum prius huc spectans, die 6 mensis maji anni 1298 datum, supra sub num CVIII pag. 192 et 193 edidimus.

Certam a Johanne burcgravio nůrembergensi itidem die 10 mensis augusti anni 1299 exhibitam huc spectantem Maercker et de Stillfried in monumentis zolleranis vol. II pag. 262 et 263 ediderunt.

CXXVII.

1299, die 9. octobris.

Gesetzliche Bestimmungen über Ladung von wirzburger Sesshaften vor fremde weltliche Gerichte, über Verehelichung der Kinder unter 20 Jahren wie den Eintritt in den geistlichen Stand ohne der Eltern Wissen, und anderes.

Wir Manegolt von gotes gnaden bishof von Wirzeburg tůn kůnt allen den die disen brief lesen sehen oder hören, daz wir dürch offenlich gůt vnde gemeinen nùtz gesezzener lỳte in vnser stat ze Wirzeburg, der einer den andern dicke hat geladen an vremedez gerichte, vnde in bracht zv schaden koste vnde erbeit, da von aůch vnser gerichte wart genidert vnde gecrenket, mit rate vnser prelaten der stifte vnser dinestlůte vnde vnser bůrger haben geseizet disen satz, das der gesezzener lůte zv Wirzeburg — ez si vrowe oder man — nieman sal den anderen laden oder fůgen vnde

schaffen daz er geladen werde an kein vremedez werltlich gerichte; svnder swer vf den andern icht zvspreghen hat, der sal in zvmersten beclagen vor vns oder vnsern richtern. Vnde mohte ime do nicht wider varen ein reht, oder mac er mit dem eide fürbringen vnde wizzenlichen bewisen daz er vor gewalte oder freuel oder vorhte sines widerwarten niht getv̊rre clagen vor vns oder vnsern richteren, oder sine clage volle iagen, der mac denne wol clagen anderswa da er zv̊rehte clagen sal. Swer disen satz brichet, der sal mit wibe vnde mit kinde zv̊hant Wirzeburg rûmen, vnde nimmer me dar inne werden sedelhaft, vnd sal allez sin gût erbe vnd eigen ledeclichen vnde vrilichen vnser vnde des bishtûmes sin.

Vber daz sit svmeliche haben ofte verraten vnde verleitet erberer lv̊te kint zv̊ Wirzeburg ane wizzen ir veter vnde ir mvtere, daz diz nimmer geschehe, so setze wir mit deme vor genanten rate, daz swer ze Wirzeburg — ez si sv̊n oder tohter — der vnder zwenzic iaren ist sich verandert in dio werlt zv̊ der ê ane sines vater vnde mv̊ter, oder ir eines obe daz ander tôt ist, oder ob si beide ensin ir besten geborner frv̊nde drier oder zweier rate, der selbe sal enterbet sin alles des gv̊tes daz in von vater vnde mv̊ter sôlte vf gevallen sin. Vnde swaz in v̊f gevallen ist, daz sal lediclichen sin siner nehesten erben.

Verandert aber er sich in geistlich leben ane den rat also vor gesprochen ist, so stet ez an frier willekv̊r sines vater vnde mv̊ter, oder ir eines obe daz ander tôt ist, ob si ime irs gv̊tes wôllen geben iht oder niht. Daz mv̊gen si tvn oder lazen.

Vnde vber daz der die tochter enphûret, der sal Wirzeburg rûmen vier iar vz zesinen.

Dise setze suln ewiclichen stete vnde gantz beliben vnde behalten werden veste vnd vnzebrochen von vnsern nachkômen, die wir dar zv verbinden vnde verstricken mit disen gegenwertegen briefen.

Vnde zv einer vestenunge vnde gezuknisse aller dirre dinge so habe wir Manegolt der vor genante bischof, vnser capitel,

vnde vnser stat Wirzeburg vnser insigele gehencket an disen gegenwertigen brief.

Der ist geschrieben vnde geben von gotes gebûrte tusent zwei hundert vnde nûn vnde nunzic iar, an sancte Dyonisien tac, in vnsers bischtumes iar dem zwelften.

Sigilla tum Manegoldi episcopi tum civitatis wirziburgensis ex hoc documento fasciis membranaceis suspensa sunt; illius capituli majoris ecclesiae herbipolensis jam ne fascia quidem restat.

CXXVIII.

1299, die 11. novembris.

B(urchardus) scolasticus novi monasterii ac officialis curiae herbipolensis recognoscit, quod in causa quae vertebatur inter magistrum fratrem Helwicum de Randersacker priorem domorum hospitalis sancti Johannis superioris Allemanniae ac commendatorem et fratres domus in villa Buchelt ex una ac militem dictum Cruck ex parte altera talis compositio intercessit, quod dictus miles parebit sententiae diffinitivae latae contra ipsum, quod dabit decimas tam in villa Buchelt tam in marchia quam in castro de animalibus suis in posterum persolvendas quae in dictis locis pascuntur, et pro neglecta decima et pro expensis factis in lite dabit duodecim oves senes unius anni ac duodecim oves minus quam annum habentes, quas oves recipiet ac eliget commendator in Buchelt.

Acta sunt haec anno domini M°·CC°· nonagesimo nono, in die beati Martini episcopi, in domo praedictorum dominorum in Herbipoli fratrum sancti Johannis; praesentibus infrascriptis qui ordinationem hujusmodi perfecerunt, videlicet fratre Friderico de Steinach, fratre C(onrado) de Arnstein, fratre Ber(toldo) commendatore in Buchelt; magistro Gotscalco de Erphordia; magistro Walwano;

H(einrico) Weibelario, Her(manno) Kluphel, Rich. de Bûtert, civibus herbipolensibus; et . . dicto Unrûwe de Arnstein; et aliis quam pluribus fidedignis.

Sigillum officialis curiae herbipolensis quondam ex hac carta fasciis membranaceis suspensum periit.

CXXIX.

1299, die 12. novembris.

Hermanni de Crutheim vicarii perpetui herbipolensis testamentum.

In nomine dominj amen.

Ego Hermannus dictus de Crutheim perpetuus vicarius herbipolensis, licet corpore debilis mente tamen per graciam dei sanus, certus de morte incertus autem de hora mortis, nolens intestatus decedere, testamentum presens in hijs scriptis facio atque condo.

Jn quo fidecommissarios meos siue executores mei testamenti constituo et ordino honorabiles viros, dominum Philippum de Tannenberg canonicum ecclesie herbipolensis, et dominum Heinricum dictum de Crutheim meum conuicarium, ad exequendum et conplendum voluntatem meam vltimam et subscriptam.

Inprimis quidem do et lego ob remedium anime mee altarj sancte Marie virginis in ecclesia herbipolensi ac omnibus capellanis siue sacerdotibus celebrantibus inposterum in eodem quadraginta libras hallensium, quas predictus Heinricus de Crutheim debet dare et soluere post mortem meam pro curia mea quam nunc inhabito, quam ipse apud me pro eadem pecunia empcionis titulo conparauit. Jtem do et lego eidem altarj decem et septem libras denariorum herbipolensium, in quibus Johannes

Albertus et Eberlinus apothecarij herbipolenses omnes insimul et quiuis eorum insolidum sunt michi ex causa mutuj debitores. Jtem volo vt — si me ad huc viuentem pro uictu meo illam pecuniam expendere non oportet — emantur pensiones siue redditus annuales per quos dictus capellanus et suj successores eo melius possint sustentarj et domino nostro ac beate virginj et sancto Kyliano in choro diligencius famulari. Jtem volo et rogo fideconmissarios meos antedictos, vt predictum capellanum in vicarium chorj sanctj Kylianj a dominis meis de summo recipi faciant, et procurent vt ibidem tamquam alter vicarius seruiat in cantando ac etiam in legendo. Jn festis autem nouem lectionum dictus capellanus et suj successores in matutinis ad septimam lectionem, alijs vero priuatis diebus in laudibus debent habere licenciam exeundi et diuinum officium in suo altarj peragendi, quo peracto redire debent ad chorum hora tercia et ibi manere per omnes horas modo debito et consueto. Jtem volo vt dictus vicarius et suj successores semel in septimana missam celebrent pro defunctis. Jtem volo vt ad quadraginta libras hallensium et ad decem et septem libras denariorum herbipolensium supradictas addantur adhuc tres libre denariorum, recipiende de alijs bonis meis, vt octoginta librarum hallensium numerus impleatur. Jtem volo vt capellanus predictus singulis annis in anniuersario meo soluat decem solidos denariorum herbipolensium, inter presentes canonicos et vicarios diuidendos. Jtem volo vt — si dictus capellanus propter paucitatem reddituum noluerit chorum tamquam alter vicarius frequentare, vel si decanus et capitulum nollent ipsum recipere in vicarium vt est dictum, vel si vicaria fieri non poterit de dicta pecunia ex causis legittimis inpedientibus — voluntatem meam vltimam in hac parte tunc dicti fideconmissarij mei disponendi et ordinandi de ipsa pecunia prout saluti anime mee viderint expedire habebunt liberam potestatem.

Jtem do et lego parrochialj ecclesie in Westernhusen et capelle ibidem duas casulas quas habeo in cista mea.

Jtem do et lego domino Philippo predicto mensam meam meliorem, et domino Heinrico duos cifos deargentatos.

Jtem volo vt de alijs bonis et rebus meis dicti fideconmissarij mei faciant et disponant sicut eis super hoc dedi specialiter in mandatis.

Vt autem omnia premissa rata permaneant atque firma, presens testamentum sigillo curie herbipolensis obtinuj conmunirj.

Datum et actum anno dominj M°·CC°· nonagesimo IX, in crarstino beati Martinj episcopi.

Sigillum officialis curiae herbipolensis fascia ex ipsius testamenti membrana confecta suspensum est.

CXXX.

1299, die 21. decembris.

Manegoldus episcopus, quia honorabiles viri Heinricus praepositus, Arnoldus decanus, et capitulum ecclesiae herbipolensis cum instantia supplicarunt, quod — cum officium portariae dictae ecclesiae foret inutile nimium et damnosum — illud tollere et subducere de ipsa ecclesia dignaretur, causa hujusmodi inutilitatis cognita et probata, idem portarie officium de ipsa ecclesia tollit omnino et perpetuo removet, ita quod fructus ejusdem officii in utiliores usus ipsius ecclesiae convertantur.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°· nonagesimo IX°·, in die beati Thomae apostoli, pontificatus anno XII°·

Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CXXXI.

1300, die 10. januarii.

Frater Walchûnus abbas et conventus monasterii in Schontal cisterciensis ordinis herbipolensis dioecesis notum esse vult, se honorandis dominis canonicis majoris ecclesiae herbipolensis de duabus curiis suis quae dicuntur zu der Eich und zu dem Eichhorn maldrum tritici quod de sola dabatur curia quae dicitur zu der Eich infra festum beati Jacobi et epiphaniam domini dare teneri singulis annis nomine censuali, tali tamen conditionis articulo interjecto, quod — si praedictum maldrum tritici per tres annos immediate subsequentes dari neglectum sit termino praenotato — praedicte duae curiae ad antedictos dominos et eorum ecclesiam omni calumnia propulsata libere devolventur.

Testes: magister Burchardus officialis curiae herbipolensis, frater Milo quondam abbas in Murrehart, frater Heinricus de Hartheim, Heinricus scriptor capituli herbipolensis, Cûnradus de Hvnvelt civis herbipolensis, et alii quam plures fide digni.

Datum anno domini M°·CCC°·, in die Pauli primi heremitae.

Sigillum abbatis praedicti fascia membranacea suspensum est.

CXXXII.

1300, die 1. februarii.

Ecclesia herbipolensis ecclesiam parrochialem in Hopferstat praepositurae novi monasterii wirziburgensis incorporat.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis ad vniuersorum et singulorum noticiam cupimus peruenire tam presencium

quam eciam futurorum, quod ex parte honorabilium virorum Wolframi de Grumbach prepositi, Gotfridi Vbelacker decani, et capituli ecclesie noui monasterij herbipolensis nobis est propositum et ostensum, quod redditus prepositure dicte ecclesie sunt adeo tenues et exiles quod dictus prepositus eorum nequit eisdem fructus prebendarum suarum vt teneretur ex integro ministrare. Vnde nobis supplicarunt humiliter et deuote, vt parrochialem ecclesiam in Hopferstat iam vacantem, cuius juspatronatus ad ipsam preposituram spectare dinoscitur, intuitu supplementi dictarum prebendarum a preposito pro tempore deinceps integraliter faciendi prepositure predicte donare et incorporare paterna sollicitudine dignaremur.

Nos itaque cultum diuini nominis plantare et ea que ad eiusdem cultus decorem spectant promouere modis omnibus cupientes, vt penuria sev defectibus eorum amputatis conmodius et liberius intendere valeant obsequiis diuinorum, supplicacionibus suis de quibus predicitur fauorabiliter admissis, prepositure ecclesie eorum noui monasterij prefate supradictam parrochialem ecclesiam in Hopferstat cum pleno proprietatis et possessionis iure de consensu nostri capituli donamus incorporamus et tradimus per presentes, in eam dictam ecclesiam cum pleno rerum dominio transferentes. Et quod prepositus eorum pro tempore fructus et prouentus predicte ecclesie parrochialis in subsidium prebendarum suarum conuertere possit, predicti capituli consensu accedente, plenam sibi concedimus facultatem, ita tamen quod cura animarum in eadem ecclesia minime negligatur, quodque prefata parrochialis ecclesia perpetuum habeat vicarium, cui tantum de ipsius prouentibus relinquatur quod episcopo et archidyacono loci qui pro tempore fuerint de suis valeat iuribus respondere.

Vt autem hec nostra donacio cum capituli nostri consensu facta omnibus patefiat, et robur obtineat firmitatis, nec vlla super ea in posterum questio vel dubietatis scrupulus oriatur, presentem paginam conscribi iussimus, et sigillorum nostri et capitulorum tam nostri quam dicte ecclesie noui monasterij appensionibus fecimus

communiri. Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, et capitulum ecclesie prefate donacionem et concessionem parrochialis ecclesie superius expresse ratam et gratam habentes, eisdem expresse et ex certa scientia nostra consentimus, et in euidens testimonium premissorum presenti pagine sigilla nostra duximus appendenda. Nos eciam Gotfridus decanus, et capitulum ecclesie noui monasterii sepedicte premissa omnia de nostro consensu expresso et ad rogatum nostrum recognoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem euidenciam hiis litteris appendentes.

Datum et actum anno domini millesimo trecentesimo, in vigilia purificacionis beate virginis, pontificatus nostri anno XII°.

In documento ipso non nisi „*pontificatus nostri anno*“ scriptum est.

Sigilla tria praedicta filis linteis viridis rubri et flavi colorum suspensa sunt.

CXXXIII.

1300, die 12. februarii.

Prior et fratres hospitalis domus sancti Johannis hierosolymitani per Alemanniam ad hoc se obligant et astringunt, quod rector ab ipsis ad ecclesias in Wunnestein et Illesvelt et capellas sibi annexas, quarum juspatronatus ad ipsos pertinet, herbipolensis dioecesis, episcopo herbipolensi praesentandus, de juribus episcopalibus et archidiaconalibus necnon contributionibus consuetis pro tempore imponendis respondere et satisfacere debebit sine contradictionis obstaculo quolibet expedite, ac ipsi episcopo et archidiacono loci pro tempore in omnibus consuetis et licitis sicut aliarum ecclesiarum rectores obediet et intendet, nec ipsis ecclesiis renunciabit episcopo inconsulto,

nisi aut per se aut per litteras patentes renunciationem hujusmodi faciat canonice ut tenetur, ut extunc alter idoneus ab ipsis praesentandus ab episcopo pro tempore investiatur de ecclesiis supradictis.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°·, pridie idus februarii.

Sigillum prioris praedicti fascia membranacea suspensum est.

CXXXIV.

1300, die 25. martii.

Manegoldus episcopus monasterio halsprunnensi ut decimas ab ecclesia parrochiali in Erelbach alienatas revindicet concedit.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis omnibus presentes litteras inspecturis salutem in domino.

Cvm bone memorie venerabilis predecessor noster Bertholdus episcopus herbipolensis donauerit ac tradiderit, accedente consensu capituli nostre ecclesie, parrochialem ecclesiam in Erelbach nostre dyocesis cum omnibus obuencionibus decimis proventibus et iuribus quibuscunque, nullo excepto, religiosis ac dilectis in Christo viris abbati et conuentui monasterij in Halsprvnne ordinis cysterciensis eystetensis dyocesis ad conmunem eorum mensam ob cultum diuini nominis liberius exequendum, et ijdem religiosi decimas distractas occupatas et alienatas a predicta ecclesia Erelbach intendant repetere et reuocare a quouis illicito detentore, a nobis humiliter postularunt, quatenus eorum intencioni nostrum preberemus assensum, et iura predicte parrochialis ecclesie eis acquisita ut premittitur tueri fauorabiliter dignaremur.

Nos igitur predictorum religiosorum, quos gracioso prosequimur ac fouemus affectu, desiderijs annuentes, volumus et permittimus ut predicti religiosi decimas ad parrochialem ecclesiam Erelbach de iure conmuni pertinentes in eorum et predicte ecclesie preiudicium distractas occupatas sev alienatas possint libere vendicare et sibi modis licitis applicare.

Cónfitemur etiam in hijs scriptis, quod predictos religiosos agentes ex nunc uel in futurum super decimis que diuini iuris existunt sev alijs iuribus quibuscunque iam dicte parrochialis ecclesie Erelbach, que ad eos pleno iure noscitur pertinere, in iudicio vel extra nolumus impedire vel inquietare per nos vel per alium nomine nostro aut ecclesie nostre nomine. Nec etiam mouebimus predictis religiosis litem causam sev questionem super decimis et iuribus ecclesie predicte, nec aliquem vel aliquos defendemus contra ipsos in iudicio litigantes. Set iura ipsis conpetentia super decimis sev alijs iuribus quibuscunque, nullo excepto, salua eis volumus permanere, cum decime divino cultui sint a domino deputate, et ab ipso deo in signum vniuersalis dominij preseruate in cibum egencium in domo domini animarum.

Datum et actum in castro nostro montis sancte Marie, anno domini M°·CCC°·, VIII°· kalendas aprilis; presentibus Johanne nostro prothonotario, Heinrico de Katzenstein, canonicis nouimonasterij; fratre Heylmanno et fratre Elegasto monachis de Halsprvnne.

In testimonium predictorum, et vt predicta firma et inconuulsa perpetuo permaneant, nostrum sigillum presentibus est appensum.

Manegoldi episcopi sigillum fascia membranacea ex his litteris suspensum est.

Donationis Bertholdi episcopi die 2 mensis martii anni 1278 factae, cujus mentio fit, documentum in mon. boic. coll. nov. vol. X pag. 486 et 487 editum est.

CXXXV.

1300, die 25. aprilis.

Mechthildis ejusque filii Applo et Wolframus dicti Hûrning villas Golberg et Stralsbach ab ecclesia wirziburgensi titulo feodali possessas coenobio in Vrowenrode vendunt.

Jn nomine domini amen.

Quoniam multis occurritur periculis vtiliter et prudenter quociens presentis etatis actus et negocia scripture et testium aminiculo roborantur, ea propter nos Mechthildis relicta quondam . . dicti Hûrning militis, Applo, Wolframus, heredes seu liberj coniugum eorundem, recongnoscimus tenore presencium publice protestantes, quod inspecta vtilitate nostra coadunatis animis ac spontanea voluntate religiosis dominabus . . abbatisse et conuentuj monasterij in Vrowenrode villas nostras Golberg et Stralsbach dictas cum omnibus suis attinencijs, videlicet aduocacijs pratis pasculs siluis campis, et vniuersaliter omnibus appendicijs et iuribus scilicet quesitis et non quesitis que ad nos dinoscuntur pertinere ibidem, et specialiter decima in Golberg, titulo merj proprij pro ducentis libris hallensium vendidimus ac etiam vendimus per presentes, renunciantes omnj iurj quod nobis competebat seu conpetere posset in dictis bonis, necnon omnj excepcionj simulacionj fictionj per que possemus venire contra predictam nostram vendicionem aliqualiter, et vniuersaliter omnj excepcionj et auxilio tam iuris canonicj quam ciuilis, transmittentes easdem dominas seu monasterium in ipsarum villarum possessionem licitam et iuris et factj presentibus corporalem, adiectis tamen condicionibus pluribus subnotatis: quod easdem villas — quarum vna scilicet Golberg a domino nostro . . episcopo et ecclesia sua herbipolensi, reliqua vero scilicet Stralsbach a nobilibus viris et dominis nostris videlicet Hermanno marchione brandinburgensi, Henrico, Bertoldo, Hermanno comitibus hennenbergensibus dependent titulo feodali — ab eisdem dominis omnibus et ab ecclesia herbipolensi appropriarj eidem monasterio infra hinc et festum sanctj Johannis baptiste proximum procurabimus cum nostris laboribus et expensis. Verumsi infra idem tempus eandem appropriacionem ad actum et ad finem debitum perducere non possemus, ex-

tunc eedem domine de prenominata pecunia — de qua nobis contulerunt inpresenti quinquaginta libras hallensium — centum et quinquaginta libras hallensium retinebunt apud se donec dicta appropriacio apud omnes predctos dominos feodj effectuj fuerit mancipata. Et nichilominus infrascriptj nostri fideiussores, scilicet Conradus et Henricus dictj Hûrning, . . dictus Buchener senior, Helewicus de Elspe, Rapoto de Kebenhusin, Siffridus de Lapide junior, Hermannus Virnkorn, Hermannus de Pherdesdorf, quos super warandia debita ac appropriacione infra prescriptum tempus facienda posuimus, in opido Munrichstat se recipient, de inde nisi post totam consumacionem appropriacionis nullomodo exiturj. Jtem si dicta villa Stralsbach a domino nostro episcopo predicto primo et principaliter dependet in feodo, extunc vna cum dominis nostris hennenbergensibus principalibus vasallis, a quibus nos vltra eam tenemus in feodo ut predicitur, apud ipsum dominum episcopum appropriarj dicto monasterio obtinebimus infra predictum tempus et modo predicto, obstaculo quolibet procul moto. Et si (quod absit) huiusmodj appropriacio ante terminum supra expressum non obtinebitur, dictj fideiussores nostrj in loco eis supra deputato in obstagijs se recipient, cum per prouisorem prefati monasterij usque ad consumacionem tocius appropriacionis fuerint requisitj. Jtem conpletis omnibus appropriacionibus omnem impugnacionem seu impeticionem emergentem a quocumque impetitore contra predicta bona amputabimus, et eciam warandiam sicut solet fierj in bonorum propriorum vendicione debitam faciemus. Jn qua si negligentes fuerimus, quod absit, extunc spedictj nostrj fideiussores in sepedicto loco in obstagio se recipient, deinde non exiturj donec predicta impeticio per nos fuerit totaliter amputata. Nos autem fideiussores omnes predictj ad omnium premissorum obseruanciam que nos tangunt in predictis articulis sub fideidacione nos astringimus per presentes.

Vt autem prefata vendicio perpetuis temporibus inuiolabilis perseueret, nos venditores predictj dedimus hanc litteram, sigillo vniuersitatis ciuium in Munrichstat ad preces nostras fideliter conmunitam.

Testes vero sunt: Cânradus plebanus in Kizzege, Albertus dictus Knârlin miles, Otto de Sleten, Conradus et Applo de Obirsfelt, Hartungus et Heinricus de Elspe, Conradus Gozzo et Bertoldus dictj de Swinwrthe, Applo dictus Stezzink, Gozzo de Byschovesheim, Henricus dictus Ebir, et quam plures alij fide dignj.

Nos vero Helewicus Prelo, Conradus de Swinwrthe, scultetj in Munrichstat, ad rogatum predictorum venditorum et de consensu nostrorum conciuium sigillum vniuersitatis nostre presentibus apponendum duximus in euidens testimonium omnium premissorum.

Datum et actum in Munrichstat, anno domini M°·C°·C°·C°, VII°· kalendas maij.

SIGILLVM : CIVIVM : DE : MVNRICHESSTAT fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum integrum est.

Bechstein in opere cui titulus est „Geschichte und Gedichte des Minnesängers Otto von Botenlauben Grafen von Henneberg“ pagg. 200 et 201 erronee hoc documentum diei 1 mensis maji tribuit.

CXXXVI.

1300, die 30. aprilis.

Manegoldus episcopus — quod Rabenoldus de Onolspach ad ipsius veniens praesentiam publice recognovit, se Alberto de Nûremberg quondam Friderici advocati de Onolspach nato consanguineo suo bona illa in villa Hennenbach iuxta Onolspach quaesita et non quaesita, quae ab ecclesia herbipolensi ipsi ambo in feodum communia tenuerant, pro parte sua rite et rationabiliter vendidisse, et eandem partem bonorum illorum ad manus ipsius libere resignans petiit instanter, ut eorundem bonorum partem sic resignatam ab eo recipere et praefato Alberto emtori et Ulrico fratri suo conferre in feodum dignaretur — ejus precibus favorabiliter annuens, praefatorum bonorum partem a dicto Rabenoldo resignatam recipiens, Alberto et Ulrico fratribus eandem cum omnibus pertinentiis suis quaesitis et non quaesitis in feodum confert, ipsum Albertum nomine dicti Ulrici fratris absentis investiens pro parte sua cum contingente de feodo jam praetacto.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°·, pridie kalendas maji, pontificatus anno XII°.

Sigillum Manegoldi episcopi fascia ex ipsius documenti membrana confecta suspensum est.

CXXXVII.

1300, die 7 maji.

Ecclesia herbipolensis collegio s. Jacobi in Abenberg ecclesiam parrochialem in Wiler concedit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis dilectis in Christo . . preposito . . decano totique capitulo ecclesie sancti Jacobi collegij de nouo plantati in Abenberg eystetensis dyocesis salutem et sinceram in domino karitatem.

Cum plantare cultum diuini nominis et plantatum fouere necnon promouere ea que ad eiusdem cultus decorem spectant ex officij nostri debito teneamur, nos prouide considerantes quod — nisi vestra noua planta piguioribus beneficiis rigetur — ariditatis quod absit macritudine suffocatur, vt eadem planta vestra fructum debitum producere valeat et proferre in diuinis officiis per vos liberius exercendis, ex affectu sincero subsidium vobis humiliter postulantibus decreuimus impendendum, parrochialemque ecclesiam in Wiler nostre dyocesis cum omnibus pertinenciis suis, cuius juspatronatus ex donacione pie memorie domini Reinbotonis quondam episcopi eystetensis antea vobis facta ad vos dinoscitur pertinere, prout in jnstrumentis exinde confectis lucidius continetur, vobis et dicte ecclesie vestre pleno iure proprietatis et possessionis donamus et concedimus, nostri capituli consensu expressius accedente, in vos eandem ecclesiam cum pleno rerum dominio transferentes. Et quod fructus ac prouentus dicte ecclesie in subsidium prebendarum vestrarum conuertere possitis, plenam vobis presentibus concedimus facultatem, jta tamen quod cura animarum in eadem ecclesia minime negligatur, quodque ipsa ecclesia perpetuum habeat vicarium, cui tantum de ipsius prouentibus relinquatur quod episcopo et archidyacono loci

qui pro tempore fuerint de suis iuribus valeat respondere. Specialiter autem in dicta ecclesia vestra festum preciosorum martyrum Kyliani et sociorum eius, patronorum ecclesie nostre, quos reuerentia et honore extollere nos conuenit, cum propria hystoria et officio peragi volumus sollempniter annuatim.

Vt autem hec nostra donacio de consensu nostri predicti capituli facta omnibus patefiat, et robur optineat firmitatis, nec vlla super eo in posterum questio vel dubietatis scrupulus oriatur, presentem paginam exinde conscribi iussimus, et sigillorum nostri et predicti capituli, ac Andree de Gundeluingen, dicti loci Wiler archidiaconi, appensionibus fecimus conmuniri. Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, et capitulum herbipolense predicti premissam donacionem de nostro expresso consensu recognoscimus esse factam, sigillum nostrum in eorundem euidenciam hiis litteris appendentes.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CCC°·, nonis maij.

Sigilla trina ex utroque hujus concessionis documento filis sericis partim rubri et flavi partim rubri et viridis colorum quondam suspensa magnam partem deciderunt.

CXXXVIII.

1300, die 7. maji.

Manegoldus episcopus — considerans quod Heinricus praepositus, Arnoldus decanus, et capitulum ecclesiae herbipolensis quam plurimis beneficiis et gratiis ipsum multoties honorarunt, attendensque non modicum favorem juris existere bona ecclesiastica de laicorum manibus ad usum ecclesiasticum revocare — advocatiam villae in Wielansheim .. dictis Zolnere

fratribus jam pignori obligatam, mensae episcopali specialiter attinentem, occasione cujus advocatiae memorati praepositus decanus et capitulum in hominibus et bonis ad praebendas eorum pertinentes sunt saepius perturbati pariter et offensi, ut hujusmodi in posterum de medio tollantur offensae, in meram proprietatem donatione inter vivos eisdem tradit et donat, a se et successoribus suis omne jus quod in illa habuit abdicans, ac in ipsos illud cum pleno rerum dominio transferens.

Cujus donationis testes sunt: Johannes et Heinricus notarii, canonici ecclesiae novi monasterii herbipolensis; Heinricus de Erlach et Andreas dictus Zobel milites; et plures alii fidedigni.

Datum et actum Herbipoli, anno domini MCCC, nonis maji, pontificatus anno XIII.

Manegoldi episcopi sigillum filis linteis rubri flavi et viridis colorum suspensum est.

CXXXIX.

1300, die 1. augusti.

Manegoldus episcopus — cum in capella sita in palatio civitatis suae herbipolensis pro augmentando cultu divino fecerit et ordinaverit vicariam, ipsique capellae seu vicariae parrochialem ecclesiam in Gruzzen duxerit uniendam — attendens sacerdoti eandem ecclesiam in Gruzzen officianti ac in ipsa residentiam facienti constitutam et assignatam de bonis et proventibus ejusdem ecclesiae competentem fore praebendam, de qua annuatim sustentationem honestam habere hospitalitatem servare ac episcopalia ac alia consueta et debita jura persolvere poterit ut tenetur, vicario supradictae capellae, ut ejus officiationi et etiam chori servitio cui ligatus est

studiosius et ferventius intendere valeat, concedit et deputat pensiones usumfructum redditus seu obventiones quocumque nomine censeantur de universis et singulis rebus aut bonis immobilibus quae deinceps dictae parrochiali ecclesiae inter vivos vel causa mortis donata seu in ultima voluntate legata aut alias qualitercumque et ex quacumque causa collata fuerint a parrochialibus ejusdem ecclesiae sive aliis Christi fidelibus quibuscumque, et specialiter decimas novalium si quae de novo insurgent in antea in parrochia supradicta, hoc addito quod vineas in Gauwenheim, quas similiter ad dictam vicariam donavit, rustici qui easdem tenent et colunt non jure hereditario sed ad beneplacitum vicarii tenere debent prout utilitati suae viderit expedire.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°·, kalendis augusti, pontificatus anno XIII°·

Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

Documentum huc spectans, die 7 mensis januarii anni 1298 datum, supra sub num. CII pag. 179—182 edidimus.

CXL.

1300, die 22. septembris.

Hiltebrandus de Sauwensheim ejusque uxor Hedewigis decimas suas singulas in Ippensheim et Bûlnheim villis sitas a feodi titulo pro curia et allodio suo in villa Mertensheim in feodum resignato a Manegoldo episcopo absolutas ecclesiae parrochiali villae Gnetsheim capitulum ecclesiae herbipolensis oblationis nomine in Sauwensheim spectanti donant.

In nomine domini amen.

Nos Heinricus de Wechmar prepositus, Arnoldus de Spiezesheim decanus, totumque capitulum ecclesie herbipo-

lensis tenore presencium constare cupimus vniuersis presentibus et futuris, quod Hiltebrandus de Sauwensheim miles et Hedewigis eius vxor legitima, in nostra presencia constituti, manibus eorum coadunatis pari voto et vnanimi voluntate ob honorem et amorem domini nostri Jesu Christi ac sue genitricis Marie virginis gloriose pro suarum animarum remedio sempiterno donauerunt contulerunt tradiderunt ac per presentes donant conferunt atque tradunt singulas eorum decimas maiores et minutas in vino annona et ceteris quibuscumque suis attinenciis quesitis et inquirendis in villis Jppensheim et Bůlnheim et marchiis earundem, pro quarum siquidem decimarum quondam in feodo a venerabili patre domino nostro Manegoldo episcopo herbipolensi procedencium liberacione seu absolucione ab onere tytuli feodalis vt in posterum forent mere proprietarie resignauerunt curiam et allodium suum proprium in villa Mertensheim (quam ad presens Cunradus de Ehenheim et Rapotho frater eius inhabitant) ad manus predicti domini episcopi, ipsamque ab eodem et suis successoribus in feodum receperunt, altari beate Marie virginis in ecclesia parrochiali ville Gnetsheim ipsique parrochie que ad capitulum nostrum oblacionis nomine in Sauwensheim spectare dinoscitur, a plebano eiusdem loci iure proprij perpetim possidendas percipiendas pariter et habendas, ita quod iam dicti loci plebanus qui pro tempore fuerit ordinet et procuret in supradicto altari cottidie primam missam in ortu diei vel prius hora congrua et hominibus opportuna, aut per se aut per alium sacerdotem ydoneum perpetuo celebrari.

Alioquin quocienscumque huiusmodi misse celebracio per quatuor ebdomadarum continuarum spacium ex supradicti plebani negligencia retardata fuerit aut obmissa, extunc idem plebanus qui pro tempore fuerit pro pena negligencie ipso facto supradicta parrochia et omni iure quod ei competit in eadem per omnia sit priuatus, eandemque parrochiam confratres capituli nostri qui pro tempore patroni ipsius fuerint libero iure conferant aut eidem plebano antea priuato aut cuicumque alteri persone ydonee, quod eorum opcioni relinquitur, prout eis melius videbitur expedire, ita quod ille cui

dicta parrochia fuerit collata sub eiusdem amissione beneficij secundum formam premissam se obliget ad hoc idem.

Nos itaque prepositus decanus et capitulum antedicti. ac insuper specialiter nos Wernherus de Tannemberg cantor et archidiaconus, et Hermannus de Bastheim, confratres eiusdem capituli, ad quos ad presens ius patronatus seu collacionis supradicte parrochie in Gnetsheim spectare dinoscitur, predictam collacionem et donacionem secundum formam que premittitur tamquam munera deo gloriosa et hominibus fructuosa ratam et gratam habentes, de bona voluntate nostra ratificamus confirmamus et presentibus approbamus, nos et nostros successores ad premissorum singulorum obseruanciam obligantes.

Jn quorum omnium ac singulorum testimonium euidens atque certum sigillum capituli nostri, quo omnes contenti sumus, presentibus duximus appendendum.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°·, in crastino Mathei apostoli.

Capituli majoris ecclesiae herbipolensis sigillum filis sericis viridis coloris ex his litteris suspensum est.

CXLI.

1300, die 21. octobris.

Manegoldus episcopus capitulo ecclesiae herbipolensis pro cautione fidejussoria de castri et dominii Zabelstein emti pretio praestita et appellatione apud sedem apostolicam prosequenda collectas quasdam clero civitatis et dioecesis herbipolensium imponendi facultatem concedit.

M(anegoldus) dei gracia episcopus herbipolensis honorabilibus viris H(einrico) preposito, Ar(noldo) decano, et capitulo ecclesie nostre salutem cum affectu sincero.

Cum pro precio dominij et castri in Zabelstein a nobis emptorum fideiussoriam pro nobis et ecclesia nostra feceritis caucionem, ac appellacionem a fratribus minoribus a nobis contra nos et totum clerum nobis subiectum interpositam vna nobiscum prosequi apud sedem apostolicam fideliter intendatis, nos — vt indempnitati vestre plenius caueamus — ad dictum precium persoluendum et ad ipsam appellacionem prosequendam vobis vt prelatis capitulis conuentibus aliisque clericis nostre ciuitatis et dyocesis vniuersis secundum cuiuslibet facultatem quo ad presentem annum quadringentas libras hallensium et deinde ad annum futurum proxime subsequens trecentas libras hallensium collectas imponere ac contradictores et rebelles ad solucionem huiusmodi per censuram ecclesiasticam conpellere possitis auctoritatem concedimus presencium testimonio litterarum, nostri et dicti capituli sigillorum robore signatarum, successorem nostrum de ipsius capituli consensu ad predictorum obseruanciam presentibus obligantes.

Datum Herbipoli, anno dominj M°·CCC°., XII°. kalendas novembris, pontificatus nostri anno XIII°.

Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis sigilla fasciis ex ipsarum litterarum membrana confectis suspensa sunt.

CXLII.

1300, die 9. novembris.

Manegoldus episcopus feoda quae Gebehardus de Hohenloch ab ecclesia herbipolensi tenuerat Adelheidi ejus viduae necnon Ulrico ejus filio confert.

Nos Adelheidis relicta quondam nobilis viri domini Gebehardi de Hohenloch dicti de Brunecke, et Vlricus filius

eiusdem jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod ipso domino Gebehardo pie recordacionis viam vniuerse carnis proh dolor ingresso nos, venientes ad presenciam reuerendi in Christo patris et domini nostri domini Manegoldi episcopi herbipolensis, sibi cum instancia suplicauimus, quod — cum ipse dominus Gebehardus felicis memorie subscripta feoda ab ipso et ecclesia sua iamdicta tenuisset — memor seruiciorum suorum sibi et eidem ecclesie sepius prestitorum, nobis et heredibus nostris masculis in posterum habituris illa conferre cum inuestitura consueta et debita dignaretur.

Jpse itaque pius pater et dominus noster episcopus, ipsius quondam domini Gebehardi seruicia in nobis grata vicissitudine respicere desiderans et affectans, ipsa feoda subscripta, fidelitatis sibi et dicte ecclesie antea iuramento prestito, nobis ambobus simul et in solidum, ita quod vno ex nobis de medio sublato alter superstes ipsa feoda omnia ab ipso domino nostro et ecclesia sua predicta solus tenere debeat et habere, necnon heredibus nostris masculis, siquos in posterum habuerimus, cum omnibus suis juribus contulit, et nos de eisdem feodis rite et racionabiliter inuestiuit.

Nomina vero eorundem feodorum sunt hec: videlicet nouum castrum in monte Kitzperg situm iuxta Mergentheim, jtem tertia pars castri in Jagesperg, jtem decime villarum Wachebach et Stůtpach, jtem media pars decime ville in Vrenhouen, jtem decima curie Vrenhouen, jtem decima super quatuor mansos in Holzhusen empta apud Sagittarios, jtem aduocatie villarum videlicet Markolsheim, Jegersheim, trium villarum dictarum Apfelbach, Harthusen, Rotelse, Nuseizze, Igelstrůt, Acendorf, Selhech, Isenhartsrode, Michelbach, Rechenhusen, Regelshagen, Zagelbach, et Eldringen cum jurepatronatus ecclesie in Eldringen, jtem in Mergentheim in Jagesperg et in Markolsheim judicia, jtem vniuersa bona decime judicia et jura que predictus dominus quondam Gebehardus habuit in villis videlicet Gerhiltebrvnnen, Sigelinklingen, Habach, Kůnewilere, Blavelden, Einhartsbuhele, Bůchenstegen, et in Elpershouen.

Sane siqua de dictis bonis proprietaria fuerunt, illa propter zelum affectionis quem ad ipsam ecclesiam herbipolensem gerimus volentes pocius ab illa nomine feodi quam proprietatis iure tenere, in manibus prelibati domini nostri episcopi renunciauimus et renunciamus in hiis scriptis simpliciter et precise, recipientes eadem in feodum ab ipso domino nostro episcopo et ecclesia sua iure feodi perpetim possidenda.

Jn quorum omnium et singulorum testimonium prefatorum hoc scriptum ipsi domino nostro episcopo et ecclesie sue dedimus, nostris sigillis fideliter roboratum.

Datum et actum Herbipoli in monte beate virginis, anno domini M°·CCC°·, V^to^· jdus nouembris; presentibus honorabilibus viris Andrea de Gundeluingen preposito ecclesie onolspacensis, domino Wolframo preposito ecclesie noui monasterii herbipolensis, Johanne prothonotario sepedicti domini nostri episcopi canonico eiusdem ecclesie noui monasterii; jtem fratre Cûnrado nato burcgrauii nûrembergensis, fratre Heinrico de Sluzzelberg de domo Theutonicorum herbipolensi; jtem Heinrico de Markolsheim, Ludewico de Kregelingen, Cûnrado de Walmarshusen, Johanne de Blaach, militibus nostris; et pluribus aliis fidedignis testibus ad hoc vocatis pariter et rogatis.

Tam SIGILLVM † ALHEIDIS † DE † BRVNEK quam illud VLRIci dE HOHENLOCH filis sericis rubri et viridis colorum ex hoc documento suspensa fere omnino integra sunt.

CXLIII.

1300, die 5. decembris.

Eberhardus nobilis de Schowenberg — cum praepositus decanus totumque capitulum ecclesiae herbipolensis ipsum

ac heredes cum personis ac bonis in suae protectionis ac defensionis ab omnibus injuriarum insultibus necnon consilii ac adjutorii contra quoslibet aemulos seu molestatores in juris ipsius prosecutione susceperint praesidium speciale — vice versa pro se ac suis heredibus universis bona fide supradictis praeposito decano totique capitulo suum fidele consilium auxilium ac obsequium cum suis ac hominum suorum personis castris ac munitionibus quibuscunque in quantum facultas virium suarum seu potentiae se extendit contra singulos ac universos cujuscunque conditionis homines ad ipsorum jura repetendum et illatas seu inferendas offensas vel injurias concernendum in perpetuum quandocunque necessitas postulaverit aut ipsi requirendum duxerint impertiri promittit.

Datum anno domini M°·CCC°, in vigilia sancti Nicolai.

Sigillum EBERHARDI · DE · SHOWENBERC fascia membranacea ex hoc documento suspensum integrum est.

CXLIV.

1300, die 30. decembris.

Ecclesia herbipolensis monasterio halsprunnensi ecclesiam parrochialem in Haselach donat.

Jn nomine dominj amen.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis viris religiosis in Christo dilectis . . abbati et conuentuj monasterii in Halsprunnen ordinis cysterciensis dyocesis eystetensis salutem et sinceram in domino karitatem.

Religiosam vitam gerentibus congrua nos conuenit consideracione prospicere, ne cuiusdam necessitatis occasio aut desides faciat aut robur quod absit sacre conuersacionis infringat.

Eapropter non inprouide considerantes dicti vestri monasterii personas ab antiquo diuinorum obsequiis et laudibus diebus et noctibus feruencius et deuotius pre ceteris institisse, ac peregrinos et aduenas cuiusuis condicionis seu status vestrum monasterium transeuntes vndecumque indesinenter absque vllo personarum delectu multiplicibus karitatis beneficiis recreasse, vobisque a nobis et capitulo nostro sincere postulantibus vt subsidium ad premissa inantea continuanda inmo amplianda intuitu diuine remuneracionis pro anime nostre remedio facere dignaremur, quod pio affectu duximus concedendum, et vt conmodius diuino cultuj in hiis que ad decorem eius spectant, et in exhibicionibus operum karitatis de quibus predicitur, que ex integri pectoris puteo desideramus augeri, prout officij nostri debitum requirit, conmodius inposterum et liberius intendere valeatis, vobis et monasterio vestro parrochialem ecclesiam in Haselach nostre dyocesis, cuius juspatronatus ad nos vsque nunc intuitu ecclesie nostre spectare dinoscebatur, cum decimis dote obuencionibus in quibuscumque consistentibus et omnibus iuribus libertatibus et pertinenciis suis de expresso consensu capituli nostri predicti pleno iure proprietatis ac possessionis donacione inter viuos concedimus presentibus et donamus, in vos et monasterium vestrum predictum eandem ecclesiam cum omnibus iuribus libertatibus et pertinenciis suis cum pleno rerum dominio transferentes. Et quod fructus seu prouentus eiusdem ecclesie quocumque modo vacauerit ad mensam vestri conuentus predicti et non ad vsus alios conuertatis, prioris prebende in conuentu fructibus non minutis, vobis de ipsius capituli nostri consensu plenam concedimus facultatem, jta tamen quod animarum cura minime negligatur, quodque ipsa ecclesia perpetuum habeat vicarium secularem, cui tantum de ipsius ecclesie prouentibus relinquatur quod episcopo et archidyacono loci de suis iuribus et de conmunibus incumbentibus pro tempore oneribus valeat respondere.

Et licet donatarij donatori sint ad antidota naturaliter obligati, hoc tamen specialiter volentes petimus, et vos predictos . . abbatem et conuentum ad hoc ex karitate fore volumus obligatos, vobis in

vestras consciencias committentes, vt annis singulis post mortem nostram anniuersarium nostrum tam sacerdotes quam fratres alij gradus inferioris monachi et conuersi cum vigiliis et missa animarum aliisque consuetis oracionibus peragatis sollempniter secundum vestri ordinis instituta, quodque eadem die anniuersarij nostri singulis annis pane albo vino meliori et piscibus fratribus de conuentu fiat pytancia seu consolacio specialis.

Vt autem hec nostra donacio sub modis premissis de prefati capituli nostri consensu facta omnibus patefiat, et robur optineat perpetue firmitatis, nec vlla super eo questio inposterum vel dubietatis scrupulus oriatur, omnibus nostris iuribus renunciamus, et presentem paginam conscribi iussimus, et sigillorum nostri et ipsius capituli appensionibus fecimus communiri.

Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, et capitulum supradicti, donacionem et concessionem predicte parrochialis ecclesie ratam et gratam habentes, eisdem expresse et ex certa sciencia consentimus. Et in euidens testimonium omnium premissorum presenti pagine sigillum nostrum duximus apponendum.

Datum et actum anno domini M°·CCC°·, in ecclesia nostra herbipolensi, in crastino sancti Thome martyris atque pontificis; presentibus honorabilibus viris Andrea de Gundeluingen, Wernhero de Tannenberg, Wolframo de Grumbach, Sifrido de Wechmer, Heinrico de Rannenberg, canonicis et archidyaconis ecclesie nostre; Johanne prothonotario nostro, canonico ecclesie noui monasterii; ac aliis quampluribus fidedignis.

Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis sigilla fasciis membranaceis suspensa sunt.

CXLV.

1301, die 11. januarii.

Pro medietate decimae in villa Berlechingen ab ecclesia herbipolensi in feodum procedente monasterio in Schonental in proprium data Dietherus de Nagelsberg bona sua propria in Garinberg et Schurheim sita titulo feodali subrogat.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis, Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum eiusdem ecclesie hoc scripto publice profitemur, quod — cum Dietherus de Nagelsberg medietatem decime maioris et minute in villa Berlechingen, qua infeodatus fuerat a Conrado nobili de Bogsberg, qui ipsam decime medietatem a nobis et ecclesia nostra hactenus tenebat in feodo, pro quibusdam necessitatibus suis in religiosos viros . . abbatem et conuentum monasterii in Schonental ordinis cysterciensis transtulisset tytulo proprietatis perpetuo possidendam, jdemque Dietherus proprietatem quorundam bonorum suorum in Garinberg et Schurheim sitorum (soluencium annis singulis quatuordecim libras hallensium minus III solidis hallensium) ad manus dicti Conradi nobilis de Bogsberg resignasset, et ab ipso nobili bona eadem recepisset in feodo loco decime supradicte — tam dictus Conradus nobilis de Bogsberg quam Dietherus predictus nobis humiliter supplicarunt, vt huic subrogacioni siue permutacioni facte nostrum pium dignaremur adhibere consensum.

Nos vero attendentes condicionem ecclesie nostre in huiusmodi permutacione deterioratam non esse sed potius melioratam, presertim cum bona predicta que eidem decime successerunt meliora sint decima prenotata, eidem permutacioni nostrum adhibentes consensum, ipsam approbauimus et presentibus approbamus, jta tamen quod predictus Conradus nobilis de Bogsberg prefata bona

ipsi decime subrogata a nobis et ecclesia nostra habere in feodo teneatur prout ot decimam tenuit sepedictam.

Jn quorum omnium premissorum testimonium presentem litteram sigillorum nostrorum appensionibus iussimus roborari.

Ego quoque Dietherus predictus hiis litteris publice recognosco, proprietati dictorum bonorum renunciasse ore manu et calamo vt et moris, et a prefato domino Conrado nobili in feodo recepisse, sigillum meum in huius rei euidenciam hiis litteris appendendo.

Datum et actum Herbipoli, anno dominj M°.CCC°. primo, quarta feria post epiphaniam eiusdem.

Sigilla Manegoldi episcopi, capituli majoris ecclesiae herbipolensis, DieTHERI DE NAGELSBERch fasciis membranaceis ex hac carta suspensa sunt.

CXLVI.

1301, die 21. januarii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum pro Conrado Ernesti de Holzhusen inopinato eventu occiso Alberto de Hohenloch N relictam quondam N dicti Thucher ejusque filios tamquam proprios homines possidendos tradit.

Nos H(einricus) prepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis tenore presencium recognoscimus vniuersis, quod matura deliberacione prehabita vnanimj consensu pro salute ac bono conmuni Ottonis militis de Wisentvelt sculteti et vniuersitatis ciuium nostrorum in opido Ochsen-

furt in reconpensam et restaurum quondam Conradi Ernesti de Holzhusen casu fortuito ac inopinato euentu vita priuati seu occisi, quem nobilis vir Albertus de Hohenloch asseruit sibi iure homagii attinere, damus ac pleno iure nobis conpetente tradimus eidem nobili et suis heredibus ac successoribus . . relictam quondam . . dicti Thucher sculteti sui et suos filios titulo veri homagij tamquam proprios homines possidendos et tenendos, plenam eis de ipsis tamquam de propriis hominibus secundum approbatam Franconie consuetudinem facere warandiam promittentes, ita sane quod — si aliquis alter infra vnum annum a festo purificacionis beate virginis nunc proximo numerandum sibi verius ius homagij in corpore supradicti occisi conpetiisse euicerit ipsum dominum Albertum forma iuris — extunc antedictus nobilis memoratam relictam et suos filios protinus dimittet liberos ac solutos, amicicia et concordia inter ipsum et predictos . . scultetum et vniuersitatem opidi nostri Ochsenfurt inita super dissensione exhorta inter ipsos occasione occisionis huiusmodi in sue firmitatis robore perpetuo duratura, ita eciam quod idem nobilis et sui heredes ei qui ius homagij supradicti ab ipsis euicerit nullum omnino contra nos aut opidum nostrum predictum inpendat adiutorium nec assistat.

Et quia sepedicti occisi consanguineis et amicis super ipso homicidio facta est emenda congrva, quam ipsi grato ac spontaneo animo duxerant acceptandam, ea propter inter ipsos et prenominatos . . scultetum et vniuersitatem opidi nostri predicti pax firma et svna perpetua in personis et bonis utrorumque debet inuiolabiliter obseruarj,

Jn cuius rei testimonium hoc instrumentum sigillo nostri capituli et ipsius nobilis Alberti de Hohenloch fecimus roborari.

Datum anno domini M°.CCC°. primo, die Agnetis virginis.

Sigilla duo modo memorata fasciis ex ipsarum litterarum membrana confectis suspensa sunt.

CXLVII.

1301, die 7. februarii.

Manegoldus episcopus — quod ex parte abbatis et conventus monasterii in Eberach est humiliter supplicatum, ut capellam in Bischoffeswinden dioecesis herbipolensis, cujus jus patronatus Wolframus de Scheremberg eisdem contulit, propter deum donare de paterna benivolentia curaret — considerans dictam capellam fore liberam, ac tamquam exsecratam sine divinorum obsequiis hactenus remansisse, eandem (quam sperat per ipsos abbatem et conventum in divinis officiis melius procurari) eisdem ipsorumque monasterio tradit et donat, et in ipsos illam cum pleno rerum dominio transfert, praesertim cum ex donatione hujusmodi nullum alicui praejudicium generetur.

Datum Herbipoli, anno domini M°. CCC°. primo, VII°. idus februarii, pontificatus anno XIII°.

Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CXLVIII.

1301, die 1. martii.

Statutum a praelatis canonicis et clericis civitatis wirziburgensis absque dioecesani auctoritate juramento firmatum, quod si quem ipsorum capi detineri vel captivari contingeret a divinis cessarent, contra sanctiones canonicas factum irritum fit.

Uenerabili in Christo patri . . dei gratia episcopo herbipolensi

frater Gentilis miseratione diuina tituli sancti Martini in montibus presbiter cardinalis salutem et sinceram in domino caritatem.

Ex parte dilectorum in Christo .. prepositi .. decani et capituli ecclesie herbipolensis, ac prelatorum canonicorum et clericorum aliarum ecclesiarum ciuitatis herbipolensis fuit propositum coram nobis, quod tam nonnulli ex eis quam predecessores eorum qui fuerunt pro tempore, credentes eorum quieti et statui salubriter prouidere, inter se — diocesani qui tunc erat assensu minime requisito — statuerunt, quod si extunc aliquem ex eis, prelatum uidelicet canonicum siue clericum, a quocumque capi detineri uel captiuari contingeret, statim cum hoc ad eorum perueniret notitiam cessarent penitus a diuinis. Dictumque statutum non absque temeritate iuramento firmarunt.

Verum cum statutum huiusmodi in diminutionem diuini cultus et animarum periculum redundare noscatur, maxime cum ecclesie propterea debitis obsequiis defraudentur, memorati prepositus decanus capitulum prelati canonici atque clerici supplicari fecerunt humiliter, ut sedes apostolica super hijs prouidere eis salubriter dignaretur.

Nos igitur, qui singulorum salutem libenter querimus et amamus, attendentes quod ubi multitudo est in causa detrahendum aliquid est rigori, ac considerantes statutum huiusmodi factum esse contra canonicas sanctiones, auctoritate domini pape cuius penitentiarie curam gerimus prouidentie uestre conmittimus, quatenus si est ita prefatos prepositum decanum capitulum prelatos canonicos et clericos ab obseruantia iuramenti prefati, quod nos temerarium premissis ueris existentibus reputamus, in forma ecclesie absoluatis, iniungentes eis super hijs auctoritate predicta penitentiam salutarem.

Datum Laterani, kalendis martij, pontificatus dominj Bonifatij pape VIII anno septimo.

Sigillum Gentilis praedicti filis sericis rubri coloris ex hoc documento suspensum valde detritum est.

CXLIX.

1301, die 16. martii.

Pro bonis in der Owe sitis ad ecclesiam herbipolensem pertinentibus monasterio eberacensi venditis Cunradus Weibeler vineas proprias an dem Morsberge sitas ipsi resignat et titulo feodali recipit.

Jn nomine domini amen.

M(anegoldus) dei gracia herbipolensis episcopus, Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, et capitulum ecclesie herbipolensis recognoscimus et constare volumus vniuersis, quod Cunradus dictus Weibeler ciuis noster coadunata manu vxoris sue Mergardis, accedente expresso consensu nostro, religiosis viris ac dilectis in Christo . . abbati et conuentui monasterii eberacensis nostre dyocesis vendidit sexagintaduo jugera campestria dicta in der Owe sita in marchia ville Randesacker pro centum et tredecim libris denariorum minus decem et octo denariis, quam pecuniam predictus C(unradus) confessus fuit se recepisse.

Et ne nos et ecclesia nostra homagio seu iure feodi quod nobis in bonis predictis competebat aliqualiter fraudaremur, prefatus Cvnradus octo jugera vinearum sita an dem Morsberge dicta Rockelin ad ipsum iure dominij et proprietatis titulo spectantia in restaurum et plenissimam reconpensam predictorum agrorum campestrium de consensu vxoris sue Mergardis et liberorum suorum resignauit, petens simpliciter et instanter quod predicta octo jugera vinearum in feodum sibi porrigere dignaremur. Cvi peticioni annuentes ipsum de supra dictis vineis infeodauimus et eciam presentibus inuestimus.

Et ut autem predictis religiosis plenius caueretur, sepedictus Cunradus suo vxoris sue et liberorum suorum nomine per sol-

lempnem stipulacionem de euiccione repromisit, et cauit predictos agros absoluere vbicumque et quandocumque sepefatis religiosis lis questio seu judicium moueretur, jpsosque in possessionem predictorum agrorum corporalem induxit, vacuos tradens liberos et solutos. Renunciauit insuper omni iuri et accioni sibi competenti, excepcioni non numerate pecunie, decepcionis vltra dimidiam iusti precij, doli mali et in factum accioni, fori priuilegio, et omnibus auxiliis iuris canonici vel ciuilis per que predicta empcio viciari posset vel eciam annullari.

Nos Cvnradus et Mergardis vxor mea ac liberi nostri confitemur omnia et singula predicta esse vera, et ea ex certa scientia approbamus.

Huius rei testes sunt: Hart(mudus) cellerarius eberacensis; Andreas, Krafto monachi ibidem; Heinricus Tierolfus Weibelarij, Heinricus dictus Monachus, Cunradus Boppo, ciues herbipolenses; et plures alij.

In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa.

Datum et actum anno domini M°·CCC°· primo, feria quinta post dominicam letare.

Sigillorum ex hac carta fasciis membranaceis quondam suspensorum illud Manegoldi episcopi decidit, illud capituli majoris ecclesiae herbipolensis superest.

CL.

1301, die 23. maji.

Manegoldus episcopus monasterio halsprunnensi jurisdictionem villae Haselach confirmat.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis vniuer-

sis presentes litteras inspecturis salutem et sinceram in domino karitatem.

Sua nobis dilecti in Christo religiosi viri . . abbas et conuentus monasterij in Halsprunnen cysterciensis ordinis eystitensis dyocesis insinuatione monstrarunt, quod — licet ipsi duo castra sita in villa Haselach et ipsam villam nostre dyocesis cum omnibus iuribus, iurisdictione seu iure iudicandj ciuiliter uel criminaliter in causis sanguinis vel pecuniariis, et omnibus aliis pertinentiis emerint a nobilj viro Ludewico comite de Oetingen et strennuo milite Alberto de Vestenberg pro duobus milibus librarum hallensium proprietatis titulo perpetuo possidendam — tamen, quia predicta in nostro ducatu sita noscuntur, predicti religiosi futuris obuiare periculis satagentes nostrum expressum consensum super premissis humiliter postularunt.

Nos eorum piis postulationibus fauorabiliter inclinatj, in fauorem religionis ac intuitu personarum in predicta domo degentium quas benigno prosequimur ac fouemus affectu, ipsis iurisdictionem predicte ville et ius iudicandj ciuiliter seu criminaliter in causis pecuniariis vel sanguinis concedimus presentibus et donamus, emptionem et venditionem predictas ratas et gratas habentes, ipsasque in hiis scriptis ex certa scientia confirmamus.

Datum et actum in Herbipoli, anno dominj M°·CCC primo, in castro nostro in monte sancte Marie; presentibus Heinrico de Katzenstein notario nostro, canonico nouj monasterij herbipolensis, . . officialj curie nostre videlicet magistro Heinrico de Heyngen, Wolframo capellano nostro; Heylmanno et Heinrico de Wizzenburg monachis in Halsbrunnen; et aliis quam pluribus fide dignis.

Datum anno dominj ut supra, feria tercia post diem sanctum pentecostes.

Jn cuius rej testimonium presentes litteras nostro sigillo fecimus conmuniri.

Manegoldi episcopi sigillum filis linteis rubri et glauci colorum suspensum integrum est.

CLI.

1301, die 6. junii.

Manegoldus episcopus bona ecclesiae herbipolensis quae Bertoldus de Lynach titulo feodali possessa resignarat capitulo suo in proprium tradit.

In nomine dominj amen.

Manegoldus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus in Christo sibi dilectis . . preposito . . decano totique capitulo eiusdem ecclesie salutem in omnium saluatore.

Et si generaliter cunctis ecclesiasticis nostre dyocesis personis prodesse ex pastoralis officio regiminis teneamur, precipue tamen specialissimis ipsius matricis ecclesie nostre filiis qui deuotis sue fidelitatis impendiis se nobis reddiderunt multipliciter pre ceteris gratiores ad vberioris munera benificentie specialius obligamur.

Eapropter deuocionis vestre nobis frequencius exhibite ac adhuc nostris successoribus exhibende zelum karitatiuis graciose benignitatis oculis fauorabiliter intuentes, ad supplices vestrarum et Bertoldi filij quondam Arnoldi militis de Lynach fidelis nostri precum instancias pariter et consensus illa bona — videlicet curiam suam in villa Hôcheim ad sanctum Vitum, et agros campestres quorum aliquot in eiusdem ville marchia aliquot vero quondam attinebant curie dicte des Lewen hof, cum ceteris supradicte curie in Hôcheim pertinenciis ac appendiciis quesitis aut inquirendis quocumque nomine censeantur — que predictus Bertoldus de Lynach a nobis et ecclesia nostra feodali tytulo dinoscitur possedisse, per ipsum ad manus nostras sponte ac libere resignata, ab onere siue iure feodi eximimus, exempta pronunciamus,

eademque vobis . . preposito . . decano et capitulo supradictis in proprium tradimus et donamus, iure mere proprietatis cum pleno rerum dominio (quod a nobis et nostris successoribus abdicamus, ac in vos et vestrum capitulum transferimus per presentes) in perpetuum corporaliter possidenda, successorum nostrorum quemlibet ad eiusdem donacionis ac tradicionis, qua — cum ex ipsa non multum nobis dampnosa vobis vero proficua vos deuotos ad amplioris deuocionis promptitudinem excitamus — non hesitamus ecclesie nostre condicionem posse fieri non deteriorem immo pocius meliorem, firmam ac inconvulsam obseruanciam de vestro et vestri capituli consensu presentibus obligantes.

In premissorum autem testimonium et certitudinem euidentem has litteras nostri sigilli patrocinio duximus roborandas.

Datum et actum anno dominj M°.CCC°. primo, in crastino sancti Bonifacij episcopi, anno pontificatus nostri quarto decimo.

Manegoldi episcopi sigilli filis sericis rubri coloris ex hac carta suspensi nonnisi pars superior restat.

CLII.

1301, die 8. junii.

Manegoldus episcopus decimam villae Bernhusen desertae coenobio marpurgehusano donat.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum serie litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum Gundelocus dictus Wilde decimam ville Bernhusen deserte religiosis dominabus . . abbatisse et con-

uentui sanctimonialium cenobii in Marpurgehusen ordinis cysterciensis tradiderit et donarit — tandem Teyno miles et Karolus fratres et . . dicti de Liehtinstein, a quibus ipse Gundelocus dictam decimam tenuit, deuotionis zelo moti coram Cůnrado dicto Studigel aduocato nostro in Liehtinstein nomine nostro recognouerunt, omne jus quod in dicta decima habuerunt in predictas abbatissam et sanctimoniales ac earum cenobium sponte et libere transtulisse.

Et quia ab eisdem sanctimonialibus a nobis humiliter est petitum, vt earum inopiam subleuantes supradictam decimam, quam prefati de Liehtinstein a nobis in feodum tenuerunt, eis donare in proprium curaremus, nos considerantes non modicum fauorem iuris existere bona ecclesiastica de laycorum manibus ad vsum ecclesiasticum reuocare, eisdem abbatisse et conuentui necnon cenobio earundem supradictam decimam, in cuius alienatione nostra ecclesia modicum leditur, in proprium donauimus presentibus et donamus, illam in easdem abbatissam et conuentum sanctimonialium earumque cenobium cum pleno rerum dominio transferentes.

Cuius donationis et translationis testes sunt: Johannes prothonotarius noster, Heinricus notarius noster, et Cunradus dictus Studígel prefatus, ac plures alii fidedigni.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum sibi dedimus, nostri sigilli patrocinio roboratum.

Datum Herbipoli, anno domini M°. CCC°. primo, VI^to. jdus junii, pontificatus nostri anno XIIII°.

Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

Quo loco ante verba „dicti de Liehtinstein“ duo puncta posuimus in documento ipso lacuna pro uno vel potius duobus nominibus relicta invenitur.

CLIII.

1301, die 11. julii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum structuras aedificiorum ab ecclesia novi monasterii super fundum et aream horti curiarum claustralium Kolbonis et Maspach ad capitulum dictum pertinentium — ab annui cujusdam census solutione liberatarum — factas ratas habet.

In nomine domini amen.

Nos Heinricus de Wechmar prepositus, Arnoldus de Spiezesheim decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis harum serie litterarum recognoscimus vniuersis presentibus ac futuris, quod pari voto ac vnanimi voluntate prouida deliberatione prehabita consensum nostrum plenarium ad hoc vt structure edificiorum curie claustralis noui monasterij dicte Lobenhusen, quam ad presens dominus Conradus dictus Hozo eiusdem loci canonicus dinoscitur possidere, partim super fundum et aream horti curiarum claustralium domini Arnoldi decani predicti, quarum vna Kolbonis altera vero Maspach nuncupatur, erectorum in posterum eo statu quo in presenti dinoscuntur fore instaurate permaneant ac permanere debeant adhibuimus ac presentibus adhibemus, renunciantes simpliciter ac precise pro nobis ac pro supradictarum curiarum possessoribus ac inhabitatoribus vniuersis omni actioni sev impeticioni que nobis aut ipsis super pretactorum edificiorum structuris contra honorabiles viros . . decanum et capitulum noui monasterij predicti ac quoslibet memorate curie Lobenhusen possessores vel inhabitatores exnunc vel in futurum de facto vel de iure directe uel indirecte conpetere videretur aut posset in foro ecclesiastico vel ciuili.

Porro nos Gotfridus decanus totumque capitulum noui monasterij herbipolensis predicti — propensius attendentes huiusmodi gratiam per honorabiles viros dominos . . prepositum . . decanum et capitulum maioris ecclesie supradicte in remissione iniuriarum si que ipsis aut eorum alicui ex pretactorum edificiorum instauracione videbantur irrogari clementius nobis factam — prouida multaque deliberacione prehabita, omnium ac singulorum nostrum interueniente verbo pariter et consensu, in restaurum ac reconpensam sepedictorum edificiorum prenominatas duas curias domini Arnoldi de Spiezesheim decani predicti, Kolbonis videlicet et Maspach, ab annuo censu vnius libre denariorum herbipolensium, quem idem dominus decanus ac eiusdem in prefatis curiis successores racione capelle sancti Mauricij site inter easdem curias . . custodi ecclesie nostre qui pro tempore foret persoluere tenebantur, exonerauimus ac per presentes dicimus et pronunciamus in perpetuum exoneratas necnon per omnia liberas ac solutas, abdicantes a nobis ac vniuersis ecclesie nostre custodibus omne ius quod nobis aut ipsis in eodem censu actenus conpetere dinoscebatur, ita quod nunquam de facto vel ullo iuris beneficio actionem intentabimus super eo.

Vt autem premissa singula perpetue robur obtineant firmitatis, nos prenominati . . prepositus et . . decani ecclesiarum predictarum de verbo consensu ac scitu ipsorum confratrum nostrorum sigilla capitulorum nostrorum presentibus duximus appendendum.

Datum et actum anno domini millesimo CCCo· primo, V jdus julij.

Sigilla praedicta fasciis membranaceis suspensa in altero harum litterarum documento perierunt; eorum alterius nonnisi illud capituli novi monasterii herbipolensis restat.

Litterae die 19 mensis aprilis anni 1291 datae, quas supra sub num. XXX pagg. 50 et 51 edidimus, huc conferri possunt.

CLIV.

1301, die 26. julii.

Manegoldus episcopus monasterio halsprunnensi decimas novalium de silvis inter Bergelersteige et Radantiam fluvium sitis ad culturam redactis et redigendis confirmat et concedit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis vniuersis presentes litteras inspecturis salutem et sinceram in domino karitatem.

Exhibitis coram nobis per religiosos viros . . abbatem et conuentum monasterii in Halsprunnen cysterciensis ordinis litteris venerandi patris ac domini Hermanni quondam episcopi herbipolensis predecessoris nostri in hunc modum:

Jn nomine sancte et indiuidue trinitatis.

Hermannus dei gratia herbipolensis ecclesie episcopus.

Sollers modernorum consuetudo industria facta temporum suorum scripto attentico conmendare, ne temporis interuallo in altercacionem transeant inimicam.

Notum igitur esse cupimus vniuersis huius pagine inspectoribus, quod nos dilectis in Christo venerabili abbati totique conuentui halsprunnensi omnes decimas noualium que in siluis eidem ecclesie attinentibus ex nouo inchoata fuerint sitis infra Bergelersteige et Radanciam fluuium contulimus perpetuo possidendas et in vsus sue ecclesie liberaliter conuertendas, inhibentes ne quis successorum nostrorum eos in dictis decimis presumat grauare.

Vt autem nulli super eo dubietas oriatur, nec ab aliquo quidquam grauaminis super ipsis decimis paciantur, eis presentem litteram exinde scriptam dedimus, nostri sigilli munimine roboratam.

Acta sunt hec anno dominice incarnacionis millesimo CC°·XX octauo, jndictione secunda, episcopatus nostri anno quarto.

quibus diligenter examinatis, inuenimus eas non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui viciatas, vero sigillo predecessoris nostri predicti consignatas.

Vnde petebant predicti religiosi, quatenus antedictas litteras cum hiis que in eis continentur dignaremur ex certa sciencia confirmare.

Nos eorundem precibus fauorabiliter inclinati, concedimus eidem monasterio in Halsprunnen omnes decimas noualium quas de siluis suis ad culturam redactis a tempore predicti predecessoris nostri perceperunt et percipere potuerunt et in futurum percipere possunt infra terminos Bergelersteige et Radanciam fluuium perpetuo possidendas.

Et si quas siluas vel rubeta de nouo ad culturam duxerint redigenda, eodem iure infra terminos predictos possideant et percipiant decimas noualium de eisdem.

Nulli alii ius recipiendi decimas noualium infra predictos terminos cuiuscumque condicionis existat recognoscentes, predicta omnia et singula ipsis ex certa sciencia et eorum monasterio confirmamus.

Jn cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine iussimus roborari.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· primo, in crastino beati Jacobi apostoli, pontificatus nostri anno XIIII°·

Manegoldi episcopi sigilli filis sericis rubri et viridis colorum ex hoc documento suspensi nonnisi pars superior restat.

CLV.

1301, die 28. julii.

Manegoldus episcopus — quoniam ex parte priorissae et conventus sanctimonialium coenobii in Rotemburg ordinis praedicatorum herbipolensis dioecesis ipsi est humiliter supplicatum, ut cum strenuus vir quondam Lupoldus de Nortenberg imperialis aulae magister coquinae, fundator ipsius coenobii, inter alia bona ipsis et coenobio quoddam nemus quod vocatur Stritlach, ab ecclesia herbipolensi in feodo procedens, tradiderit et donarit, hujusmodi donationi pium praebere curaret assensum — attendens non modicum favorem juris existere bona ecclesiastica de laicorum manibus ad usum ecclesiasticum revocare, consideransque etiam quod per alienationem dicti nemoris dicta ecclesia modicum laeditur et in dicto coenobio per donationem ejusdem nemoris cultus divini nominis augmentatur, eidem donationi suum expressum adhibet consensum, immo praedictis sanctimonialibus et earum coenobio, quo commodius divinorum obsequiis intendere valeant, donatione inter vivos perpetuo tradit et donat nemus superius praeexpressum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· primo, V^to· kalendas augusti; praesentibus fratre Eberhardo lectore praedicatorum domus herbipolensis, fratre Kraftone de Bockesperg ejusdem ordinis, Johanne et Heinrico notariis episcopalibus, et pluribus aliis fidedignis, pontificatus anno XIIII°.

Sigillum Manegoldi episcopi ex hac carta filis linteis rubri et viridis colorum suspensum est.

CLVI.

1301, die 17. augusti.

Manegoldus episcopus decimam in Nutelingen monasterio s. Stephani herbipolensi donat.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum quondam Heinricus dictus Gruzzinc de Munrichstat viris religiosis . . abbati et conuentui monasterii sancti Stephani herbipolensis ordinis sancti Benedicti decimam in Nutelingen, quam mediante nobili viro Cůnrado comite de Wilperg a nobis et nostra ecclesia in feodum tenebat, donatione inter viuos de consensu predicti comitis tradiderit et donarit — idem comes nobis humiliter suplicauit, vt huiusmodi donationem ratificantes pro cultu diuino in dicto monasterio eorum ampliando ipsam decimam eis donare in proprium curaremus.

Nos itaque, considerantes et adtendentes non modicum fauorem iuris existere bona ecclesiastica et precipue decimas de laycorum manibus qui eas in suarum animarum periculum detinent eripere et ad vsum ecclesiasticum reuocare, tum pro redditibus eorum qui tenues sunt augmentandis, vt eo comodius diuinorum obsequiis intendere possint, tum ob salutem animarum predictorum laycorum, donationi prefate nostrum consensum expressum presentibus adhibemus, ac supradictam decimam tam a dicto Gruzzingo quam ab ipso comite de Wilperg libere resignatam prelibatis abbati et conuentui necnon eorum monasterio in merum proprium donauimus presentibus et donamus, a nobis et dicta ecclesia nostra ius et proprietatem ipsius decime abdicantes, ac in eosdem abbatem et conuentum ac eorum monasterium cum pleno rerum dominio transferentes.

Huius autem donationis sev translationis nostre testes sunt religiosi viri: Cûnradus abbas, Hartungus cellerarius, Fridericus cantor, Sifridus de Grûnsvelt, fratres dicti monasterii; jtem magister Johannes, et Heinricus dictus de Katzenstein, notarii nostri, canonici noui monasterii herbipolensis; et Wolframus capellanus noster; jtem frater Cûnradus de Arnstein conmendator domus hospitalis sancti Johannis in Slusungen; magister Cûnradus de Fuhtewanc aduocatus curie nostre; magister Berngerus physicus noster; Heinricus rector ecclesie in Weterungen; Johannes de Clippeo clericus; Cûnradus rector quondam puerorum in Kitzingen; et plures alii fidedigni.

Jn quorum omnium premissorum testimonium atque robur memoratis abbati et conuentui hoc scriptum dedimus, nostri sigilli patrocinio roboratum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· primo, XVI^to· kalendas septembris, pontificatus nostri anno XIIII°·

Manegoldi episcopi sigillum filis sericis rubri et flavi colorum ex hac carta suspensum integrum est.

CLVII.

1301, die 6. decembris.

Der römische König Albrecht versöhnt und verschlichtet den Markgrafen Hermann von Brandenburg und den Bischof Mangold von Wirzburg aller der Kriege und Misshellungen die sie mit einander bis jetzt gehabt.

Dirre sune sint gezuk die erberen fursten: Heinrich der bischof von Kostenze, Peter der bischof von Basele, Otte der margraue von Brandemburg, Herman der abbet von Ebrach; die edelen

lute: Eberhart der grave von Wirtemberg, Ludewic der grave von Otingen, Burchart der graue von Hohemberg; vnde ander erberen lute genük.

Der brief ist gegeben ze Heilprunnen, an sante Nikolaus tak, do man zalte von Christes geburte druzehen hundert iar vnd ein iar, in dem vierden iar des riches.

Hanc compositionem Car. Schöppach in opere cui titulus est „hennebergisches Urkundenbuch“ I pag. 39 et 40 ad fidem documenti edidit quod in tabulario meiningensi quod dicant „das gemeinschaftliche hennebergische Archiv“ locum habet.

CLVIII.

1302, die 5. januarii.

Manegoldus episcopus de bonis in Eysleibe sitis quae Cûnradus Brunlin ab ecclesia herbipolensi titulo feodali possessa resignarat vicariam perpetuam ad altare beati Johannis evangelistae a Cûnrado praedicto constructum ordinat.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod Cûnradus dictus Brunlin ciuis noster herbipolensis, zelo deuotionis accensus, in nostrique presentia constitutus, bona quedam in Eysleibe sita, quorum partem possidet Godfridus dictus Muder singulis annis viginti maldra siliginis soluentem, residuam vero partem possidet Cûnradus Wlpis et Bertholdus de Zuceleibe soluentem annuatim XXX^{a} maldra siliginis, octo pullos in carnispriuio, et duos solidos denariorum in festo beati Martini, in nostris manibus libere resignauit, petens

humiliter et deuote, vt — quia eadem bona a nobis nostraque ecclesia in feodum tenuit — in ipsa ecclesia nostra de eisdem bonis pro cultu diuino augmentando dignaremur facere vicariam.

Nos itaque considerantes non modicum fauorem existere bona ecclesiastica de laycorum manibus ad vsum ecclesiasticum reuocare, pro obsequio diuino in ipsa nostra ecclesia ampliando ad petiti[onem] humilem predicti ciuis de bonis de quibus predicitur nobis resignatis vicariam perpetuam ad al[tare quod nunc] in dicta ecclesia nostra a prefato ciue sub infima testitudine in honore beati Johannis ewangeliste de nostra licentia est constructum de capituli nostri consensu constituimus facimus et ordinamus, ac bona premissa ad eandem vicariam donatione inter viuos tradimus presentibus et donamus, in eandem ipsa bona (que a nobis nostrisque successoribus prorsus abdicamus) cum pleno proprietatis et possessionis tytulo transferentes, ita quod quandocumque et quocienscumque dicta vicaria vacare inceperit, ipsam scolasticus pro tempore existens in dicta nostra ecclesia infra tempus a iure statutum clerico ydoneo, videlicet sacerdoti vel illi qui infra annum in sacerdotem promoueatur, conferre inantea teneatur.

Ordinatum est etiam ad petitionem dicti ciuis, quod a vicario dicti altaris singulis annis in illis tribus festiuitatibus — videlicet dedicationis anniuersarii dicti altaris, beatorum apostolorum Johannis ewangeliste, et Mathie — duodecim lumina cerea emi deberent, ardentia in eodem altari quamdiu missarum sollempnia peraguntur.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum nostro et predicti capituli sigillis est diligentius roboratum.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· secundo, jn vigilia epiphanie eiusdem, pontificatus nostri anno XIIII°·

Sigillorum duorum modo memoratorum fasciis membranaceis suspensorum illud Manegoldi episcopi magnam partem periit.

Quae [uncis] inclusimus foramine in plica cartae exorto perierunt.

CLIX.

1302, die 23. januarii.

Monasterium halsbrunnense vicariam perpetuam altari s. Kyliani in ecclesia majori herbipolensi constructo annectit.

In nomine domini amen.

Celestis amor patrie animos fidelium et maxime religiosorum excitat, cum diuini numinis cultum desiderant adaugeri, et feruenti desiderio in eius laudibus incipiunt delectari.

Eapropter nos Heinricus abbas et conuentus monasterii in Halsbrunnen ordinis cysterciensis eystetensis dyocesis, accedente consensu Heinrici prepositi, Arnoldi decani, et capituli ecclesie herbipolensis, ad honorem dei et beatorum martirum Kyliani sociorumque eius necnon in recongnicionem plurimorum beneficiorum que ab ecclesia herbipolensi percepimus temporibus retroactis in eadem ecclesia vicariam instaurari cupientes, statuimus volumus et ordinamus et humiliter petentes desideramus vt altari summo videlicet beati Kyliani et sociorum eius vicaria perpetua sit annexa. Et vicarius sacerdos existens altare predictum officiabit, dicendo ibidem post matutinas cottidie per se vel per alium missam secundum temporis qualitatem. Cui de libris calice candelis indumentis et alijs necessarijs de camera prouidebitur ad eiusdem misse sollempnia peragenda. Debet etiam jdem presbiter horis in choro canonicis interesse, dum tamen habeat facultatem egrediendi de matutinis, et se ad predictam missam dicendam secundum dei timorem reddere expeditum. Nec tenebitur jdem presbiter septimanalem missam publice celebrare, vel per alium procurare. Habebitque predictus vicarius medietatem oblacionum, et

subcustos parte reliqua sit contentus, saluis alijs iuribus . . custodis et subcustodis in presenti littera non expressis.

Abbas vero qui monasterio nostro protempore preesse dinoscitur in futurum et nos predictam vicariam, cum uacauerit qualitercumque vel quandocumque, contradictione qualibet procul mota, conferemus ydoneo sacerdoti, nobis et monasterio nostro jus collacionis et presentacionis perpetuo reseruantes.

Vt autem jdem vicarius valeat conmodius sustentari et sibi in necessarijs prouidere, ad eandem vicariam deputamus et donamus pure et libere propter deum redditus viginti quatuor maldrorum siliginis qui soluuntur nobis de curia Rottenbur, quam colunt sanctimoniales de paradyso in Heitingefelt, quos frater Phylippus de Tannenberg confrater noster in nos transtulit, cum se et sua nobis et nostro monasterio dedicauit liberaliter et donauit. Jtem centum et viginti libras hallensium supradicte vicarie tradimus et assignamus quamprimum fieri potest pro annuis redditibus conparandis.

Vt autem predicta omnia et singula firma et illibata permaneant, nos Heinricus de Wechmar prepositus, Arnoldus de Spyzshein [1]) decanus, et capitulum herbipolensis ecclesie predicte omnia supradicta laudamus ratificamus et ex certa sciencia approbamus, in robur et munimen plenius sygillum capituli nostri presentibus apponentes.

Et nos frater Heinricus abbas et conuentus monasterij predicti sygillum nostrum quo communiter utimur apponimus in testimonium premissorum.

Datum et actum anno domini M°· tricentesimo secundo, in crastino Vincencij martiris, in ecclesia herbipolensi; presentibus honorabilibus viris Wernhero de Tannenberg, Andrea de Gundeluingen, Wolframo de Gruenbach [2]), Sifrido de Wechmar, canonicis et archi-

[1]) In altero harum litterarum documento legimus: *Spyseshein.* [2]) S: *Grunbach.*

dyaconis herbipolensis ecclesie. et alijs quam pluribus fidedignis testibus ad hoc uocatis pariter et rogatis.

Sigilla bina praedicta fasciis membranaceis ex utroque hujus documenti exemplari suspensa in altero restant, in altero periere.

Litterarum huc spectantium, die 9 mensis maji daterum, infra sub num. CLXV pag. 279 et 280 mentionem faciemus.

CLX.

1302, die 10. februarii.

Herbordus de Swanvelt et ejus heredes bona et redditus in Zuceleibe, ab obligatione facta pro bonis quae ab ecclesia herbipolensi titulo feodi castrensis tenuerant liberata, Heinrico de Abiete vendunt.

Jn nomine domini amen.

Contentionis prestat materiam ignorancia rei geste. Vnde multis occurritur periculis vtiliter et prudenter quociens presentis etatis actus scripture testimonio perhennantur.

Eapropter ego Herbordus de Swanuelt, Heinricus filius suus, alijque heredes eiusdem Herbordi, siue minores siue maiores, harum serie litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod vrgente necessitate nostra viro discreto Heinrico dicto de Abiete ciui herbipolensi et heredibus suis vendidimus et tytulo vendicionis tradimus redditus decem et octo maldrorum siliginis, vnius maldri tritici, trium maldrorum auene, vnius maldri pise, quatuor pullorum carnispriuialium et centum ouorum de bonis nostris in Zuceleibe que colit Albertus de Rimpure; jtem redditus quatuor maldrorum siliginis, duorum maldrorum

auene, et duorum pullorum carnispriuialium de bonis que colit Waltherus dictus de Stetebach in dicta villa Zuceleibe; pro precio octogintaseptem librarum hallensium, quod quidem precium confitemur nos habuisse recepisse et in vsus nostros necessarios et vtiles conuertisse, renunciantes excepcioni non numerate non solute non habite pecunie, restitucioni in integrum, et omni iuris auxilio canonici et ciuilis per quod dicta posset vendicio impediri.

Ad solutionem quoque predictorum reddituum singulis annis predicto ciui et suis heredibus infra illa duo festa assumpcionis et natiuitatis beate virginis cum mensura in Arnstein nostris expensis et laboribus ad granarium suum in ciuitate herbipolensi de predictis bonis per nos faciendam nos et nostros heredes presentibus obligamus, et prefatum ciuem et heredes suos in possessionem dictorum bonorum et reddituum inducimus corporalem, a nobis et nostris heredibus ipsa bona redditus et omne ius quod in eisdem habemus manu et calamo vt moris est penitus abdicantes, ac illa in supradictum ciuem et heredes suos cum pleno rerum dominio transferentes.

Preterea ipsi ciui et heredibus suis promittimus de euictione prelibatorum bonorum et reddituum prorsus cauere, et facere warandiam werschaft wlgariter nuncupatam que de bonis proprietariis fieri consueuit secundum ius et terre Frankonie consuetudinem hactenus obseruatam.

Jnsuper ego Herbordus et Heinricus filius suus maior annis supradicti promittimus per sollempnem stipulacionem, nos facturos et curaturos quod memorati heredes minores annis, siue sint masculi sev femelle, cum ad etatem adultam peruenerint contractum empcionis predictum cum singulis pactionibus modis et condicionibus in eodem conprehensis ratum habebunt et firmum.

Et si ipsos aut eorum aliquem in toto vel in parte contrauenire de facto vel de iure contigerit, promittimus per eandem stipulacionem, ciui et heredibus suis prefatis dampna interesse et expensas que et quas huiusmodi occasione incurrerint ex integro resarcire.

Et nichilominus pro maiori habenda securitate tam de dicta warandia facienda quam de ratificacione predictorum minorum annis ipsius vendicionis contractui procuranda et euictione cauenda damus fideiussores, videlicet dominum Arnoldum de Witolshusen militem, Heinricum fratrem suum, Woluelinum de Witolshusen, et Arnoldum fratrem suum, qui — si in premissis omnibus vel aliquo eorundem ciuis seu heredes sui prenominati aliquod dampnum seu impedimentum sustinuerint — moniti in Herbipoli se recipient more fideiussorio, tamdiu in dampnum nostrum expensas facturi donec ipsis dampna seu impedimenta huiusmodi resarcita siue sopita fuerint iusticia mediante. Si autem aliquis dictorum fideiussorum cesserit, vel decesserit, alium ipsis eque ydoneum substituere promittimus infra mensem tunc proximum loco sui. Alioquin superstites fideiussores se modo prenotato recipient donec substitucio huiusmodi fuerit effectui mancipata. Ego eciam Heinricus predictus specialiter ad huiusmodi fideiussionem vna cum dictis fideiussoribus sub predictis modis et condicionibus me obligo per presentes.

Licitum est tamen nobis et omnibus heredibus nostris de speciali gratia predicti ciuis et heredum suorum, sepedicta bona et redditus ab hinc vsque ad festum kathedre beati Petri et deinde ad tres annos immediate se subsequentes reemere pro summa pecunie preexpressa. Quo temporis spacio elapso, huiusmodi gratia reemendi nobis penitus est sublata, sed ipsa bona et redditus iure proprietatis et possessionis apud prefatum ciuem et heredes suos perpetuo remanebunt.

Testes vero horum premissorum sunt: fideiussores prenominati, Woluelinus canonicus sancti Johannis in Hauge, Conradus Marcgreue, Phillippus filius sororis predicti Herbordi, Conradus Scolaris, Krafto famulus ciuis predicti, et plures alij fidedigni.

In quorum omnium supradictorum testimonium hoc instrumentum reuerendi patris domini nostri Manegoldi episcopi herbipolensis sigillo obtinuimus roborari.

Nos quoque Manegoldus episcopus iamdictus inspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis, quod — quia dicta bona et redditus nobis et ecclesie nostre fuerant obligata donec dictus Herbordus in reconpensam quorundam bonorum per eum venditorum que ab ipsa ecclesia nostra pro castrensi feodo tenuerat nobis alia equiualencia assignaret — dicta bona et redditus ciui et heredibus suis memoratis sic vendita, ex quo alia equiualentia et meliora nobis ipse Herbordus assignauit, videlicet tres mansos sitos in Witolshusen, quos nobis libere resignauit, et a nobis nostraque ecclesia pro castrensi feodo in Wernecke recepit, ab obligacione pretacta libera dicimus et soluta, a nobis nostraque ecclesia iamdicta omne ius quod ex huiusmodi obligacione nobis in illis conpetebat penitus abdicantes, et ad peticionem prefati venditoris et heredum suorum sigillum nostrum hiis litteris appendentes in testimonium omnium premissorum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°.CCC°. secundo, in die beate Scolastice virginis, pontificatus nostri anno XIIII°.

Manegoldi episcopi sigillum fascia membranacea ex hoc documento suspensum fere integrum est.

CLXI.

1302, die 17. februarii.

Manegoldus episcopus, quod — cum ab abbate et conventu monasterii cellensis ordinis praemonstratensis tamquam ab aliis extraneis secundum nonnulla statuta et etiam consuetudines herbipolenses hactenus observatas de introductione vini sui ad civitatem herbipolensem et propinatione ejusdem in ipsa civitate, necnon de annona in eadem quotiescunque deposita require-

retur exactio solita et consueta — supradicti abbas et conventus ad ipsius praesentiam venientes asseruerunt, se ab exactione hujusmodi esse debere liberos et immunes, praescriptionem pro se legitimam allegantes, quam quidem praescriptionem in capitulo legitime probaverunt, de praelatorum consilio et assensu ipsos a solutione hujusmodi exactionis de vino dumtaxat quod in marchia eorum et de annona quae in possessionibus eorundem crescunt liberos et immunes pronuntiat, nolens ab eis deinceps exactiones hujusmodi aliqualiter requiri.

Testes qui predictae probationi interfuerunt sunt: Andreas de Gundelvingen praepositus onolspacensis, Wolframus praepositus novi monasterii, Wernherus de Tannenberc cantor ecclesiae herbipolensis, Hermannus de Bastheim, Wolframus de Linach, Fridericus dictus Spete plebanus ecclesiae herbipolensis, Gotfridus de Hohenloch praepositus ecclesiae sancti Johannis in Hauge, Sifridus de Wechmar, Heinricus de Slitese, . . dictus de Hesseburg, herbipolensis ecclesiae praedictae canonici, et plures alii fidedigni.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· secundo, in crastino sanctae Julianae virginis, pontificatus anno XIIII°·

Sigilli Manegoldi episcopi quondam filis linteis flavi rubri et viridis colorum suspensi nonnisi fragmenta restant.

CLXII.

1302, die 12. martii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum Jngelnstat curiam ab Arnoldo de Crutheim quondam decano collatam Heinrico capellae in Crutheim vicario vendit.

Nos prepositus decanus totumque capitulum ecclesie herbipolensis constare volumus et publice recognoscimus harum litterarum

inspectoribus vniuersis, quod — cum bone memorie domnus Arnoldus de Crutheim quondam decanus jam dicte nostre ecclesie herbipolensis pio ductus amore eidem ecclesie ac eius capitulo curiam suam dictam Jngelnstat sitam in ciuitate herbipolensi dederit contulerit et tradiderit sub hoc pacto vt de ipsa annui redditus quatuor librarum denariorum herbipolensium vicario dicte ecclesie nostre herbipolensis capellam in curia Crutheim sitam officianti, cuius vicarie jdem domnus Arnoldus institutor extitit siue auctor, et pro peragendo sui obitus anniuersario canonicis prefate ecclesie nostre vna libra denariorum herbipolensium necnon canonicis ecclesie noui monasterij quinque solidi denariorum eiusdem monete annis singulis soluerentur, multisque annis et temporibus retroactis ipsa pecunia vnius libre denariorum nobis et ecclesie nostre de dicta curia propter eius desolacionem soluta non fuerit nec etiam solui posset — nos ecclesie nostre sepedicte vtilitati ut tenemur prospicere cupientes, prehabito inter nos tractatu diligenti, ac interueniente consensu nostro expresso, supradictam curiam Jngelnstat et omne ius nobis et ipsi ecclesie nostre in ea conpetens Heinrico vicario eiusdem ecclesie nostre nomine vicarie sue et capelle antedicte ementi uendidimus et tradidimus necnon vendimus et tradimus per presentes, eandem curiam seu jus nobis in ea conpetens transferentes in ipsum et vicariam suam iam dictam, ac inducentes dictum Heinricum emptorem nomine eiusdem vicarie sue in corporalem eiusdem curie possessionem siue iuris nobis nostreque ecclesie memorate in ipsa curia conpetentis, pro precio viginti librarum hallensium, quod precium a dicto Heinrico emptore confitemur nos habuisse recepisse, et de ipso plenarie nos pagatos esse, ac in usus nostre ecclesie prelibate necessarios et vtiles conuertisse, renunciantes expresse excepcioni non numerate non solute et non habite pecunie, beneficio restitucionis in integrum, et omni juris auxilio canonici uel ciuilis per quod presens contractus posset aliqualiter inpungnari; attamen hoc adiecto quod predictus Heinricus et omnes sui in ipsa vicaria successores prenominatis domnis noui monasterij dictos quinque solidos denariorum quolibet anno in antea dare et soluere teneantur.

Et pro facienda reconpensa eorundem quinque solidorum ab ipso Heinrico et suis successoribus soluendorum dedimus et per hec scripta damus eidem Heinrico et sepedicte vicarie sue aream unam sitam in curia nostra dicta der Bruderhof, domui pistoris nostri contiguam, soluentem annuatim duos solidos denariorum Conrado magistro fabrice ecclesie nostre, quos duos solidos sepedictus Heinricus vel eius successor dabit tantummodo et soluet quamdiu jdem Conradus vixerit et non ultra.

Jn quorum omnium premissorum testimonium presentes litteras appensione sygilli capituli nostri, quo contenti sumus, duximus roborandas.

Datum anno domini M°.CCC°. secundo, jn die sancti Gregorij.

Sigilli praedicti fascia membranacea ex hac carta suspensi pars inferior decidit.

CLXIII.

1302, die 25. martii.

Manegoldus episcopus coenobio coeliportano piscariam in Hymelstat obligat necnon jure hereditario habendam confert.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod nos dilectis in Christo . . abbatisse et conuentuj sanctimonialium cenobij de Celiporta piscariam illam in Hymelstat, extendentem se a loco dicto zum Sphiche *) prope capellam vsque in fossam dictam zum thiefen Graben, cum omnibus vtilitatibus

*) In altero harum litterarum exemplari legimus: *zum Spiche.*

et pertinenciis suis, soluentem singulis annis octo seruicia quorum quodlibet ad octo denarios herbipolenses se extendit, nobis a Sintramo de Karlstat, qui illam ab ecclesia nostra in feodum hereditarium tenuerat, in nostris manibus libere resignatam, pro decem libris denariorum et dimidia libra denariorum herbipolensium obligauimus et presentibus obligamus, ita quod in festo natalis domini proxime nunc venturo inchoantes huiusmodi seruicia recipere teneantur, quam quidem pecuniam nos recognoscimus recepisse et in vsus nostre ecclesie necessarios conuertisse. Postquam autem dicte sanctimoniales sortem de prefata piscaria receperint principalem, ipsam piscariam quam eis in hiis scriptis conferimus iure hereditario habebunt, vt eo conmodius et liberius diuino cultuj et hiis que ad decorem eius spectant (que ex integri pectoris puteo prout officij nostri requirit debitum desideramus augeri) in posterum intendere valeant et vacare, ita quod nobis et successori nostro pro tempore extunc dicta seruicia debeant annis singulis exhibere.

In quorum premissorum testimonium hoc scriptum eis dedimus, nostri sigilli patrocinio roboratum.

Ego quoque Sintramus predictus recognosco publice in hiis scriptis, quod ius hereditarium piscarie predicte in manibus reuerendi patris et domini M(anegoldi) episcopi herbipolensis libere resignaui et resigno litteras per presentes pure et simpliciter propter deum, vt transferretur in predictas sanctimoniales et earum cenobium prenotatum. Et quia sigillo proprio careo, sigillo predicti domini episcopi sum contentus.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· secundo, VIII°· kalendas aprilis; presentibus Heinrico de Katzenstein plebano in Sande notario nostro, Heinrico rectore ecclesie in Hasefurthe capellano nostro, Wolframo vicario palacij nostri, sacerdotibus; Hugone capellario nostro; fratre Gotfrido et fratre Gernodo conuersis predicti cenobij; ac pluribus aliis fidedignis ad hoc vocatis testibus et rogatis.

Singula Manegoldi episcopi sigilla filis sericis flavi et rubri colorum ex utroque hujus documenti exemplari suspensa sunt.

CLXIV.

1302, die 14. aprilis.

Heinricus praepositus, Arnoldus decanus, Wolframus scolasticus, totumque capitulum ecclesiae herbipolensis pro evidenti ecclesiae utilitate viro discreto Nycolao de sancto Gallo vicario chori redditus triginta solidorum denariorum herbipolensium, ipsi cujuscunque status exstiterit annuatim in festo sancti Martini per portae seu praebendae notarium qui pro tempore fuerit perpetim assignandos, pro pretio triginta librarum hallensium pecuniae per ipsum integre persolutae vendunt, quos redditus Nycolaus antedictus, compos mentis ac sanus corpore, choro ecclesiae supradictae, ut ipsi post obitum suum in ea pro animae suae remedio aequaliter inter canonicos et vicarios ejusdem chori praesentes in missa animarum annuatim in die anniversarii sui ab ipsis more solito peragendi distribuantur pro rata debitae portionis, legat et donat.

Datum anno domini M°·CCC°· secundo, in vigilia festi palmarum.

Sigilla praelatorum trium supra nominatorum necnon capituli majoris ecclesiae herbipolensis fasciis membranaceis ex hac carta suspensa sunt.

CLXV.

1302, die 9. maji.

Manegoldus episcopus vicariam cum perpetuo vicario in ecclesia herbipolensi et in altari sancti Kyliani per abbatem et

conventum monasterii in Hailsbrunnen de novo — accedente capituli ecclesiae herbipolensis consensu — laudabiliter instauratam, ita ut post vigilias matutinas praedictus vicarius missarum solemnia ibidem celebret secundum dei timorem et temporis qualitatem, approbat, ratificat, et omnia in instrumento super instauratione praedictae vicariae confecto, sigillo capituli ecclesiae herbipolensis sigillato, cum omnibus articulis ex certa scientia confirmat et consensus sui patrocinio communit.

Datum et actum anno domini M°·CCC°· secundo, septimo idus maji; praesentibus Johanne, et Heinrico de Kazzenstein, canonicis novi monasterii, notariis episcopalibus; fratre Heilmanno, et fratre Ulrico de Gundelvingen, monachis monasterii hailsprunnensis: et aliis fidedignis.

Acta sunt haec in castro episcopali, videlicet sanctae Mariae, ut supra.

Manegoldi episcopi sigillum fascia membranacea suspensum est.

Instrumentum cujus mentio facta est, datum die 23 mensis januarii, supra sub num. CLIX pag. 269—271 edidimus.

CLXVI.

1302, die 25. maji.

Manegoldus episcopus — quod nobilis vir Albertus de Hohenloch in ipsius praesentia constitutus exposuit atque recognovit expresse, quod advocatiam et omne jus tam in bonis quam in hominibus eidem advocatiae attinens quocunque nomine censeatur, quam idem nobilis et ejus progenitores in villa Gnotstad super bona sive in bonis quae decano et capitulo ecclesiae s. Johannis in Hauge extra muros herbipolenses in ipsa villa pertinent

ipse Albertus et ejus progenitores ab ecclesia herbipolensi titulo feodali tenuerunt, necnon alia bona quaesita et inquirenda et jura quaecunque eidem nobili in supradicta villa quocunque titulo pertinere noscuntur sive in hominibus sive in bonis vendidit et tradidit pro se suisque heredibus vera et pura venditione decano et capitulo ecclesiae s. Johannis in Hauge supradictis, ita quod pro redditibus unius librae hallensium decem librae hallensium, pro uno maldro siliginis sive pro duobus maldris avenae tres librae hallensium, et pro uno maldro tritici tres librae et quinque solidi hallensium in solutione pretii praefatae venditionis dicto nobili solvantur a capitulo memorato, quam pecuniam se confitetur integraliter recepisse, renuntians in ipsius episcopi praesentia exceptioni non numeratae pecuniae, necnon omni alii exceptioni juris et facti per quae dicta venditio posset aliqualiter infirmari: quapropter praefatus nobilis cum instantia supplicavit, quatinus ipse resignationem supradictae advocatiae in Gnotstad et omnium jurium attinentium ab illo nobili recipere, ac eam decano et capitulo ecclesiae s. Johannis conferre titulo proprietatis possidendam perpetuo dignaretur — convocato capitulo ecclesiae herbipolensis non semel sed pluries, et deliberatione praehabita diligenti, adhibita quoque omni juris solemnitate quae in alienatione rerum ecclesiasticarum canones praecipiunt, attendens ut fratres ecclesiae s. Johannis in Hauge (liberati a dominatu advocationis bonorum praedictorum, et soluti a vexationibus saecularium personarum) deo liberius valeant famulari, praedictam advocatiam cum universis juribus attinentibus tam in bonis quam in hominibus ad manus ipsius per supradictum nobilem pro ipso ejusque heredibus resignatam, consensu decani et capituli ecclesiae herbipolensis plenius accedente, et nullo penitus discrepante, saepe dictis decano et capitulo ecclesiae s. Johannis in Hauge confert tradit et confirmat proprietatis titulo perfruendam ac perpetuo possidendam.

Praesentibus testibus: Godfrido praedictae s. Johannis in Hauge, et Wolframo novi monasterii ecclesiarum praepositis; Heinrico de Rannenberg archidiacono, Eberhardo de Tunneveld, ecclesiae herbipolensis canonicis; Johanne protonotario curiae episcopalis, novi

monasterii canonico; magistro Walwano, Andrea Zobelone, Lupoldo et Heinrico dapiferis dictis Hubischman, Cûnrado de Gebesedel, militibus; et pluribus aliis fide dignis.

Datum anno domini M°.CCC°. secundo, in festo s. Urbani martyris.

Sigilla Manegoldi episcopi, capituli majoris ecclesiae herbipolensis, ALBERTI DE HOHENLOCH filis sericis rubri et viridis colorum ex hoc documento magnam partem detrito et iude lectu partim difficillimo suspensa sunt.

CLXVII.

1302, die 2. junii.

Adelheidis priorissa totusque conventus sororum in Rotenburg in causa seu causis quam vel quas ipsis movent seu movere intendunt decanus et capitulum majoris ecclesiae herbipolensis coram officiali curiae herbipolensis fratrem Craftonem de Bockesberg suum constituunt procuratorem, dantes ei plenariam potestatem agendi, defendendi, respondendi, excipiendi, replicandi, litem contestandi, calumniae seu alterius cuiuslibet generis sacramentum in animas ipsarum praestandi, appellandi si necesse fuerit, appellationem prosequendi, alium procuratorem pro se substituendi, et omnia alia faciendi quae vero et legitimo procuratori a lege vel a canone sunt concessa, ratum et gratum habiturae quicquid per dictum procuratorem aut ab eo substitutum ipsarum nomine actum fuerit in praemissis, necnon (ut idem procurator aut ab eo substitutus relevetur ab onere satisdandi) judicatum solvi sub rerum suarum omnium hypotheca promittentes.

Datum anno domini M°·CCC°· secundo, sabbato proximo post ascensionem domini ejusdem.

Sigillum prioratus praedicti quondam fascia de ipsarum litterarum membrana confecta ex hoc procuratorio suspensum jam abscissum est.

CLXVIII.

1302, die 21. julii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum urnam vini sibi de curia Bettenkein census nomine solvendam Johanni et Ekkelino de Ariete germanis vendit.

Nos Heinricus de Wechmar prepositus, et Arnoldus de Spiezhein decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis vniuersis et singulis ad quos presentes peruenerint notitiam subscriptorum.

Cum de curia seu area dicta Bettenkein — confinita uie publice a parte una, ab alijs partibus aree fratrum minorum, et curie dicte Schônental, ac curie dicte Morsbach — nobis et nostre ecclesie singulis annis deberetur urna vini vnici census nomine, et persolueretur a Johanne dicto de Ariete et suis heredibus, procuratoribus fratrum minorum domus herbipolensis, suo et eorundem nomine, dictam vini urnam ob euidentem nostram et nostre ecclesie utilitatem et dictorum fratrum minorum deuotam instantiam, de omnj nostrum et singulorum consensu accedente libero et assensu, Johanni et Ekkelino de Ariete germanis, procuratoribus dictorum fratrum, et alijs quibuscumque qui eisdem in procurationis succedent officio vendidimus et tradidimus iure proprio et in perpetuum nomine suo et dictorum fratrum ad

habendum tenendum et possidendum et quidquid dictis procuratoribus et fratribus deinceps placuerit perpetuo faciendum cum omnibus et singulis in integrum omnjque iure et actione usu seu requisitione nobis uel ecclesie nostre pro dicto censu aut ipsi censui modo aliquo pertinente, et ad manus eorundem resignauimus prout moris est, pro XII libris denariorum herbipolensis monete, quas in pecunia numerata recepimus, et in nostros vtiles et necessarios usus et ecclesie nostre conuertimus de omnj nostrum beneplacito et condicto, promittentes pro nobis et nostris successoribus dictis procuratoribus pro se et sibi succedentibus ac dictis fratribus stipulantibus, litem uel controuersiam eisdem ac fratribus de dicto censu ullo tempore non inferre nec inferenti consentire, set ipsum censum ab omni homine legittime defendere et auctorizare, et predictam uenditionem perpetuo firmam et ratam habere, et non contrafacere uel uenire per nos uel alium aliqua causa uel ingenio de iure uel de facto, prout etiam fuit contractus tempore stipulatum, exceptionj non date non solute non numerate pecunie, dolj malj, et in integrum restitutionis beneficio renuntiantes, ac omnj iuris auxilio canonicj et ciuilis per quod predicta uenditio sev contractus posset quomodolibet impedirj.

Jn quorum euidentiam sigillum nostri capituli duximus presentibus appendendum.

Datum et actum anno dominj M°.CCC°.II°., XII°. kalendas augusti.

Sigilli praedicti filis linteis flavi rubri et coerulei colorum ex hac carta suspensi circumferentia plane perilt.

Sub nomine Morsbach littera r in documento ipso punctum positum invenimus, ita, ut Mosbach legendum esse videatur. Quod punctum, utrum ea quae documentum ipsum exaravit manu positum sit, an alia manu posteriore, pro certo non habemus.

CLXIX.

1302, die 28. julii.

Ecclesia herbipolensis decimam in terrae sanctae subsidium deputatam partim neglectam partim ut dicebatur ablatam in MDCCC libras hallensium aestimatam solvendam suscipit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum venerabilis vir dominus Gabriel plebanus de Valleneto pisanensis dyocesis, collector decime redemptionis votorum et crucis legatorum et obuentionis cuiuslibet terre sancte deputatorum subsidio in maguntina treuerensi coloniensi bremensi magdeburgensi et salzburgensi prouinciis per sedem apostolicam deputatus, ad ciuitatem herbipolensem venisset, et a nobis nostraque ecclesia decimam in terre sancte subsidium deputatam siqua esset neglecta, et quandam pecunie quantitatem a felicis recordationis quondam domino Bertholdo episcopo predecessore nostro collectoribus dicte decime apud eos deposite ablatam vt dicitur exegisset — nos mandatis apostolicis cupientes in hiis et in omnibus aliis ea qua tenemur humilitate et reuerentia obedire, quia de quantitate certa tam decime quam ablate pecunie predictarum veritas non patebat nec poterat inueniri, de consensu et consilio capituli nostri, matura deliberatione prehabita, accedente nichilominus ad hoc prefati domini collectoris consensu expresso, decimam neglectam et pecuniam ablatam de quibus predicitur ad quantitatem sev summam mille et octingentarum librarum hallensium taxandas duximus sev etiam estimandas. De qua quidem pecunie summa ipsi domino collectori quadringentas libras hallensium ad manus persoluimus in parata pecunia sev etiam nume-

rata, septingentas vero libras a festo beati Martini ad vnum annum, et deinde residuas septingentas libras ab illo festo beati Martini tunc proximo ad vnum annum de prelibati capituli nostri consensu supradicto domino collectori sev certo nuncio suo speciale mandatum ad hoc habenti soluere et presentare in predicta ciuitate herbipolensi promisimus et promittimus per presentes.

Et ad solutionem eiusdem pecunie in prescriptis terminis ipsi domino collectori sev certo suo nuncio faciendam*) nos et ecclesiam nostram predictam sub penis, videlicet exconmunicationis et jnterdicti sententiis, quas quidem sententias jdem dominus collector — videlicet exconmunicationem in personam nostram, et jnterdictum in ipsam ecclesiam nostram — exnunc prout extunc in scriptis protulit, si in solutione dicte pecunie in aliquo prefatorum terminorum fuerimus negligentes, de consensu predicti capituli presentibus obligamus.

Quam quidem jnterdicti sententiam si incurrerimus, quod absit, vna cum dicto capitulo nostro iamdicto promittimus vsque ad plenariam solutionem non solute pecunie inuiolabiliter obseruare.

Sane si in aliquo prenotatorum terminorum in solutione tunc debite pecunie non ex culpa vel negligentia nostra deficeremus, eundem terminum in quo sic deficere nos contingeret idem dominus collector ad vnum mensem tunc proximum, infra quem non wult nos et dictam nostram ecclesiam memoratas incurrere sententias, ex speciali gratia ampliauit.

Preterea idem dominus collector suis patentibus litteris nobis datis recognouit et profitetur, se — postquam de dicta summa mille et octingentarum librarum hallensium plene pagatus fuerit, vt est dictum — de omnibus in quibus racione decime neglecte et pecunie ablate predictarum nos et dicta ecclesia nostra sedi apostolice prefate sibi vel collectoribus aliis quibuscumque missis vel mittendis quomodocumque tenebamur nomine ipsius sedis pagatum contentum integra-

*) In carta ipsa scriptum est: *faciende.*

liter et quitatum, nec nos vel dictam ecclesiam nostram vlterius racione earundem decime et pecunie ipsi sedi apostolice vel sibi sev aliis collectoribus quibuscumque missis vel in posterum mittendis teneri in aliquo obnoxios sev etiam obligari, quorum premissorum faciendi auctoritatem a prefata sede apostolica plenam habuit, et de hoc copiam et fidem plenariam nobis fecit.

Sane si nos ante memorate pecunie solutionem cedere vel decedere contingat, successorem nostrum sev illum vel illos cui vel quibus generalis amministratio episcopatus vacante sede episcopali conmissa fuerit ad eius solutionem, que tunc adhuc debetur, sepedicto domino collectori sev nuncio suo certo faciendam sub preexpressis penis de consensu antefati capituli nostri presentibus obligamus.

Jn quorum omnium suprapositorum testimonium et euidentiam pleniorem hoc jnstrumentum nostro et predicti capituli sigillis prelibato domino collectori dedimus firmiter conmunitum.

Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis sepedicte premissa omnia de nostro consensu et consilio recognoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem euidentiam hiis litteris appendentes.

Datum et actum Herbipoli, V^to. kalendas augusti, anno dominj M°.CCC°. secundo.

Sigillorum praedictorum fasciis membranaceis ex hoc documento suspensorum illud Manegoldi episcopi magnam partem decidit.

Pecunia tempore Bertholdi episcopi soluta necnon Herbipoli deposita, quam Gabriel collector papalis memoratus modo „ablatam ut dicitur“ exigit, in documento jam sequente die 9 mensis augusti dato „violenter ablata“ apparet.

CLXX.

1302, die 9. augusti.

Ecclesia herbipolensis partim ob teloneorum obligatorum redemtionem partim ob decimae in terrae sanctae subsidium deputatae solutionem telonea quaedam Rudegero dicto Pfal militi ejusque heredibus pro 900 librarum hallensium summa — pacto illa eodem pretio reemendi adjecto — vendit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum venerabilis vir dominus Gabriel, collector decime deputate in subsidium terre sancte a sede apostolica deputatus, ad ciuitatem herbipolensem venisset, et decimam ad sex annos de redditibus episcopatus a felicis recordacionis domino quondam Bertoldo episcopo predecessore nostro neglectam, ac eciam decimam apud quondam collectores alios depositam ab eodem predecessore nostro violenter ablatam a nobis strictius exegisset — nos, quamuis in hiis culpa prorsus careremus, futura tamen pericula que posset ecclesia nostra de nota inobediencie incurrere precauere, et in hijs ac in aliis humiliter placere sedi apostolice cupientes, de maturo consilio et consensu expresso capituli nostri theloneum in Sande et portarum ciuitatis nostre herbipolensis predicte, heredibus quondam Heinrici de Rebestoc ciuis herbipolensis pro quadringentis minus decem libris hallensium obligatum, et tertiam partem thelonei Mogi lignorum ac aliorum attinencium in Herbipoli, Cv̂nrado de Jsenburg et Woluelino Monetario a..Schakano de nostro consensu pro centum libris obligatam, necnon redditus septem librarum hallensium annuos de toto theloneo Mogi debitos, quos apud viros religiosos . .

abbatem et conuentum monasterij in Eberach, quibus obligati racione recepcionis facte per eos de quondam alio . . Schakano extiterant, parata nostra pecunia redemimus, que siquidem bona ad nos et ecclesiam nostram suo iure spectasse dinoscitur, strennuo viro Rudegero dicto Pfal militi castrensi nostro dilecto, honeste matrone Luckardi coniugi sue, et heredibus eorundem vtriusque sexus masculis et femellis, cuicumque vel quibuscumque eadem bona donauerint uel legauerint aut vendiderint in vita uel in morte, aut in quamcumque personam ecclesiasticam uel mundanam transtulerint quocumque tytulo gratuito uel non gratuito ab eisdem et quouis ipsorum in solidum, mere proprietatis titulo cum pleno rerum dominio et iure, quod exnunc de predicti capituli nostri consensu a nobis et ecclesia nostra penitus abdicamus, hoc ipsum in ipsos et eorum quemlibet transferentes, ac inducentes eosdem in possessionem dictorum bonorum corporalem, perpetim possidenda tenenda et integritate qualibet cum omnibus suis pertinencijs quesitis et inquirendis percipienda, prout et nos et ecclesia nostra ipsa percipere deberemus, pro precio nongentarum librarum hallensium rite et racionabiliter vendidimus et vendimus in hiis scriptis, quod quidem precium confitemur nos habuisse recepisse, et in redempcionem dictorum theloneorum de eodem quingentas libras minus decem libris hallensium, residuam vero precij quantitatem in solucionem tam decime neglecte quam decime ablate de quibus predicitur prefato domino collectori, ut tam nos quam dicta ecclesia nostra a processibus suis contra nos fulminandis releuaremur, per nos factam recognoscimus conuertisse, renunciantes excepcioni non numerate non solute non habite pecunie, decepcionis vltra mediam iusti precij, beneficio restitucionis in integrum, omnique auxilio iuris tam canonici quam ciuilis, publici vel priuati, directi uel indirecti, per quod vendicio predicta posset aliqualiter impediri, promittentes specialiter non agere ad iusti precij subplementum si minoris hec nostra vendicio facta in posterum videatur.

Vt autem predictus Rudegerus, Luckardis coniux eius, ac heredes eorum, et eciam queuis persone in quas dictam tertiam partem thelonei et redditus septem librarum transtulerint securiores

reddantur, promittimus specialiter eisdem, ipsos terciam partem et redditus si necesse fuerit contra . . Schakanum de quo predicitur et heredes suos ac eciam contra quoscumque alios defendere et disbrigare, et de euictione illorum eis prorsus cauere, et nichilominus deponere omne impedimentum quod ipsos occasione nostri uel ecclesie nostre sustinere contigerit in hiis ac bonis ceteris preexpressis, et de eisdem bonis omnibus plenam facere warandiam de bonis proprietariis secundum approbatam ac bonam terre et diocesis nostre consuetudinem fieri solitam, dantes eisdem emptoribus fideiussores, videlicet honorabiles viros Heinricum de Wechmar prepositum maiorem, Andream de Gvndeluingen prepositum ecclesie onolspacensis, Wolframum de Grumbach prepositum ecclesie noui monasterii, Fridericum de Stahelberg, Sifridum de Wechmar, et Heinricum de Rannenberg, dicte ecclesie nostre archidyaconos, quemuis eorum in solidum. Qui siquidem fideiussores, si defensionem disbrigacionem euictionis caucionem impedimentorum deposicionem et warandiam secundum formam premissam non fecerimus, moniti recipient se in obstagium in ciuitate nostra herbipolensi predicta, tamdiu in dampnum nostrum inibi more fideiussorio expensas facturi, nullo ipsorum se per alterum excusaturo, donec huiusmodi defensio disbrigacio euictionis caucio inpedimentorum deposicio et warandia ut predicitur fuerint effectui mancipate. Sane si fideiussorum eorundem aliquis cesserit, recesserit, uel decesserit, promittimus alterum eque ydoneum infra quatuor ebdomadas tunc proxime subintrantes substituere loco sui; alioquin residui fideiussores se modo postquam moniti fuerint recipient prenotato, donec huiusmodi substitutio fuerit adinpleta.

Licitum est tamen nobis, successori nostro qui pro tempore fuerit, aut sede nostra vacante ipsi capitulo nostro, premissa thelonea et redditus apud emptores predictos, Rudegerum, Luckardim, sev heredes eorum, seu apud quascumque personas alias in quas quocumque fuerint translata tytulo de speciali ac irrenocabili per ipsos facta gracia reemere quandocumque decreuerimus pro quantitate precii preexpressi. Ceterum fructus seu redditus et prouentus

de eisdem theloneis et redditibus ante reempcionem perceptos antedictis emptoribus, videlicet Rudegero, Luckardi, et heredibus eorundem, seu personis aliis quibuscumque in quas eadem bona tytulo quocumque transtulerint, in sortem precij principalis vel pro turpi lucro uel questu illicito debebimus nos successor noster aut capitulum nostrum minime computare, quia eosdem fructus seu redditus et prouentus ipsis propter grata et vtilia seruicia nobis et ecclesie nostre predicte inpensa et in posterum ut speramus et confidimus impendenda donacione libera de consensu nostri prefati capituli nunc irreuocabiliter tradimus et donamus, maxime cum theloneum heredibus prefati quondam Heinrici de Rebestoc obligatum hoc anno, si ab eis precio eorumdem emptorum nobis data non fuisset redemptum, perpetuo ab ecclesia nostra alienatum irrecuperabiliter eisdem heredibus propter pactiones in obligacione ipsis facta conprehensas modis omnibus permansisset.

Ad perpetuam autem ac inviolabilem contractus vendicionis antedicte sub formis pactis et condicionibus intersertis pro euidenti nostra et ecclesie nostre vtilitate ac vrgenti necessitate ut premittitur per nos initi atque facti [firmitatem] nostrorum quemlibet successorum de expresso supradicti capituli nostri consensu presentibus obligamus, hoc equidem adiecto specialiter in pactum deducto ac inter cetera premissa minime pretermisso, quod sepedicti emptores et eorum ut predicitur heredes seu in hac parte successores dilectis in Christo .. commendatori et fratribus domus theutonice herbipolensis sex marcas argenti, quarum redditus eisdem pie memorie quondam domnus Jringus episcopus predecessor noster in [recompensam] quorundem dampnorum ipsis illatorum per incendium dinoscitur deputasse, de supradicto in Sande et portarum ciuitatis nostre pretacte theloneo annuatim dare ac persoluere teneantur, ita quod nos uel noster pro tempore successor aut sede ecclesie herbipolensis vacante ipsum capitulum nostrum antedictum emptoribus et eorum heredibus aut successoribus prelibatis easdem sex marcas argenti de predicte ciuitatis nostre herbipolensis precaria annuatim in festo sancti Martini refundere teneamur tanto tempore donec residuas duas partes thelonei Mogi predicti strennuo militi Hermanno dicto Vnrû-

wen et Heinrico de Lŷrheim ipsorumque coniugibus obligatas redemerimus seu absoluerimus, vel ambas uel saltem alteram earundem, ad quas uel quam extunc sepefati emptores liberum ac plenum perpetim habere debebunt de predictarum sex marcarum argenti solucione respectum, ac ipsas exinde annuatim in festo sancti Martini percipere integre et conplete. Alioquin quandocumque in predicto sancti Martini festo sepedictis emptoribus de supradictis sex marcis argenti de precaria nostra uel de partibus sev parte thelonei postquam fuerint redempte non fuerit plenarie satisfactum, extunc monicione premissa prenominati fideiussores modo premisso se recipient donec eorum indempnitati per omnia sit precautum.

Jn quorum omnium premissorum testimonium hoc jnstrvmentum nostro, capituli nostri, et fideiussorum sepedictorum, ac ipsius Rudegeri emptoris est sigillis diligencius roboratum.

Nos quoque Heinricus prepositus, Arnoldus decanus, et capitulum, supradicti, premissa omnia de nostro consensu recognoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem euidenciam hiis litteris appendentes.

Nos eciam fideiussores prenotati ad premissam fideiussionem nos presentibus obligamus, sigilla nostra in eiusdem obligacionis testimonium presentibus apponentes.

Ego eciam Rudegerus miles Pfal prelibatus in supradictorum omnium euidenciam sigillum meum duxi hiis litteris apponendum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· secundo, in vigilia beati Laurencij martiris, pontificatus nostri Manegoldi episcopi predicti anno XV°.

In altero harum litterarum exemplari legimus: *anno quintodecimo.*

Nona ex utroque hujus documenti exemplari sigilla eo quo modo dictum est ordine fasciis membranaceis suspendebantur, aut suspendi debebant.

In altero illa Manegoldi episcopi, capituli majoris ecclesiae herbipolensis, Heinrici de Wechmar, Sifridi de Wechmar, Heinrici de Rannenberg,

RVDEGERI MILITIS DICTI PHAL fere omnino integra, reliqua magnam partem laesa sunt.

In altero illa capituli majoris ecclesiae herbipolensis et Sifridi de Wechmar (quod an suspensum fuerit dubitari potest) jam non restant, illa Manegoldi episcopi et Heinrici de Rannenberg integra, reliqua magnam partem laesa sunt.

CLXXI.

1302, die 28. septembris.

Anshelmus abbas monasterii sancti Burkardi extra muros herbipolenses ordinis sancti Benedicti, patronus ecclesiae parrochialis in Lynach, et Albertus de Talheym canonicus herbipolensis, pastor illius ecclesiae — cum Hermannus filius quondam Conradi de Lynach civis herbipolensis manu coadunata Guthae uxoris bona sua dicta vulgariter ein Lehen, sita in villa superiori Lynach praedicta et ejus marchia, videlicet aream juxta cymiterium cum suis attinentiis, scilicet agris campestribus vineis pratis et ceteris quibuscumque quaesitis aut inquirendis, in quibus quidem bonis precaria ab antiquo consueta patrono loci praedicti competere dinoscitur, pastori vero ejusdem loci de eisdem bonis quinque solidi denariorum herbipolensium census nomine solvi debent, vendiderit rite ac legitime honesto viro Heinrico dicto de Crutheym praebendario ecclesiae herbipolensis, dominorum ibidem notario, ita quod ipse transferendi eadem bona cum ipsius precariae necnon census onere quocumque titulo gratuito vel non gratuito in quamcumque vel quascumque personas ecclesiasticas vel mundanas tam in vita quam in morte liberam habeat ac habere debeat potestatem, pro precio septem librarum et decem solidorum denariorum herbipolensium pecuniae in parata et numerata quantitate persolutae conjugibus ante-

dictis, qui etiam ore manu et calamo pro se et suis heredibus secundum terrae consuetudinem renuntiaverunt omni juri quod ipsis in praefatis dinoscitur competiisse bonis — ad eorundem conjugum preces, pensantes ex hujusmodi bonorum alienatione juri suo in nullo penitus derogari, verum potius id ipsum et ipsius parrochiae conditionem ex hoc posse meliorari, venditionem praedictam secundum formam praeexpressam ratam et gratam habent.

Datum anno domini M°·CCC°· secundo, in vigilia Mychahelis archangeli; praesentibus dominis Goltsteyno, Conrado Blumelin, Eberhardo de Tunnefelt, Reimbotone de Niperg, canonicis herbipolensibus; Conrado de Vilingen sacerdote; et ceteris testibus fidedignis.

Sigilla Anselmi abbatis s. Burkardi et Alberti de Talheim dictorum fasciis membranaceis ex hac carta suspensa sunt.

CLXXII.

1302, die 2. octobris.

Ecclesia herbipolensis obligationem telonei in Hergolshusen Cûnrado dicto Studigel factam ejus filiis Cûnrado et Aploni renovat.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis inspectoribus presentium recongnoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum Cûnradus et Aplo nati quondam Cûnradi dicti Studigel subscriptos redditus, videlicet de theloneo piscium herbipolensi VIII°· libras denariorum, jtem de vla siue theloneo ouariorum herbipolensi trium librarum denariorum, et de scampnis siue mensis panum apud judicium sitis duarum librarum et dimidie denariorum redditus annuos, et alios quos-

cunque quesitos et non quesitos de dictis theloneis seu mensis redditus prouenientes a nobis et ecclesia nostra in feodum tenerent, salua nobis tamen seu successori aut capitulo nostro eosdem redditus quandocunque ex speciali amicicia pro ducentis libris hallensium potestate libera reemendi — iidem fratres, grauibus debitorum honeribus oppressi, ad nos venientes nobis humiliter supplicarunt, vt pro releuatione eorundem onerum eis indulgere vellemus quod strenuis viris Kûnoni et Friderico militibus et Johanni de Rebstoc fratribus et heredibus eorum vtriusque sexus licitum sit eis vendere eo iure quo ipsi tenuerunt redditus supradictos.

Vnde nos, necessitatem eorum conpassiuo animo respicientes, de consensu nostri capituli licenciauimus et indulsimus eis vendere predictos redditus eo iure quo illos tenuerunt supradictis fratribus de Rebstoc sub modis et pactis in jnstrumento exinde confecto specialiter conprehensis.

Et quia iidem venditores redemptis dictis redditibus apud eos centum libras hallensium de pecunia redemptionis huiusmodi conuertere debuerunt ad bona aliqua secundum nostrum vel successoris nostri consilium a nobis et ecclesia nostra iure castrensis feodi ad castrum Klingenberg tenenda perpetim et habenda, ad supplicacionem eorum de consensu nostri capituli onus huiusmodi castrensis feodi de predictis redditibus transferentes, theloneo in Hergolshusen, quod iidem fratres a nobis et ecclesia nostra tenent pro ducentis libris hallensium obligatum, imponimus per presentes.

Et quia obligacionis huiusmodi jnstrumentum antea confectum propter huiusmodi variationem modis omnibus est cassatum, nos prefatis fratribus et eorum heredibus vtriusque sexus memoratum theloneum in Hergolshusen cum omnibus pertinenciis suis quesitis et non quesitis quocunque nomine censeantur pro ducentis libris hallensium, in quibus quondam Cûnrado dicto Studigel aduocato nostro in Ruheneke patri eorum pro expensis et dampnis quas et que idem in nostris et ecclesie nostre obsequiis videlicet in iustorum bellorum et conflictuum certaminibus ac precipue in obsidione castri Liehtinstein aliisque necessitatibus vrgentibus et

euidentibus vtilitatibus ipsius ecclesie nostre (sicut nobis dum adhuc vixerat lucide conputauit) fecit pariter et recepit esse recongnoscimus obligatum, immo reneuando eandem obligationem dictis fratribus videlicet Cůnrado et Aploni eorumque heredibus vtriusque sexus dictum theloneum cum pertinenciis suis pro supradictis ducentis libris de consensu nostri capituli presentibus obligamus, tamdiu tenendum et percipiendum quousque nos vel successor noster illud cum pertinenciis suis redemerimus pro summa pecunie preexpressa. Nolumus tamen ut quidquam de perceptis de dicto theloneo et pertinenciis suis ante redemptionem eisdem siue pro se siue pro dicto patre eorum qui illud antea habuit obligatum in sortem principalem vel turpe lucrum aliquatenus debeat conputari, quia id eis libera donatione de prefati capituli consensu donauimus presentibus et donamus, presertim cum dictus pater eorum non solum a puericia sua in dicte nostre ecclesie seruiciis sedulus fuerit et fidelis, jnmo etiam bona sua propria pro necessitate vtilitate et honore ipsius ecclesie nostre, sicut nobis verissime constat, alienarit sev etiam obligarit, ita quod in perceptione dicti thelonei vltra sortem facienda tempore quantocunque dampna que pro ipsa ecclesia nostra pertulit ipsis non poterunt aliqualiter compensari.

Postquam autem dictum theloneum a dictis fratribus seu heredibus eorum fuerit redemptum, centum libras hallensium de ipsa redempcionis pecunia ad bona alia secundum nostrum vel successoris nostri consilium conuertent iure castrensis feodi a nobis et dicta nostra ecclesia tenenda perpetim et habenda.

Sane successorem nostrum ad omnium premissorum obseruantiam de consensu dicti nostri capituli presentibus obligamus.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum nostro et predicti capituli sigillis est diligencius roboratum.

Nos quoque H(einricus) prepositus, Ar(noldus) decanus, totumque capitulum ecclesie predicte premissa omnia de nostro consensu recongnoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem euidenciam hiis litteris appendentes.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CCC°. secundo, VI^to. nonas octobris.

Sigilla duo praedicta filis linteis rubri et viridis colorum ex hac carta suspensa sunt.

CLXXIII.

1302, die 17. octobris.

Henricus de Wechmar vicariae perpetuae apud altare quod Hermanni episcopi dicunt a se ordinatae redditus oblationis suae hereditariae in Gibelstat donatione inter vivos tradit.

Nos Henricus de Wechmar dei gratia prepositus ecclesie herbipolensis presentium inspectoribus constare cupimus vniuersis, quod de capituli nostri consensu perpetue vicarie cori ecclesie predicte, quam apud altare dictum recolende memorie venerabilis patris Hermanni eiusdem ecclesie quondam episcopi constituimus et ordinauimus, ceteris redditibus*) ac prouentibus eidem vicarie per nos antea traditis et donatis non obstantibus, singulos ac vniuersos redditus prouentus obuenciones cum suis appendicijs et pertinenciis quesitos et inquirendos quocumque nomine censeantur oblacionis nostre hereditarie in Gibelstat, quam a solucione canonis scilicet quatuor maldrorum tritici et quatuor vnciarum denariorum herbipolensis monete de predicti capituli consensu exonerauimus, eodem canone tredecim jugera vineti siti in posteriori nouo monte ad nos nomine oblacionis hereditarie spectancia onerantes, a vicario loci predicti qui pro tempore fuerit vt exinde conuenientem

*) In carta ipsa scriptum est: *redditibus*.

habere valeat sustentacionem percipiendos tanto tempore donec per nos aut fidecommissarios sev executores testamenti nostri supradicte vicarie equiualentes annuj redditus iure proprietatis fuerint assignati, libera donacione inter viuos deputamus tradimus et donamus, quam assignacionem jnfra terminum fieri volumus a mortis nostre tempore numerandum.

Si vero fidecommissarij seu executores testamenti nostri predicti in assignacione predictorum reddituum negligentes extiterint, capitulum prenominatum ad curiam nostram Luden adque omnes alias oblaciones nostras hereditarias respectum habebit, donec dicta assignacio compleatur.

Ne igitur super hac nostra donacione inter viuos contingat inposterum dubium suboriri, hoc scriptum nostri sigilli patrocinio fecimus communiri.

Nos quoque Arnoldus decanus et capitulum antedictum in recognicionem nostri consensus sigillum nostrum presentibus duximus appendendum.

Datum anno domini M°·CCC°· secundo, XVI°· kalendas nouembris.

Sigilla duo praedicta fasciis membranaceis ex hac carta suspensa sunt.

Illius copia — per officialem curiae herbipolensis anno domini M°·CCC°·XL°· sabbato post nativitatem beatae Mariae virginis transscripta et sigillo officialitatis munita — exstat.

Documentum huc spectans, die 16 mensis octobris 1298 datum, supra sub num. CXIV pag. 205—207 edidimus.

CLXXIV.

1302, die 8. novembris.

Sententia definitiva de pleno canoniae in ecclesia s. Johannis in Hauge ab Heinrico de Meiningen ordinatae jure lata.

In nomine dominj amen.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum per frequentem clamorem et clamosam insinuacionem fidedignorum ad aures nostras non solum semel sed sepius peruenerit, quod quamuis olim magister Heinricus de Meiningen canonicus ecclesie sancti Johannis in Havge ad laudem et honorem dei pia ac sancta intencione de bonis suis propriis a deo sibi datis prebendam vnam cum pleno iure canonie in predicta ecclesia sancti Johannis in Havge (augendo numerum canonicorum et prebendarum in vna persona) de consensu dilectorum in Christo . . decani et capituli eiusdem ecclesie de nouo et ex integro ordinasset, [auctoritatem] primi episcopi antecessoris nostri et capituli herbipolensis ac demum sedis apostolice obtinendo — iidem tamen . . decanus et capitulum sancti Johannis, licet postmodum ad dictam prebendam aliquas personas receperint et admiserint iuxta institucionem ipsius prebende in canonicos et in fratres, nunc predictam ordinacionem piam et sanctam temeritate propria irritantes, de canonia predicta vicariam fecerunt, personam ad ipsam prebendam institutam ad iura canonie minime admittentes.

Nos huiusmodi clamoribus incitati ad corrigendum huiusmodi defectum et excessum prout nostri est officii, et ad cognoscendum primo de ipso procedere cupientes, predictam insinuacionem nobis factam exponj fecimus . . decano et capitulo sepedictis.

Quibus ad respondendum super hiis in nostra presencia constitutis, tandem ijdem . . decanus et capitulum post quasdam excusaciones eorum propositas in eo nobiscum concordauerunt, quod — facta inquisicione in ecclesia eorum super premisso negocio per dilectos in Christo . . maioris et . . in Sande ecclesiarum herbipolensium plebanos de consensu ipsorum a nobis deputatos — eandem jnquisicionem deberemus prout inueniremus secundum deum et iusticiam diffinire.

Facta igitur inquisicione de premissis diligenti in ecclesia supradicta, dictis . . decano et capitulo feriam secundam proximam ante festum apostolorum Symonis et Jude pro termino peremptorio conparendi coram nobis prefiximus, super premisso negocio diffinitiuam sentenciam audituris.

Jn quo termino veniente . . decanus et pocieres de capitulo dicte ecclesie in nostri presencia constituti copiam attestacionum et aliorum processuum predicte inquisicionis sibi fieri petiuerunt, et terminum ad impugnandum processum nostrum, et obiciendum in dicta et personas testium eorundem, et alias ad proponendum siquod eis racionabile videretur.

Quorum peticioni annuentes, eisdem . . decano et capitulo copiam omnium jnquisitorum que requirebant dari fecimus, prefigentes eis alium terminum, videlicet feriam terciam post festum omnium sanctorum, diffinitiuam super premissis sentenciam audituris, ante quem quidem terminum omnibus aliis induciis cessantibus et peremptis omnes excepciones tam peremptorias quam dilatorias tum contra nos tum contra dictos jnquisitores tum contra personas et dicta testium eorundem tum eciam contra formam et processus tocius inquisicionis sibi competentes proponere deberent.

Jn quo quidem termino adueniente nil penitus proponere curauerunt, sed ob spem compositionis amicabilis attemptande eundem terminum vsque ad quintam feriam proxime subsequentem continuari petiuerunt.

Cuius terminj continuacione sic per nos facta, quia nec infra illum nec in eodem aliquis tractatus conposicionis amicabilis intercessit, nec ex parte eorum fuit aliquid racionabile propositum propter quod deberet finis ipsius negocii vlterius prorogari, nos conclusione in ipso negocio sic facta, visis et auditis probacionibus et circumstanciis dicti negocii, deliberacione nichilominus matura prehabita cum peritis, quia nobis per sufficientes lucidas et claras probaciones constitit tum per scripturas *) tum per deposiciones canonicorum et vicariorum dicte ecclesie luce clariores tum per alia quamplurima aminicula ad hoc non modicum suffragancia, prebendam de qua predicitur esse sacerdotalem, et cum pleno iure canonie ab inicio legitime institutam eandem prebendam fore canonicalem, quodque nullus de cetero ipsam habeat nisi sacerdos bone vite et fame ac conuersacionis honeste, promotus ex electione supradictorum . . decani et capituli, et quod — in eleccionibus habendo vocem liberam tam actiuam quam passiuam, videlicet eligendo et se eligi permittendo ad quaslibet ipsius ecclesie dignitates et honores, consenciendo et contradicendo in jnstitucionibus destitucionibus oblagiorumque sev oblacionum diuisionibus distribucionibus et participacionibus ac in tractandis et agendis negociis necnon in participandis honoribus et vtilitatibus vniuersis ipsius ecclesie in Havge vna cum ipsis canonicis prout cuilibet eorum competit, preter annum gracie, et preter corpus prebende communis quod in panis vini et denariorum septimanalium cottidiana et hactenus obseruata . . prepositi et cellerarij ipsius ecclesie aministracione consistit, cum corpus istius prebende certos et distinctos redditus per se habeat — omne ius ex prima institucione habere debeat, et in posterum perpetuis temporibus habeat, pronunciamus per hanc nostram diffinitiuam sentenciam in hiis scriptis, restituentes ex nunc libere dilectum in Christo Johannem sacerdotem virum ydoneum et honestum iam in illa prebenda institutum ad omnia iura predicta et possessionem sev quasi possessionem omnium predictorum, non obstante si de facto (cum non de iure) predecessores sui vel ipse ex negligencia eorum incuria aut

*) In documento ipso legimus: *sculpturas.*

remissione aliquando sev eciam quocienscumque de premissorum possessione sev quasi possessione in toto vel in parte eiecti fuerunt vel se eici permiserunt.

Nichilominus eciam propter excessum supradictum, ne impunitus transeat, eosdem . . decanum et capitulum ad condignam penam per eandem sentenciam condempnamus, eis loco et tempore prout eorum exegerit rebellio exprimendam et eciam infligendam, mandantes eisdem . . decano et capitulo in virtute sancte obediencie vt memoratum Johannem ad omnia iura premissa restituant et admittant, contradictionis obstaculo quolibet proculmoto, ne monicione legitima preuia eos ad hoc censura ecclesiastica cogere conpellamur.

Lata vero est hec sentencia in castro montis beate virginis herbipolensis, anno dominj M°·CCC°· secundo, predicta feria quinta post festum omnium sanctorum; presentibus Anshelmo abbate monasterii sancti Burchardi; Friderico dicto Spete canonico et plebano ecclesie nostre; Heinrico . . decano predicte ecclesie in Havge, Theoderico scolastico, Heinrico de Wipuelt cantore, . . dicto Betelman custode, canonicis ipsius ecclesie in Havge; jtem fratre Eberhardo lectore domus predicatorum herbipolensis; fratre Alberto de Argentina de ordine minorum domus herbipolensis; Heinrico canonico nouj monasterij notario nostro dicto de Katzenstein; Conrado plebano sancti Burchardi, Heinrico plebano in Hasefurthe, Wolframo vicario ecclesie nostre, capellanis nostris; Hugone capellario nostro; et pluribus aliis tam secularibus quam religiosis clericis testibus fidedignis.

Jn quorum omnium predictorum testimonium istius sentencie jnstrumentum nostro sigillo fecimus roborari.

Datum Herbipoli, anno et die vt supra, pontificatus nostri anno XV°.

Manegoldi episcopi sigillum filis sericis flavi rubri et viridis colorum ex hoc documento suspensum integrum est.

CLXXV.

1303, die 11. januarii.

Manegoldus episcopus monasterio eberacensi aream in Jppehoven sitam — conditione ne alias ibidem possessiones sine ipsius consensu acquirat adjecta — pro annuo censu vendit.

Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis harum serie litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod nos viris religiosis . . abbati monasterii in Eberach et suo conuentui aream vnam sitam in cimiterio ecclesie sancti Viti in Jppehouen ante fores ipsius ecclesie pro annuo censu videlicet decem solidorum hallensium perpetuo contulimus et conferimus in hiis scriptis, quem quidem censum magister grangie in Rotelse nobis sev successori nostro singulis annis soluet.

Preterea dicti abbas et conuentus nullas prorsus possessiones sev bona in territorio dicti opidi Jppehouen conparabunt, sicut promiserunt, sine nostra vel successoris nostri licentia speciali. Sane si qua bona eis fuerint donata, vel ex testamentis decedentium relicta, illa vendere aliis tenebuntur, nisi a nobis vel successore nostro eis illa indultum fuerit retinere.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum eisdem abbati et conuentui dedimus, nostri sigilli patrocinio roboratum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· tercio, III°· jdus januarii; presentibus H(einrico) preposito maiore, Wolframo de Grûmbach scolastico, H(einrico) de Rannenberg, archidiaconis ecclesie nostre; Hartmûdo cellerario dicti monasterii; Johanne prothonotario nostro; et pluribus aliis testibus fidedignis.

Manegoldi episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum partim laesum est.

Andreas episcopus hanc antecessoris sui concessionem die 30 mensis januarii anni 1304 confirmavit.

CLXXVI.

1303, die 4. martii.

Heinricus de Brunecke ejusque heredes ecclesiam herbipolensem de redemtione decimae in Frickenhusen sibi quondam pro 500 libris hallensium obligatae indemnem reddunt.

Nos Heinricus nobilis de Brunecke, Godfridus filius suus, ceterique sui heredes harum serie litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod reuerendus in Christo pater et dominus noster dominus M(anegolfdus) episcopus herbipolensis decimam in Frickenhusen nobis ab ecclesia herbipolensi pro quingentis libris hallensium pignori obligatam redemit, et de eisdem quingentis libris nos pagauit integraliter et quitauit, quam quidem peccuniam recognoscimus nos habuisse recepisse, et in vsus nostros necessarios et vtiles conuertisse, renunciantes excepcioni non numerate non solute non habite pecunie, et omni juris auxilio canonici et ciuilis per quod dici posset non esse dicta solutio effectui mancipata.

Preterea memorato domino nostro episcopo et suis successoribus fructus de dicta decima ante eius redempcionem perceptos remisimus et remittimus simpliciter et precise, renunciantes similiter omni actioni siqua ad predictum dominum nostrum episcopum vel successorem suum aut ecclesiam eius nobis competit pro eisdem, et specialiter omni juri siquod ad dictam decimam habere videremur,

et litteris sev instrumentis quibuscumque super ipsa nobis datis, necnon omni comodo earundem, jmmo easdem litteras seu jnstrumenta si ex postfacto apparerent pronunciantes exnunc inualidas et infirmas.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum prefatis domino nostro episcopo et ecclesie sue dedimus, nostrorum Heinrici et Godfridi predictorum et nobilis viri Godfridi de Brunecke patrui nostri sigillis diligencius roboratum.

Nos quoque Godfridus de Brunecke nobilis iam dictus huic scripto ad petitionem dictorum patruorum nostrorum nostrum sigillum duximus in predictorum euidentiam apponendum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· tercio, IIII^to· nonas marcij.

Sigilla HeinRICi de HoheNLOH et GOTFRIDI DE HOHENLOCH necnon secretum GOTFRIDI de Hohenloh fasciis membranaceis ex hac carta suspensa sunt.

CLXXVII.

1303, die 8. aprilis.

Manegoldus episcopus — considerans quod in ecclesia onolspacensi praebendarum redditus sunt adeo tenues et exiles quod divinorum obsequiis adeo commode ut affectat intendere non potest — decano et capitulo ecclesiae dictae humiliter subsidium postulantibus, quo liberius possint se in divinis officiis exercere, de consensu capituli herbipolensis expresso parrochialem ecclesiam in Forst dioecesis herbipolensis, cujus juspatronatus ad ipsum et ecclesiam herbipolensem spectarat, in subsidium dictarum praebendarum concedit donat et tradit, illam in eos et eorum ec-

clesiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis pleno proprietatis et possessionis jure seu titulo transferens, ita quod fructus seu proventus ejusdem ecclesiae cum vacaverit in subsidium dictarum praebendarum convertere valeant, proviso quod cura animarum in dicta ecclesia minime negligatur, quodque in illa perpetuus instituatur ab eis vicarius ipsi et archidiacono loci praesentandus, cui tantum de proventibus dictae ecclesiae ad episcopi taxationem et aestimationem relinquatur quod hospitalitatem tenere et de juribus episcopalibus et archidiaconalibus respondere et alia possit incumbentia onera supportare.

Datum Herbipoli. anno domini M°.CCC°.tertio, VI^to. idus aprilis.

Manegoldi episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis sigilla filis sericis flavi rubri et viridis colorum ex hac carta suspensa sunt.

CLXXVIII.

1303, die 9. junii.

Manegoldus episcopus pro anniversario suo celebrando custodiae ecclesiae herbipolensis vinetum in Frickenhusen situm una cum ejusdem decima donat.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod nos — in ecclesia nostra cupientes nostrum anniuersarium ut moris est post mortem nostram annis singulis celebrari — quatuor jugera vineti in monte dicto Vischer sita in territorio Frickenhusen, per nos comparata ab Heinrico dicto Schoploch et dicto . . Volkach fratribus de Frickenhusen pro precio centum et octo librarum hallensium, non bonis ecclesie nostre

sed pecunia nostra propria per nostram industriam conquisita, honorabili viro Wol(framo) de Grumbach custodi ecclesie nostre predicte et singulis successoribus suis pro tempore subintrantibus ad officium custodis vna cum decima eiusdem vineti de consensu capituli nostri in meram proprietatem donamus et tradimus per presentes, sic quod idem custos uel successor suus in die anniuersarij nostri, quod canonici et vicarij dicte ecclesie nostre annis singulis celebrabunt prout hactenus aliorum predecessorum nostrorum anniuersaria celebrari est consuetum, tres libras denariorum inter ipsos canonicos et vicarios in vigilia et in missa animarum presentes tantum diuidere seu distribuere post mortem nostram in antea teneatur, ut nostre anime memoriam habeant fideliter et deuote.

Quamdiu autem uixerimus, nichilominus predictorum denariorum fiet distribucio inter supradictos canonicos et vicarios singulis annis aliquo die certo, quo cum vigilijs et missa animarum predecessorum nostrorum memoria habeatur.

In quorum premissorum testimonium hoc scriptum sibi dedimus, nostro et predicti nostri capituli sigillis diligencius roboratum.

Nos quoque H(einricus) prepositus, F(ridericus) decanus, et capitulum ecclesie herbipolensis predicte premissa omnia de nostro consensu recognoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem euidenciam hijs litteris appendentes.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· tercio, quinto ydus junij.

E Lupoldi de Bebenburg libro quem dicunt copiarum pag. 415 et 416 hoc „privilegium Manegoldi episcopi de anniversario suo singulis annis peragendo in choro sancti Kyliani et sociorum ejus“ edidimus.

Manegoldi episcopi testamentum, die 26 mensis junii conditum, quod infra sub num. CLXXX pag. 311—313 edemus, huc conferri potest.

In regestorum boicorum vol. V pag. 49 haec carta falso diei 26 mensis junii tribuitur.

CLXXIX.

1303, die 13. junii.

Ecclesia herbipolensis redditus quosdam in Frickenhusen et karratam vini franconici de decima sua ibidem Rudegero dicto Phal, pacto reemtionis adjecto, vendit.

Manegoldus dei gracia episcopus herbipolensis harum serie litterarum recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum propter graues expensas quas in obsequio serenissimi domini nostri Al(berti) Romanorum regis et inperij fecimus essemus grauibus debitorum oneribus pregrauati, et eisdem debitis non modica dampna per obstagia seu recepciones fideiussorias cottidie accrescerent — nos timentes ecclesiam nostram dampna ex hoc irrecuperabilia incurrere, vniuersorum et singulorum de capitulo nostro conuocatorum requisiuimus consilium, qualiter possemus huiusmodj dampnorum pericula precauere.

Quibus communiter placuit, per alienacionem viginti librarum hallensium reddituum de redditibus et censibus nostris in Frickenhusen et unius karrate vini franconici de decima nostra ibidem, que quidem alienacio ista uice dicte ecclesie nostre minus dampnosa existoret, dampnis occurrere supradictis.

Vnde de consilio et consensu predicti nostri capituli strennuo viro Rudegero dicto Phal, Luckardi*) coniugi sue, et heredibus eorundem simul et insolidum supradictos redditus, videlicet viginti librarum hallensium et vnius karrate vini, singulis annis in festo epyphanie domini eis soluendos, vel cuicumque uel quibuscumque personis ecclesiasticis uel mundanis cui uel quibus eosdem redditus

*) Ita quod scriptum est *Luckardo* correximus.

donauerint uel legauerint in vita uel in morte aut uendiderint seu eos in illam uel illas transtulerint quocumque tytulo gratuito uel non gratuito, pro precio ducentarum librarum hallensium tytulo proprietatis uendimus rite et racionabiliter in hijs scriptis. Quod quidem precium recognoscimus nos habuisse recepisse, et in usus nostros necessarios et utiles (uidelicet in solucionem debitorum de quibus predicitur) conuertisse, renunciantes exceptioni non numerate non solute non habite pecunie, restitucioni in integrum, exceptioni ultra dimidiam iusti precij, accioni doli mali et in factum, et omni iuris auxilio canonici et ciuilis per quod dicta posset uendicio in toto uel in parte quomodolibet infirmari, predictosque emptores in possessionem corporalem dictorum reddituum inducentes, et illos a nobis et ecclesia nostra abdicantes manu et calamo · ut est moris, ac in eos cum pleno rerum dominio transferentes.

Vt autem in huiusmodj reddituum empcione eis plenius caueatur, promittimus eis de euiccione eorundem prorsus cauere, et facere warandiam que werschaft uulgariter dicitur de bonis proprietarijs solitam secundum ius ac terre Franconie consuetudinem hactenus obseruatam, dantes eis fideiussores uidelicet honorabiles viros H(einricum) prepositum maiorem, Wol(framum) prepositum noui monasterij, et H(einricum) de Rannenberg, prelatos dicte ecclesie nostre. Qui, si prefati coniuges uel heredes eorum seu quecumque persona uel persone in quam uel quas illos redditus transferent quocumque tytulo gratuito uel non gratuito in uita uel in morte in dictis redditibus ex postfacto quocienscumque et quandocumque brigam uel inpedimentum aliquod sustinuerint, moniti in ciuitate herbipolensi tamdiu in obstagium se recipient, in dampnum nostrum uel successoris nostri expensas more fideiussorio faciendo donec briga uel inpedimentum huiusmodi per nos uel successorem nostrum omnimodis tollerentur. Sane si aliquis fideiussorum cesserit, uel decesserit, sibi alium eque ydoneum substituere promittimus infra mensem tunc proximum loco sui. Alioquin superstites fideiussores moniti tamdiu modo preexpresso se recipient donec substitucio huiusmodj fuerit effectui mancipata.

Preterea fructus ante dictorum redditnum reempcionem percepti prefatis emptoribus in sortem principalem seu turpe lucrum non debent aliquatenus conputari, nam eosdem fructus eis propter sua grata seruicia nobis et ecclesie inpensa et inposterum inpendenda libera donacione donamus.

Licitum est tamen nobis, successori, seu capitulo nostro sede uacante, de predictorum coniugum speciali fauore quo nos et predictam ecclesiam amplectuntur, supradictos redditus hallensium et vini reemere quandocumque nobis facultas affuerit pro summa pecunie pretaxata.

Vt autem omnia supradicta firmiori funiculo solidentur, successorem nostrum ad omnium premissorum obseruanciam de predicti nostri capituli consensu presentibus obligamus.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum eis dedimus, nostri capituli sepedicti, et fideiussorum ipsorum sigillis diligencius roboratum.

Nos quoque H(einricus) prepositus, F(ridericus) decanus, et capitulum, prelibati, premissa omnia et singula de nostro consensu recognoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem euidenciam hijs litteris appendentes.

Nos etiam fideiussores predicti ad prehabitam fideiussionem nos presentibus obligamus, sigilla nostra eisdem in dictorum euidenciam appendentes.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°CCC°. tercio, jdus junij.

E Lupoldi de Bebenburg libro quem dicunt copiarum pag. 416—419 hoc „privilegium Manegoldi episcopi de venditione reddituum in Frickenhusen“ edidimus.

CLXXX.

1303, die 26. junii.

Manegoldi episcopi testamentum.

Jn nomine domini amen.

Ego Manegoldus dei gratia episcopus herbipolensis, sanus mente licet debilis corpore, certus de morte sed incertus de tempore et hora mortis, nolens intestatus decedere, testamentum sev vltimam voluntatem meam condo et facio presentibus in hunc modum.

Jn primis igitur donaui et dono donacione inter viuos quinque iugera vineti vel paulo plus sita in territorio Frickenhusen, per meam industriam propria pecunia conquisita, ad officium custodis ecclesie mee maioris, de quibus quidem jugeribus custos qui pro tempore fuerit in anniuersario meo singulis annis maioribus vigiliis et missa vt moris est peragendo tres libras denariorum inter canonicos et vicarios dicte ecclesie mee presentes tamtum in ipsis vigiliis atque missa dabit et distribuet, vt mee anime memoria habeatur.

Jtem conparaui ad ecclesiam sancti Johannis in Hauge redditus XXX^{a} solidorum denariorum, distribuendorum similiter inter canonicos et vicarios ibidem pro anniuersario meo modo premisso in eadem ecclesia annis singulis peragendo.

Jtem conparaui ad ecclesiam sancti Johannis ewangeliste noui monasterii similiter redditus XXX^{a} solidorum denariorum, eodem modo inter canonicos et vicarios distribuendorum in meo anniuersario in ipsa ecclesia vt dictum est annis singulis celebrando.

Jtem conparaui ad monasterium sancti Burchardi redditus perpetuos decem solidorum denariorum.

Jtem ad monasterium sancti Stephani tantum.

Jtem ad monasterium Scotorum redditus V solidorum denariorum.

Jtem ad cenobium sancte Afre tantum.

Jtem ad cenobium Celiporte tantum.

Jtem ad cenobium paradysi in Heittingesvelt tantum.

Jtem ad monasterium Celle superioris tantum.

Jtem ad cenobium Celle inferioris tantum.

Jtem conparaui ad cenobium sancti Marci redditus X solidorum denariorum, vt tam ibi quam apud fratres predicatores meum anniuersarium peragatur.

Similiter ad cenobium sancte Agnetis tantum, vt etiam tam ibi quam apud fratres minores meum anniuersarium sicut et in omnibus predictis monasteriis et cenobiis annis singulis debeat celebrari.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum in memoriam perpetuam meo et ecclesiarum monasteriorum et cenobiorum predictorum sigillis est diligentius roboratum.

Et ne *) huiusmodi anniuersarii mei celebracio occasione aliqua negligatur, statuendo decerno, quod distributores dictorum denariorum qui ad hoc deputati fuerint ad eorundem denariorum distribucionem in meo anniuersario sub pena excommunicacionis — quam ipsos, si distribucionem huiusmodi tempore debito facere neglexerint, incidere volo — ipso facto obligati sint firmiter et astricti: a qua quidem excommunicacione, cuius absolucio soli episcopo conpetet, absolui non debebunt donec de negliencia huiusmodi satisfaciant conpetenter.

Nos quoque . . prepositi . . decani et capitula, abbates . . abbatisse . . priorisse et conuentus ecclesiarum monasteriorum et cenobiorum predictorum premissa bona et redditus nobis per prefatum dominum nostrum episcopum recognoscimus conparatos et etiam assignatos. Et ob hoc ad celebrandum anniuersarium predicti

*) In litteris ipsis legimus: *et et ne.*

domini nostri episcopi in singulis nostris ecclesiis nos modo premisso perpetuo presentibus obligamus, sigilla nostra in eorundem euidentiam hiis litteris appendentes.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CCC°. tercio, VI^to. kalendas julij.

Sedecim sigilla filis lineis variorum colorum ex hoc documento suspensa sunt.

CLXXXI.

1303. die 29. augusti.

Albertus Romanorum rex semper augustus venerabili Andreae electo herbipolensi devoto suo dilecto, ut amministrationem temporalium et exercitium regalium feodorum usque ad epiphaniam domini venturam proxime exercere valeat, auctoritate praesentium indulget.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo tertio, IIII°. kalendas septembris, indictione prima, regni vero anno sexto.

Alberti regis sigilli quod dicunt majestatis ex his litteris fascia membranacea suspensi pars sinistra decidit.

Quod infra sub. num. CLXXXVI pagg. 319 et 320 edemus diploma, die 20 mensis martii anni 1304 datum, huc conferri potest.

CLXXXII.

1303, die 4. decembris.

Albertus dictus Colner de Rotinstene cum consensu et voluntate domini C(unradi) comitis de Wilperc pro remedio suae animae, patris ac matris, et aliorum parentum suorum ecclesiae herbipolensi de decima in Wizinse novem mezzin siliginis ac totidem avenae in elemosinam annuatim confert dandum.

Testes sunt hujus rei: Albertus de Swinshobt, Karl de Lihtinstein, Boppe dictus Zom. Heinricus de Vustat, Fridericus cellerarius, et alii quam plures.

Datum anno domini M°·CCC°·III°., pridie nonas decembris.

SIGILLVM · COMITIS · CVNRADI · DE · Wilperc fascia membranacea ex his litteris suspensum est.

CLXXXIII.

1304, die 30. januarii.

Andreas episcopus monasterio eberacensi aream in Jppehoven sitam a Manegoldo praedecessore suo pro annuo censu collatam — conditione ne alias ibidem possessiones monasterium dictum sine ipsius consensu acquirat denuo adjecta — confirmat.

Andreas dei gratia episcopus herbipolensis jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris,

quod ad instar felicis recordationis domini M(anegoldi) episcopi herbipolensis predecessoris nostri viris religiosis . . abbati et conuentui monasterii in Eberach aream vnam sitam in cimiterio ecclesie sancti Viti in Jppehouen ante fores ipsius ecclesie pro annuo censu videlicet decem solidorum hallensium perpetuo contulimus et conferimus in hiis scriptis, quem quidem censum magister grangie in Rotelse nobis sev successori nostro singulis annis soluat.

Preterea dicti abbas et conuentus nullas prorsus possessiones sev bona in territorio dicti opidi Jppehouen conparabunt, sicut promiserunt, sine nostra vel successoris nostri licentia speciali. Sane si qua bona eis fuerint donata, vel ex testamentis decedentium relicta, illa vendere aliis tenebuntur, nisi a nobis vel successore nostro eis illa indultum fuerit retinere.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum eisdem abbati et conuentui dedimus, nostri sigilli patrocinio roboratum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°. CCC°. IIII^to., III°. kalendas februarii; presentibus Sifrido abbate de Bilithusen, Heinrico preposito ecclesie nostre, Sifrido de Wechmar archidiacono ecclesie eiusdem, fratre Hartmûdo cellerario in Eberach, fratre Heilmanno cellerario in Halsprunnen, Johanne prothonotario nostro, et pluribus aliis testibus fidedignis.

Sigilli Andreae episcopi fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensi circumferentia magnam partem laesa est.

Manegoldi episcopi concessionem, cujus mentio fit, die 11 mensis januarii anni 1303 datam, supra sub num. CLXXV pag. 303 et 304 edidimus.

CLXXXIV.

1304, die 28. februarii.

Andreas episcopus in laicos quicquam in ecclesiarum praejudicium agentes eorumque fautores animadvertit.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis dilectis in Christo . . abbatibus . . prepositis . . decanis . . archidiaconibus aliisque ecclesiasticis prelatis, toti clero, et Christi fidelibus uniuersis sue ciuitatis et dyocesis salutem et sinceram in domino caritatem.

Supersticiosam laicorum inuidiam, more Cham inpudici filij Noe non solum ad parentum scandala inprouide et nephande ridentem, uerum etiam detestabili presumpcione absolucionis filiali quidem dilectione reiecta et paternali pietate temere conculcata honoris ecclesiastici (exemplo religiosissimi principis Constantini postposito) fastidium habentem, piissimos parentes — prelatos ecclesiarum uidelicet — ac ipsas ecclesias a patrimonio dei Christi pauperes spoliando uota fidelium indeuotis ausibus perturbando callidis subrepcionibus ac peruersis et inauditis oppressionibus extorres fieri sollicite affectantem, modis quibus possumus tam in se quam in suis fautoribus reprimere cupientes, de consensu nostri venerabilis capituli herbipolensis prouida habita deliberacione duximus statuendum, ut quicunque laicus cuiuscunque status vel condicionis existat seu laicorum uniuersitas societas corpus uel collegium siue nomine proprio seu alieno quocunque colore quesito in preiudicium ecclesiarum quicquam propria temeritate presumpserit facere, feceritue, quod absit, singulares persone sentencie excommunicacionis, vniuersitates uero societates corpora seu collegia sentencie interdicti subiaceant ipso facto, nisi infra viginti dies a tempore presumpcionis huiusmodi

numerandos factum ipsum in quantum in eis est reuocauerint cum effectu.

Omnibus quoque beneficijs seu feudis que ab ipsa ecclesia [tenent] in cuius dampnum moliuntur omnes predicti et quilibet eorum eo ipso absque spe restitucionis perpetuo sint priuati.

Aduertentes quoque consiliariorum fautorum defensorum laicorum antedictorum nonmodicam culpam in premissis, omnes et singulos clericos siue laicos comites seu barones cuiuscunque condicionis et status fuerint, vniuersitatesque ecclesiasticas seu seculares, qui laycis in huiusmodi presumpcionibus consilium auxilium uel fauorem uerbo uel facto adhibuerint, penas premissas incurrere uolumus cum eisdem. Dignum est enim eos illorum penis fore participes quorum in delictis consortes fieri uoluerunt.

Sane licet constituciones ita futuris negocijs prouideant ut ad preterita nisi hoc exprimatur in ipsis nullatenus extendantur, hoc tamen statutum cum penis ipsius ad preteritos presumptores consiliarios defensores fautores seu auxilium dantes extendimus, nisi factum eorum infra decem dies a tempore publicacionis huius statuti quantum in eis fuerit efficaciter reuocetur.

Huiusmodi quoque sentencie excommunicacionis absolucionem — preterquam in mortis articulo — nobis specialiter reseruamus, nec eam committere intendimus, nec conmissam a nobis intelligi uolumus, nisi expresse (non sub generali clausula) committatur, ipsamque nichilominus ex nunc ab omnibus nostris . . penitentiarijs reuocantes.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CCC°.IIII°., tercio kalendas marcij, pontificatus nostri anno primo.

Hoc „Andreae episcopi statutum poenale pro conservatione ecclesiasticae libertatis“ e Lupoldi de Bebenburg libro quem dicunt copiarum pag. 437 et 438 edidimus.

CLXXXV.

1304, die 12. martii.

Andreas episcopus — cum Swickerus quondam viceplebanus in Lare, a commendatore et fratribus domus hospitalis in Herbipoli pro confratre receptus, eisdem commendatori fratribus ac domui domum unam in Karlstat cum pertinentiis suis sitam juxta portam inferiorem donatione inter vivos tradiderit et donarit — dictae donationi consensum adhibet, ita quod inhabitator ejusdem domus ipsi seu ipsius successori nomine exactionis unam libram hallensium annis singulis solvere tantummodo teneatur, eo tamen salvo quod ad communia aedificia civitatis contribuere et [ad] vigilias ac alia consueta servitia sit astrictus, majoribus autem exactionibus seu sturis quam ut supradicitur non gravabitur ullo modo.

Datum Karlburg, anno domini M°·CCC°·IIII^to., IIII^to. idus martii, pontificatus anno primo.

Sigillum Andreae episcopi fascia e documenti ipsius membrana confecta quondam suspensum periit.

In regestorum boicorum vol. V pag. 62 hae litterae falso diei 15 mensis martii tribuuntur.

CLXXXVI.

1304, die 20. martii.

Albertus rex Andreae episcopo regalia principatus wirziburgensis feoda concedit.

Albertus dei gracia Romanorum rex semper augustus vniuersis sacri romani jmperij fidelibus presentes litteras inspecturis graciam suam et omne bonum.

Romani jmperij celsitudo, consurgens antiquitus et fundata mirifice super immobile firmamentum, excellencie prerogatiua qua viguit columpnis meruit stabilibus stabiliri, et egregiis edificiorum iuncturis indissolubiliter adornari. Jnter quas quidem jllustres principes ad tocius operis machinam supportandam precipue vt columpnas voluit pociori prestancia preminere, vt — quo vberius gracie priuilegiis insigniri se senciunt — eo amplius debeant obsequiose vicissitudinis redibicione gratuita ceteris preclarere.

Sane cum venerabilis Andreas episcopus herbipolensis dilectus noster princeps — ad celsitudinis nostre presenciam nuper accedens — romano jmperio et nobis obsequiose deuocionis signa pretenderit et omnimode obedicionis insignia presentarit, nos ipsum tamquam nostrum et jmperij principem ad beniuolos applausiue dulcedinis admittentes amplexus, regalia feoda principatus pontificalis, quem obtinet sibi de regia liberalitate concessimus, et eundem episcopum inuestiuimus de eisdem, amministracionem temporalium et jurisdictionem plenariam principatus eiusdem ecclesie prenotato episcopo serie presencium committentes.

Quocirca vniuersis et singulis vasallis ministerialibus et hominibus suis et ecclesie sue damus presentibus in mandatis, quatenus

ipsi episcopo tamquam principi nostro et domino suo intendant in omnibus humiliter et pareant reuerentur.

Jn cuius rei testimonium presentes litteras exinde conscribi. et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum Nueremberg, XIIIo. kalendas aprilis, anno domini millesimo trecentesimo quarto, jndictione secunda, regni vero nostri*) anno sexto.

*) In altero hujus diplomatis exemplari legimus: *nostro.*

Alberti regis sigillum quod dicunt majestatis filis sericis rubri et flavi colorum ex utroque hoc diplomate suspensum est.

CLXXXVII.

1304, die 20. martii.

Andreas episcopus — nobilem Fridericum de Nûremberg burcgravium ecclesiae suae obsequiis allicere cupiens — universa et singula feoda ipsi et ecclesiae herbipolensi per mortem virorum nobilium Cunradi et Brunonis de Wolsperg circa oppidum Beirrute vacantia confert, investiens ipsum rite et rationabiliter de eisdem.

Datum apud Nûremberg, anno domino Mo.CCCo.IIIIo., XIIIo. kalendas aprilis, pontificatus anno primo.

Andreae episcopi sigillum fascia de litterarum ipsarum membrana confecta ex hac carta suspensum est.

Has litteras, quas Schütz in corpore historiae brandenburgicae diplomatico vol. IV pag. 185 erronee anno 1314 tribuit, Maerker et de Stillfried in monumentis zolleranis II pag. 285 ediderunt.

CLXXXVIII.

1304, die 23. martii.

Andreas episcopus — quod Otto Johannes et Johannes de Salzperg fideles dilecti ad ipsius praesentiam venientes publice recognoverunt, se commendatori et fratribus theutonicae domus in Munrichstat omnia bona sua in Jusungen cum pertinentiis suis ab ecclesia herbipolensi in feodum procedentia pro certo pretio et numerato rite et rationabiliter vendidisse, petentes instanter ut huic venditioni assensum praeberet — praedicta bona a praefatis fidelibus resignata supradictis commendatori et fratribus et domui eorum in meram proprietatem donat.

Datum Karlburg, anno domini M°. CCC°. III^to., X°. kalendas aprilis, pontificatus anno primo.

Sigillum Andreae episcopi fascia ex documenti ipsius membrana confecta quondam suspensum magnam partem laesum est.

CLXXXIX.

1304, die 1. maji.

Albertus Romanorum rex semper augustus publice profitetur, se super damnis incommodis seu dispendiis, si qua per Andream episcopum herbipolensem principem suum dilectum et ejus adjutores .. regi Bohemiae aut ejus adjutoribus et complicibus quibuscunque guerra inter imperatorem et eundem regem durante

facta fuerint aut illata, nullam cum eodem rege aut ejus adjutoribus compositionem seu concordiam ordinaturum aut initurum, ipso episcopo et ejus adjutoribus ac servitoribus praetermissis pariter et exclusis.

Datum apud Nuremberg, kalendis maji, anno domini M°·CCC°· quarto, regni vero anno sexto.

Alberti regis sigillum quod dicunt majestatis fascia membranacea ex hoc diplomate suspensum laesum est.

CXC.

1304, die 1. maji.

Albertus rex compositionem in discordia inter Andream episcopum et civitatem wirziburgensem exorta facit.

Nos Albertus dei gracia Romanorum rex semper augustus ad vniuersorum noticiam volumus peruenire, quod — cum inter venerabilem Andream episcopum herbipolensem principem nostrum dilectum ex vna et ciues suos herbipolenses ex parte altera odiosa discordia verteretur — nos tanti odij flammam extinguere cupientes, post tractatus plurimos et diuersos habitos de vtriusque partis verbo et consensu expresso inter eos puram composicionem et amiciciam super premissa discordia fecimus in hunc modum.

Postquam enim discordia inter nos et jllustrem regem Bohemie exorta siue per composicionem siue per treugas sev per alium modum quemcumque fuerit expedita, sev noster exercitus fuerit dissolutus, extunc infra duorum mensium spatium a tempore dissolucionis nostri exercitus huiusmodi numerandum predictum

episcopum ad omnia jura ecclesie sue tam corporalia quam incorporalia, in quorum possessione sev quasi possessione felicis recordacionis quondam Manegoldus episcopus herbipolensis predecessor suus fuit eo die quo vixit et obiit, libere restituere tenebimur, et eum in possessionem sev quasi possessionem reducere eorundem, et fideliter defendere sic inductum. Ad que facienda nos presentibus obligamus.

Et quia super dampnis hincinde in dicta discordia factis in nos est a predictis partibus compromissum, de refusione eorundem infra predictum terminum ipsas partes expediemus pro nostre celsitudinis arbitrio iusticia vel amore. Super quibus nostre discussioni ab vtraque parte per omnia sine contradictione qualibet est parendum.

Ad quod se ambe partes in nostre maiestatis presentia fide prestita obligarunt, presentium testimonio litterarum, nostri sigilli robore signatarum.

Datum in Nůremberg, anno domini millesimo trecentesimo quarto, kalendis maij, jndictione secunda, regni vero nostri anno sexto.

Alberti regis sigillum quod dicunt majestatis fascia membranacea ex hoc diplomate suspensum laesum est.

CXCI.

1304, die 12. maji.

Andreas episcopus herbipolensis — cum inter commendatorem et fratres domus hospitalis herbipolensis ex una et Theodericum dictum Blůmelin et Blůmelinum

fratrem ejus ex parte altera super servitute seu jure quod dicti fratres quatuor bonis suis sitis in villa Swimelspach in silvula dicta Strût juxta eandem villam *) dictis Blûmelinis pertinente asseruerunt deberi aliquamdiu quaestio seu altercatio verteretur — tandem partibus ad ipsius praesentiam vocatis, et cognitis in figura judicii saecularis ipsius quaestionis meridis, per notitiam viciniae requisitam probatum lucide invenit, et dictante ministerialium coram ipso praesentium concordi sententia pronunciat, quod famulus pro tempore dictam silvulam custodiens nomine dictorum Blûmelinorum seu successorum eorum in illa inhabitatoribus dictorum bonorum ligna ad comburendum et ad aedificandum debet in antea quandocunque et quotiescunque pro necessitate requisierint libere et sine contradictione qualibet ministrare.

Datum et actum Herbipoli, in monte beatae virginis, anno domini M°·CCC°·IIII°·, feria tertia ante festum pentecostes, pontificatus anno primo; praesentibus honorabili viro Heinrico praeposito ecclesiae herbipolensis; Friderico de Grûmbach, Ottone de Wisentvelt, Friderico de Flache, Cûnrado Sweigerario, Helwico, Heinrico de Randesacker, militibus; et pluribus aliis testibus fidedignis.

*) Liber copialis documentorum domum hospitalem s. Johannis in Wirzburg et Bibelried spectantium anno 1504 confectus fol. 374 copiam harum litterarum exhibet, in cujus margine exteriore eadem manu quae codicem ipsum exaravit scriptum est: *Struth silua in marchia Schwemelspach.*

Sigillum Andreae episcopi fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CXCII.

1304, die 15. maji.

Ecclesiae orengewensis capitulum se in praeposituram suam vacaturam non nisi personam de capituli ecclesiae herbipolensis gremio electurum profitetur.

In nomine domini amen.

Nos . . prepositus . . decanus totumque capitulum ecclesie orengewensis herbipolensis dyocesis tenore presencium recognoscimus vniuersis presentibus ac futuris, quod — quamquam ex jure communi et ex priuilegiis necnon ex consuetudine approbata hucvsque nobis vacante ecclesie nostre prepositura eligendi personam aliquam de capituli nostri gremio vel aliunde in eiusdem ecclesie nostre prepositum conpeciisse dinoscatur auctoritas libera sev potestas — tamen prouida multiplicique deliberacione prehabita pari voto ac vnanimi voluntate, accedente venerabilis eciam in Christo patris domini nostri Andree episcopi herbipolensis verbo pariter et consensu, propter affectum sincerum quo capitulum ecclesie herbipolensis nos et ecclesiam nostram prosequitur incessanter, obque grata gratanter nobis per idipsum inpensa et adhuc vt speramus et presumimus graciosius inpendenda promocionum ac presidiorum beneficia, pensata sollerter vtilitate que nobis et ecclesie nostre poterit exinde inantea prouenire, renunciauimus ac in hiis scriptis renunciamus simpliciter ac precise juri priuilegiis et consuetudini electionis pretaxatis, obligantes nos et capitulum nostrum, quemlibet singulariter et insimul vniuersos, ad eligendum in posterum perpetim in nostrum et ecclesie nostre predicte prepositum quocienscumque eiusdem ecclesie vacare contigerit preposituram nullam prorsus aliam personam nisi solum de gremio capituli ec-

clesie herbipolensis predicte que nobis et capitulo nostro visa fuerit pro tempore melius expedire.

Jn cuius rei testimonium ac robur euidens presentem paginam, sigillis nostris et nichilominus sigillo venerabilis patris dominj Andree episcopi herbipolensis predicti ad preces nostras communitam, capitulo dedimus antedicto.

Sane nos An(dreas) dei gracia episcopus herbipolensis, recognoscentes premissa jta esse, in eorundem certitudinem et confirmacionem sigillum nostrum ad peticionem . . prepositi . . decanj et capituli ecclesie orengewensis predicte presentibus duximus appendendum.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo quarto, feria sexta proxima ante festum pentecostes.

Sigilla duo memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa sunt.

Illud die 8 mensis aprilis anni 1306 eodem tenore per ecclesiam orengewensem innovatum est.

CXCIII.

1304, die 29. maji.

Heinricus de Schaunberg et ejus heredes in ecclesiae wirziburgensis servitores et castrenses ad castrum Gyrsperg recipiuntur.

Ego Heinricus de Schaunberg harum serie litterarum recognosco publice vniuersis, quod reuerendus in Christo pater et

dominus meus dominus An(dreas) episcopus herbipolensis me et heredes meos in suos et ecclesie sue seruitores recepit pariter et castrenses, nobis apud castrum suum Gyrsperg castrensibus factis centum libras hallensium dare promittens feodo pro castrensi.

Et quia ad presens eris copia sibi deest, nobis de precaria ciuium suorum in Melrichstat decem libras hallensium annis singulis tamdiu soluere promisit, donec ipse vel successor suus pro tempore nobis dictas centum libras hallensium duxerit persoluendas. Quas solutas ad bona alia sita infra vnum miliare a dicto castro Gyrsperg conuertemus, a dicto domino nostro episcopo vel successore suo illa recipiendo et pro castrensi feodo perpetim retinendo.

Jpse eciam dominus noster sev successor suus pro tempore nos contra omnes nostros jnuasores inantea manutenebit fideliter et defendet.

Nos eciam vice uersa predicto domino episcopo et ecclesie sue contra omnes suos jnuasores fideliter auxiliari et obsequi perpetim tenebimur, prout ad hoc ego predictus miles pro me et dictis heredibus meis me obligo per presentes.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum meo sigillo volui roborari.

Datum apud Nouam Ciuitatem, anno dominj M°·CCC°·IIII^to^, IIII^to^· kalendas junij.

Sigilli memorati fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensi circumferentia fere tota periit.

CXCIV.

1304, die 3. julii.

Albertus rex ecclesiae herbipolensi oppidum Swinfurte pro duobus milibus librarum hallensium pignori obligat.

Nos Albertus dei gratia Romanorum rex semper augustus ad vniuersorum sacri romani jmperij fidelium noticiam volumus peruenire, quod propter fructuosa obsequia nobis et jmperio a venerabili Andrea episcopo herbipolensi principe nostro dilecto exhibita et imposterum exhibenda sibi et successoribus suis opidum nostrum Swinfurte cum castro et pertinencijs suis vniuersis pro duobus milibus librarum hallensium obligamus et assignamus tamdiu cum omnibus juribus et redditibus suis vniuersis donec sibi vel successoribus suis predicta duo milia librarum per nos uel nostros in jmperio successores fuerint integraliter persoluta.

Et si jllustris princeps Hermannus marchio brandenburgensis, gener noster, cui antea dictum opidum cum pertinenciis suis obligauimus, aut per viam iusticie aut composicionis nobiscum habende idem opidum cum pertinencijs suis sibi restitui debere obtinuerit, prefatus episcopus ad restitucionem eiusdem opidi et pertinenciarum suarum non tenebitur, non obstantibus quibuscumque inter nos et dictum generum nostrum tractatibus interuenientibus, nisi primo supradicta duo milia librarum vt dictum est sibi vel successoribus suis plenarie persoluantur, vel saltem alia sibi pignora assignentur seu obligentur de quibus plenum et securum habere possit respectum de pecunia supradicta.

Jn cuius rei testimonium sibi hoc scriptum nostre maiestatis sigillo dedimus roboratum.

Datum apud Frankenfurt, anno domini M°·CCC°· quarto, V nonas julij, regni vero nostri anno sexto.

Alberti regis sigillum quod dicunt majestatis fascia membranacea ex hoc diplomate suspensum magnam partem periit.

CXCV.

1304, die 6. julii.

Vicaria altaris s. Mariae in ecclesia herbipolensi pro domo in Curia Burggravii sita et 25 libris hallensium partem curiae et horti in curia Walkenriet sitorum emit.

Jn nomine dominj amen.

Nos . . officialis curie herbipolensis tenore presencium publice profitemur et ad vniuersorum et singulorum presens scriptum intuencium noticiam cupimus peruenire, quod constituti in presencia nostra Elyzabet filia quondam Burghardi cultellifabri, Wolfelinus filius suus, et Waltherus eiusdem Elyzabet maritus, ciues herbipolenses, publice sunt confessi, se domino Conrado dicto de Vilingen vicario altaris sancte Marie in ecclesia herbipolensi ementi et recipienti pro se et suis successoribus in dicta vicaria et nomine ipsius altaris pro quadam domo sita in Curia Burggrauij, quam bone memorie quondam Heinricus de Salecke ipsius ecclesie canonicus eidem altari contulerat, et pro vigintiquinque libris hallensium superadditis dicte domuj partem curie et orti sitorum*) in curia dicta Walkenriet, que ad ipsam dominam Elyzabeth et Woluelinum filium suum predictum

*) In carta ipsa scriptum est: *sitis*.

iure hereditario actenus pertinebat, pari voto et consensu vnanimi iusto permutacionis tytulo tradidisse. Resignantes pro se et suis heredibus vniuersis partem curie et orti predictorum, transtulerunt ipsam ac corporalem possessionem eiusdem cum omni iure ipsis actenus in ea conpetenti in predictum dominum Conradum vicarium presentem et suscipientem pro se et suis successoribus in ipsa vicaria vniuersis.

Jnsuper recognouerunt, domum predictam in Curia Burggrauij sitam ipsis per predictum vicarium fore traditam, et se de vigintiquinque librarum hallensium precio predicto fore pagatos integre in numerata pecunia et parata, renunciantes excepcioni non numerate non solute non habite pecunie, necnon omnibus aliis excepcionibus defensionibus et cautelis positis in iure canonico vel ciuili que contra huiusmodi contractum sev permutacionem possent de iure vel de facto obici sev opponi.

Preterea Woluelinus predictus coram nobis iuramentum prestitit corporale, quod contractum sev permutacionem predictam perpetuo ratam et gratam habebit, nec vllo vmquam tempore ei contraueniet per se vel per alium sev alios aliquo ingenio studio vel cautela.

Testes huius rei sunt: magistri Conradus de Fuhtewang, Conradus de Maguntia, Johannes de Solzbach, Albertus de Bopphingen, aduocati curie herbipolensis; Hartmudus tabellio; Conradus de Crutheim; et plures alij fidedigni ad hoc vocati pro testibus et rogati.

Jn quorum omnium et singulorum premissorum testimonium sigillum nostrum presentibus ad preces dictarum parcium duximus apponendum.

Nos quoque Conradus de Vilingen, Elyzabet, Woluelinus, et Waltherus, predicti, recognoscimus premissa omnia esse vera. Et in euidenciam eorundem sigillum honorandi viri domini . . officialis predicti huic apponi procurauimus instrvmento.

Datum et actum anno domini M°·CCC°· quarto, secunda feria ante diem sancti Kyliani.

Officialis curiae herbipolensis sigillum fascia de ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CXCVI.

1304, die 12. julii.

Verbot der Ladung der in der Stadt Wirzburg gesessenen Leute vor fremde weltliche Gerichte, sowie der Verehelichung der Kinder unter 20 Jahren oder deren Eintritt in den geistlichen Stand ohne Willen der Eltern, und anderes.

Wir Andres von gotes gnaden bischof von Wirtzeburg tun kunt allen den die disen brief lesen sehen oder horen, daz wir als vnser voruar bischof Manegolt selige getan hate durch offenlich gut vnd gemeinen nutz gesezzener lute in der stat ze Wirtzeburg, der einer den andern dike hat geladen an vremdez gerihte, vnd jn braht ze schaden koste vnd arbeit, da von auch vnser gerichte wart genidert vnd gekrenket, mit rate vnserre prelaten der stifte vnser dienstlute vnd vnser burger haben gesetzet disen satz, daz der gesezzener lute ze Wirtzeburg — ez si vrowe oder man — nieman sal den andern laden oder vugen vnd schaffen daz er geladen werde an kein vremdez wertlich gerihte; sunder swer vf den andern iht zesprechen hat, der sol in zumeresten beclagen vor vns oder vnsern rihteren. Vnd moht jm da niht wider varn ein reht, oder mag er mit dem eide furbringen vnd wizzenlich bewisen daz er vor gewalt oder vrevel oder vorhte sines widerwarten niht geturre clagen vor vns oder vnsern rihtern, oder sine clage volleiagen, der mag denne wol clagen anderswa da er ze rehte clagen sal. Swer disen satz brichet, der sal mit wibe vnd mit kinden zehant Wirtzburg rumen, vnd nimmer me dar inne werden sedelhaft, vnd sal allez sin gut erbe vnd eigen ledeclichen vnd vrilichen vnser vnd des bistuemes sin.

Vber daz sit sumeliche haben ofte verraten vnd verleitet erberer lute kint ze Wirtzburg ane wizzende ir veter vnd muetere,

daz diz nimmer geschehe, so setzen wir mit dem vorgenanten rate, daz swer ze Wirtzburg si — ez si sun oder tohter — der vnder zwentzik jaren ist sich verandert in die werlt zv der ê ane sines vater vnd mueter, oder ir eines obe daz ander tot ist, oder ob sie beide ensin ir besten geborner frunde drier oder zweier rate, der selbe sol enterbet sin alles des gutes daz in von vater vnd mueter solt vf gevallen sin. Vnd swaz in vf gevallen ist, daz sol ledeclichen sin siner nehsten erben.

Verandert aber er sich in geistlich leben ane den rat als vor gesprochen ist, so stet ez an vrier willekur sines vater vnd mueter, oder ir eines obe daz ander tot ist, ob sie ime irs gutes wollen geben iht oder niht. Daz mugen sie tun oder lazen.

Vnd vber daz der die tohter enpfueret, der sol Wirtzeburg rumen vier jar vz zesin.

Dise setze sulen euklichen stete vnd gantz bliben vnd behalten werden veste vnd vnzerbrochen von vnsern nachkomenne, die wir dar zu verbinden vnd verstrikken mit desen gegenwertigen brieven.

Vnd zu einer vestenunge vnd gezuknisse aller dirre dinge so haben wir Andres der vor genante bischof vnd die stat ze Wirtzburg vnseru jnsigel gehenket an disen gegenwertigen brief.

Der ist geschriben vnd geben ze Wirtzburg, von Cristes geburte tusent jar druhundert jar vnd in dem vierden jar, an santte Margareten abent, jn dem ersten jar vnsers bistuemes.

Amborum sigillorum praedictorum fasciis membranaceis suspensorum circumferentiae laesae sunt.

Sanctiones de iisdem rebus a Manegoldo episcopo antecessore die 9 mensis octobris anni 1299 datas, quarum mentio facta est, supra sub. num. CXXVII pagg. 223—225 edidimus.

CXCVII.

1304, die 24. julii.

Forma canonicis ecclesiae herbipolensis de canone de oblationibus vel curiis solvendo edita.

In nomine dominj amen.

Heinricus prepositus, Fridericus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis.

Quamquam per formas dudum editas contra canonicorum nostrorum negligencias qui de oblacionibus suis temporibus debitis canonem non persoluunt quedam certa et exquisita remedia sint inuenta, per ea tamen — vt experiencia efficax rerum magistra nos docuit — minus sufficienter hactenus est prouisum, cum quidam de canonicis nostris statuta ipsa non attendant, quia penas in eis appositas non formidant.

Eapropter wlneri huiusmodi quod nondum noscitur sufficienter excisum ignitum quod adhuc superest ferrum adicere cupientes, hoc statuto perpetuo valituro firmamus, quod quicumque canonicus canonem de oblacione sua vel oblacionibus in frumento siue in vino ante festum epiphanie domini non soluerit, in crastino ipsius festi prebenda sua a decano, vel a maiore de capitulo si decanus absens fuerit, suspendatur. Et si quindecim diebus suspensa steterit, sine aliqua monicione in claustro se recipiat, suspensione prebende durante, inde non exiturus nisi canone plenarie persoluto. Qui vero sic vsque ad festum purificacionis beate virginis in claustro permanserit, si canon qui debetur viginti maldrorum vel trium karratarum vini quantitatem excedat, extunc idem — in claustro manendo, cum suspensione prebende — a voce et ingressu capituli tamdiu sit

exclusus quousque de canone satisfecerit supradicto. Si autem (quod absit) hiis penis subiectus vsque ad festum kathedre sancti Petri in claustro permanserit, extunc — ipso in claustro manente, prebende eciam suspensione et vocis capituli ac ingressus exclusione durante — per vnius anni spacium abinde numerandum, contradictione qualibet non obstante, earumdem oblacionum fructibus de quibus canon debetur careat ipso facto; et capitulum se de ipsis intromittat, de eisdem per ipsius anni spacium prout placuerit libere disponendo, ita quod de fructibus ipsis quos percipit (canone eiusdem anni deducto) residuum siquid superest capitulum percipiat in penam ipsius qui de canone minime satisfecit. Quo anno finito, si ante finem ipsius anni canonem neglectum nondum exsoluerit, idem per omnia paciatur de fructibus anni proxime subsequentis. Et sic de singulis annis deinde sequentibus, quousque integraliter canonem primo neglectum exsoluat, jta quod solucio ipsa fiat ante festum kathedre Petri predictum. Que si post festum ipsum facta fuerit, ipsum non liberat quin fructus ipsius anni totales amittat, licet in hoc releuetur quod solucione ipsius canonis neglecti et pro quo penas huiusmodi pertulit facta post festum Petri sepedictum — prebenda sua necnon et voce capituli sibi vt antea restituta — egrediendi de claustro liberam habeat facultatem. Si vero canon qui debetur ad viginti maldrorum vel trium karratarum vini quantitatem minime se extendit, pene sufficiant preexpresse, hoc tantum saluo quod oblacionum fructibus per annum vt predicitur non priuetur.

Preterea statuimus, vt omnes denarij qui de oblacionibus vel curiis ecclesie nostre debentur statutis temporibus et terminis exsoluantur. Et quicumque canonicorum canonem in denariis soluere neglexerit termino constituto, statim in crastino eiusdem terminj prebenda ipsius ipso facto absque monicione aliqua sit suspensa, decano qui pro tempore fuerit, vel seniore de capitulo ipso decano absente, id solummodo exequente. Et si sic suspensus per quindecim dierum spacium steterit, extunc suspensione prebende durante in claustro se recipiat. In quo si aliis quindecim diebus steterit, ipso facto a voce et ingressu capituli sit exclusus. Et si penas has adhuc XV^im^ diebus aliis animo sustinuerit indurato, jta quod

sex septimanis a primo solucionis termino computatis canonem de oblacione vel de oblacionibus siue curia non persoluat, fructibus oblacionis vel oblacionum ipsarum de quibus vel de qua canon ipse debetur per annum integrum vt predicitur careat ipso facto, et omnia et singula seruet et teneat vt iam in casu proximo est premissum. Et hanc formam seruari volumus quando canon qui debetur vsque ad summam sex librarum denariorum herbipolensis monete se extendit. Si vero citra summam fuerit supradictam, sufficiant pene que de prebende suspensione et claustri ingressu necnon de vocis et ingressus capituli exclusione iam proxime sunt expresse.

Siquis vero canonicorum absens fuerit, et canonem de oblacionibus vel curia in frumento vel vino tempore superius constituto siue in denariis temporibus consuetis non soluerit et statutis, siue solui procurauerit, statim lapso duorum mensium spacio a termino quo canon fuerat exsoluendus, si de ipso minime satisfecerit, extunc — si oblacio fuerit — fructibus ipsius per annum careat ipso facto, vt in duobus casibus iam proxime superius est premissum, nulla distinctione quantitatis vel summe ipsius canonis habita in hoc casu. Si vero curia fuerit de qua canon debeatur, statim lapso duorum mensium spacio vt predicitur nos de ipsa intromittemus, ipsam per duorum annorum spacium pro certa pensione locando, quam idem capitulum percipiet. Et si infra biennium illud possessor ipse forte reuertitur, ad curiam ipsam nullatenus admittetur. Jmmo si infra ipsum biennium canonem neglectum non soluerit, ipso facto curia eadem perpetuo sit priuatus, et ad capitulum nostrum libere deuoluetur.

Statuimus preterea, quod quicumque canonicus denarios illos qui in choro inter presentes diuiduntur, per scriptorem porte nostre vel eius nuncium ante solucionis terminum per nouem dierum spacium ammonitus — quam quidem ammonicionem obmitti nolumus in hoc casu, cuius eciam scriptoris vel eius nuncij verbo in eo statuimus fore credendum — non soluerit, ita quod per ipsius negligenciam siue culpam distribucionem ipsam impediri contingat, per vnius mensis spacium prebenda sua careat ipso iure. Et nichilominus si

exclusus quousque d … ndo negligens fuerit, tam in prebende absit) hiis penis s… penas omnes sustineat superius conclaustro permanser… suspensione et … nnia et singula sic volumus districte vnius anni spa… seruanciam nulli de capitulo liceat pro non obstante, c… interponere vel graciam postulare. Qui tur careat ips… nisi monitus a decano — vel a maiore de per ipsius a… — ab incepto destiterit, tamdiu a voce et inde fructibus … clusus quousque ad arbitrium decani et capiduum siqu… onmisso.

canone m… a possessoribus oblacionum ipsarum frequenter anni can… ini ignorantur, volumus vt scriptor nostre porte qui tur de… erit conpetenti tempore ante terminum quo canon annis … cumbit possessoribus oblacionum ipsarum id insinuare lectur… ec paciatur quantum in ipso fuerit vt quisquam dominorum Petri… penas incidat supradictas, vt a nobis ob id laudis et libe… nis condigne premium assequatur.

qu…

p… In quorum omnium et singulorum premissorum euidenciam et … eruanciam pleniorem hoc instrumentum nostri capituli sigilli …nimine duximus roborandum.

Datum et actum anno dominj millesimo trecentesimo quarto, jn vigilia beati Jacobi apostoli.

Sigillum modo dictum fascia membranacea ex hoc documento suspensum est.

CXCVIII.

1304, die 3. augusti.

Heinricus de Rannenberg archidiaconus herbipolensis — cum H(einricus) praepositus, F(idericus) decanus,

totumque capitulum ecclesiae praetactae, fraterna moti caritate, de duabus ollis argenteis ad se spectantibus, in pondere et artificio ad valorem quadraginta marcarum argenti aestimatis, per ipsum inter laeos herbipolenses pro urgenti necessitate nomine pignoris obligatis, eorundem subversionis tempore per incendium deperditis ac destructis, ita quod de eisdem ipsi solummodo duodecim marcas argenti cum dimidia post liquefactionem ex cineribus rehabuerunt, hanc fecerint gratiam specialem ut eisdem solum in viginti octo marcis argenti fini minus dimidia ad pondus herbipolense in restaurum ac plenariam refusionem praedictarum ollarum, residuo penitus defalcato libereque dimisso, satisfacere teneatur — animo spontaneo obligat eidem capitulo ac in ejus potestatis manus assignat universos et singulos redditus denariorum de parte oblationis hereditariae in villa Raunvelt ipsum contingente derivandos, ita quod annuatim idem capitulum vel ejus in hac parte procurator aut nuntius de eisdem redditibus viginti quatuor libras hallensium percipere teneatur tanto tempore donec de supradictarum viginti octo marcarum argenti minus dimidia debitis fuerit plenarie satisfactum: quocunque annorum hujusmodi supradicti redditus ad viginti quatuor librarum hallensium summam se extendere non valebunt, se defectum hujusmodi eidem capitulo refusurum de aliis bonis bona fide promittens.

H(einricus) praepositus, F(riderieus) decanus, totumque capitulum ecclesiae praedictae, recognoscentes praedicta singula ita esse, in evidentiam eorundem sigillum capituli huic paginae duxerunt appendendum.

Actum in capitulo herbipolensi, anno domini M°·CCC°· quarto, in inventione sancti Stephani protomartyris.

Sigilla capituli majoris ecclesiae herbipolensis et Heinrici de Rannenberg archidiaconi fasciis membranaceis ex his litteris suspensa integra sunt.

CXCIX.

1304, die 6. augusti.

Albertus rex ecclesiae herbipolensi pro 2000 librarum hallensium solutione tum villam Heytingesfelt pignori obligat tum de solutione plena per pecuniam civitatis wirziburgensis sibi debitam cavet.

Nos Albertus dei gracia Romanorum rex semper augustus ad uniuersorum sacri romani imperij fidelium noticiam uolumus peruenire, quod uenerabili Andree episcopo ecclesie herbipolensis, principi nostro dilecto, pro fructuosis obsequijs suis nobis et imperio inpensis et in posterum contra nostros et jpsius jmperij inuasores et specialiter contra Wentzeslaum regem Bohemie nunc inpendendis duo milia librarum hallensium promittimus nos daturos.

Et quia ad presens eris copia nobis deest, sibi et ecclesie sue villam Heytingesfelt inquantum nobis et dicto jmperio pertinet cum hominibus redditibus judicijs alijsque suis juribus et pertinencijs uniuersis quocunque nomine censeantur presentibus obligamus, sic quod ex dictis redditibus singuli decem librarum hallensium redditus sibi et dicte ecclesie pro centum libris hallensium remaneant obligati tamdiu donec nos uel nostri in jmperio successores eandem uillam cum suis pertinencijs pro pecunia pro qua obligata est duxerimus redimendam.

Siquid autem de dicta pecunia in supradicta villa et pertinencijs suis defuerit, illud apud ciues herbipolenses de illa pecunia in qua nobis tenentur ipsi episcopo et dicte sue ecclesie deputauimus, jta quod ijdem ciues ad solucionem eiusdem pecunie sibi et ipsi ecclesie in festo beati Andree proximo faciendam sub eadem caucione quam nobis fecerunt se astringere teneantur, uidelicet quod

si in eodem festo dictam pecuniam sibi non soluerint ex tunc dictus episcopus apud iudeos seu cawertinos si uoluerit in dampnum eorum sub vsuris recipiet. Quam quidem usuram cum sorte principali persoluere tenebuntur. Alioquin fideiussores nobis dati — nunc sibi dandi — pro dicta pecunia moniti quandocunque post dictum festum recipient se in obstagium in ciuitate herbipolensi, tamdiu in dampnum dictorum ciuium expensas faciendo donec dicta pecunia cum dampnis et usuris sibi et dicte ecclesie fuerit plenarie persoluta, presencium testimonio litterarum nostri sigilli robore signatarum.

Datum Nuremberg, anno domini M°.CCC°. quarto, VIII jdus augusti, indiccione secunda, regni uero nostri anno septimo.

Hoc diploma ad fidem Lupoldi de Bebenburg libri quem dicunt copiarum pag 156 et 157 edidimus.

CC.

1304, die 16. augusti.

Andreas episcopus — quod strenuus vir Theyno de Liehtenstein miles fidelis dilectus zelo pietatis motus viris religiosis . . abbati et conventui monasterii in Lankheim et ipsi monasterio ordinis cisterciensis babembergensis dioecesis medietatem decimae villae et territorii in Wazzendorf, quam ab ecclesia herbipolensi tenuit in feodum, quo ad suum jus libera donatione inter vivos tradidit et donavit, ipsique eandem medietatem per Wolvelinum advocatum in Ruheneke resignans petiit instanter, ut hujusmodi decimae medietatem sic resignatam recipere et supradictis abbati et conventui eorumque monasterio in proprietatem donare dignaretur — considerans non modicum favorem juris existere bona ecclesiastica de laicorum manibus ad usum ecclesiasticum revocare, tum ad specialem petitionem viri religiosi fratris Friderici abbatis dicti monasterii avunculi carissimi, tum ob fervorem devotionis qui in fratribus dicti monasterii viget, supradictae decimae medietatem resignatam a praefato milite recipit, et saepedictis . . abbati e conventui necnon ipsorum monasterio donatione inter vivos in meram proprietatem donat.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo quarto, in crastino assumtionis beatae virginis, pontificatus anno primo.

Andreae episcopi sigillum filis linteis rubri et flavi colorum ex hoc documento suspensum est.
Illud de Schultes in opere cui titulus est „coburgische Landesgeschichte des Mittel-Alters“ sub documentorum num. XLVI pag. 31 edidit.

CCI.

1304, die 16. augusti.

Andreas episcopus — cum de duodecim bonis quae feoda vulgariter dicuntur in villa Wazzendorf sita ecclesiae herbipolensi pertinentia propter eorum desolationem nullum fructum sive praedecessores sive ipse hactenus habuissent — dictae ecclesiae conditionem cupiens facere meliorem, illa bona sic infructuosa religiosis viris fratri F.(riderico) et conventui monasterii in Lankheim pro medietate villae in Obernmercebach per eos apud Diethricum de Liehtinstein rite et rationabiliter utpote proprietarie comparatae, ecclesiae herbipolensi aliis bonis fructuosiore, uno manso quem etiam sibi reservaverunt dumtaxat excepto, nomine permutationis de consensu capituli libere donat et tradit.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo quarto, in crastino assumtionis beatae virginis, pontificatus anno primo.

Sigillorum filis linteis flavi et rubri colorum ex hac carta suspensorum illud Andreae episcopi magnam partem laesum est, illud capituli majoris ecclesiae herbipolensis omnino periit.
Has litteras de Schultes in opere supra laudato sub documentorum num. XLVII pag. 32 edidit.

CCII.

1304, die 24. decembris.

Ecclesiae herbipolensis capitulum de ordinatione seu forma aliqua facienda per quam unicuique confratrum suorum jus in prae-

bendarum collatione et personarum in ecclesiae herbipolensis canonicos electione competens ex integro possit salvari arbitros eligit.

Quod infra sub num. CCIV pag. 341—345 edemus documentum, die 1 mensis februarii anni 1305 datum, huc conferri potest.

CCIII.

1305, die 8. januarii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum ad complanandum dissensionem inter ipsum et Heinricum de Wechmar praepositum de integritate amministrationis praebendae exortam arbitros eligit.

Hae litterae in sententia arbitraria de hac dissensione die 1 mensis februarii lata, quam sub num. CCVI pag. 347 — 350 edemus, locum habent.

CCIV.

1305, die 1. februarii.

Forma et ordinatio de praebendarum collatione et personarum in ecclesiae herbipolensis canonicos electione per laudum statuta.

In nomine domini amen.

Nos Ludewicus de Hohemberg, Wolframus scolasticus, et Erkembertus de Starkemberg, Sifridus de Wechmar, Goltsteinus de Riedern, Gotboldus de Walhusen, Eberhardus de Tunneuelt, et Albertus de Talheim, confratres capituli ecclesie herbipolensis — ab honorabilibus viris dominis Heinrico preposito, Friderico decano, totoque eiusdem ecclesie capitulo sub anno domini M°·CCC°· quarto in vi-

gilia natiuitatis eiusdem ex more ab antiquis retroactis temporibus obseruato in loco solito ad celebrandum capitulum peremptorium conuenientibus, solliciteque considerantibus quod in electionibus plerumque vota eligencium diuiduntur, ex quo inter eligentes ipsos discidia generantur, discidia vero fomitem odij subministrant, ex quo fit vt (cum inter ministros ecclesie liuor et odium confraternitatis intercipit vnionem) res ecclesie quas vnionis fraterne vinculum debuerat conseruare discordiarum discrimine distrahantur in tantum quod eciam euicino ipsius ecclesie indubitata subuersio timeatur, aduertentibus quoque magis in speciali in ipsa ecclesia herbipolensi prebendarum collacionem et personarum in concanonicos electionem vt frequenter incumbere, exquo scissuras discidia rancores et odia inter eiusdem ecclesie confratres subsequi vt predicitur verisimiliter presumebant, electi in antedicto peremptorio capitulo concorditer in plenitudinem potestatis nobis per ipsos tradite ac in nos a capitulo translate in arbitros seu arbitratores super ordinacione seu forma aliqua facienda per quam vnicuique confratrum ipsius capituli suum ius ex integro possit saluari, ecclesieque a periculis de quibus predicitur ydonee caueri, et que eciam statutis canonicis consona videatur, quam siquidem ordinacionem, siqua per nos facta fuerit, in omnibus suis articulis idem capitulum et singuli de eodem inconcusse seruare corporali prestito iuramento omni fraude doloque malo postpositis promiserunt, ita eciam quod eodem modo ad eiusdem forme seu ordinacionis cum suis articulis obseruanciam inconwlsam quilibet deinceps ad capitulum recipiendus non generaliter sed in specie absque eo quod per se vel aliquem alterum vllo vmquam tempore contraueniat vel eandem permittat aliqualiter inpugnari se astringere ac obligare debeat corporali prestito iuramento — huiusmodi siquidem potestatem in nos sponte suscipientes, et in vnum conuenientes, in formam et ordinacionem multa prouidaque deliberacione prehabita conuenimus infrascriptam.

Videlicet quod quandocumque deinceps prebendam in ecclesia herbipolensi predicta vacare contigerit, dominis . . preposito et . . decano primitus admissis, qui in huiusmodi de iure et consuetudine omnibus preferuntur, statim cum corpus confratris nostri defuncti

ecclesiastice traditum fuerit sepulture, vel si alibi vitam finierit et de eius morte vel renunciacione vel quavis alia cessione capitulo nostro per veritatem indubitatam innotuerit, prior in ordine — id est qui diuturniori tempore in ecclesia fuisse dinoscitur — pro prebenda sic vacante ipsi capitulo preces offerat, vel ipso absente aliquis vel aliqui pro eodem, de mandato tamen ipsius speciali, nisi sit persona coniuncta, a qua non sit de iure mandatum huiusmodi exigendum, nominando extunc personam que nulla prorsus seruili condicione prematur, sed ex utroque parente plene libertatis et ingenuitatis atque nobilitatis priuilegio potiatur, vel ipsius imperij vel saltem principis alicuius non autem cuiuspiam inferioris condicionis persone vel nostre vel alterius honorabilis ecclesiarum ministerialis existat. Quo ad preces huiusmodi a decano — vel ipso decano absente a seniore de capitulo — assumpto et recepto, idem per omnia obseruetur circa eum qui deinde prior aliis et in ingressu ecclesie antiquior habetur. Et sic deinceps secundum ordinem, quousque omnes et singuli qui nunc in capitulo fore dinoscuntur suarum peticionum effectum fuerint assecuti. Quorum hec sunt nomina: Heinricus prepositus maior, Fridericus decanus, Lampertus de Glichen, Wernherus de Tannemberg, Hermannus de Bastheim, Wolframus de Linach, Arnoldus de Vssenkein, Albertus de Wilnŏwe, Ludewicus de Hohemberg, Wolframus de Grumbach scolasticus, Erkembertus de Starkemberg, Fridericus de Stahelberg, Heinricus de Rannemberg, Sifridus de Wechmar, Goltsteinus de Riedern, Ludewicus de Hessebŭrg, Hermannus de Liebesberg, Rûdolfus de Hurnheim, Heinricus de Slithese, Gotboldus de Walhusen, Cunradus de Nidekke, Heinricus de Stahelberg, Rûdegerus de Wechmar, Eberhardus de Tunneuelt, Bertholdus de Grumbach, Albertus de Talheim, Cunradus dictus Blûmelin, Reimboto de Nipperg, Gerhardus de Eppenstein, Otto de Orlamunde, Heinricus de Tannemberg, Theodericus de Karlburg, Gotfridus de Hohenloch, Engelhardus de Ertbach, Rûdolfus de Rotenstein, Heinricus de Veimingen

Si autem dominos Heinricum prepositum, Fridericum decanum, vel alterum eorum — ordinacione ista pendente — cedere vel decedere forte continget, quicumque in eorum dignitatibus vel earum altera fuerit subrogatus, nichilominus locum suum obtineat qui sibi alias ex ingressus ecclesie prioritate in ordine debebatur, saluo si capitulum in primariis precibus eundem duxerit honorandum.

Huic eciam adicimus ordinacioni, quod si a rege vel episcopo nostro vel alio quouis barone terre vel nobili pro aliquo recipiendo capitulum nostrum forsan vt fieri solet precibus inpulsetur, et capitulum totum dignum iudicauerit et vtile fore prospexerit precibus talibus annuendum, in voluntate tantum eius dependeat cui ex prioritatis ordine locus petendi tunc proximus debebatur. Qui si forte a petentibus et a capitulo exoratus cedendum duxerit ea vice, ius suum ex eo in nullo periclitari debebit, nam in sequenti vacacione si superuixerit sine cuiusquam contradictionis obstaculo admittetur, ne vnde gratiam sperare debuerat exinde dispendium subire cogatur.

Ordinacione vero ista expleta, quam amplius durare nolumus quam quousque omnes fratres capituli quorum nomina superius sunt expressa fuerint in suis peticionibus exauditi, hij qui de capitulo superuixerint cum hiis qui interim recepti fuerint siue hanc formam sectando siue aliam de nouo creando, prout secundum deum poterunt, quod eorum arbitrio duximus conmittendum, sibi et ecclesie studeant prouidere.

Publicata et pronunciata sunt hec anno domini M°·CCC°· quinto, in vigilia purificacionis virginis gloriose.

In euidenciam autem et robur omnium premissorum nos Heinricus prepositus, Fridericus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis pretacte sigillum capituli nostri vna cum sigillis arbitrorum seu arbitratorum predictorum presentibus duximus appendendum.

Datum et actum anno et die vt supra.

Sigilla novem memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa fere omnino integra sunt.

Non solum exteriori harum litterarum parti bis annus 1304 inscriptus est, sed etiam in ipso earum textu quoad datam vocabulum „quinto“ alia manu quam ea quae ipsas litteras exaravit in vocabulum „quarto“ mutatum invenitur.

Quo loco *Veimingen* imprimi jussimus in carta ipsa *Vieimingen* scriptum est.

CCV.

1305, die 1. februarii.

Ordinationi antecedenti forma quaedam de praebenda per litteras a sede apostolica impetratas obtinenda additur.

Jn nomine domini amen.

Cum plerumque persone notabiles, criminose pariter et infames, litteras ab apostolica sede super obtinendis beneficiis consequantur, quod minime quidem contingeret, si multiplex earundem vite macula, quam sub ypocrisis palliacione ac probitatis ymagine precipue in curia romana contegunt et obumbrant, eidem foret sedi apostolice lucidius manifesta, ea propter non immerito sed valde racionabiliter tocius ecclesie pro salubri et tranquilla sui status conseruacione dinoscitur interesse, summopere precauere ne talia menbra vilia deformitatem huiusmodi paciencia suo corpori vniantur, maxime cum per ipsa non nunquam sed vt frequencius scandala pericula et dampna plurima ecclesiis sint exorta.

Quibus equidem prouide consideracionis acie perpensis, ac animo sollicito reuolutis, nos Ludewicus de Hohenberg, Wolframus scolasticus, Erkembertus de Starkenberg, Sifridus de Wechmar, Goltsteinus de Riedern, Goteboldus de Walhusen, Eberhardus de Tunneuelt, et Albertus de Talheim, confratres ecclesie herbipolensis, huic morbo, ne eodem ecclesiam infici contingat, eandem cupientes medelam quam possumus adhibere, ex potestate nobis ab honorabilibus

viris dominis Heinrico preposito, Friderico decano, totoque capitulo ecclesie nostre pretacte tradita concorditer et conmissa, prout in instrumento quod sic jncipit:

> Jn nomine domini amen.
>
> Nos Ludewicus de Hohenberg, Wolframus scolasticus, etc.

sic autem finit:

> Datum et actum anno et die vt supra,

ipsius capituli nostrisque sigillis firmato, plenius continetur, forme seu ordinacioni in eodem instrumento contente adicimus hiis in scriptis, vt siquem deinceps super prebenda in ecclesia nostra optinenda contingat a sede apostolica litteras impetrare, extunc canonico confratri capituli nostri quem secundum forme seu ordinacionis pretacte regulam ordo petendi tangere pro tempore dinoscitur, vel ei cui ad ipsius peticionem ab ipsa ecclesia est prouisum, si contra huiusmodi impetrantem defendere se voluerit, expense ad ipsam litem de ecclesie nostre redditibus conmunibus ministrentur.

Sane si eundem nostrum confratrem, vel ad ipsius preces receptum in causa seu lite succumbere contingat huiusmodi, volumus ac ordinamus, vt eidem ex hoc in prebenda post litis decisionem uel cessionem, quam tamen non nisi de capituli voluntate fieri volumus, proxime vacatura nullum omnino preiudicium generetur.

Jnsuper, quia verba cum effectu sunt accipienda, forme adicimus antedicte, quod preces confratris capituli nostri quem secundum ipsius forme continenciam suo tempore tangit ordo petendi, vt superius est expressum, dummodo pro tali persona cui condiciones in ipsa forma posite non obstent porrigat suas preces, semmota contradictione qualibet admittantur.

Jn quorum premissorum testimonium atque robur sigilla nostra presenti pagine sunt appensa.

Publicata et pronunciata sunt hec anno domini M°.CCC°. quinto, jn vigilia purificacionis virginis gloriose.

Porro nos Heinricus prepositus, Fridericus decanus, totumque capitulum ecclesie supradicte, ex vera sciencia recognoscentes ac publice protestantes, premissa vniuersa et singula vera esse, in signum eiusdem recognicionis nostrique consensus ac ratihabicionis eorundem sigillum capituli nostri presentibus duximus appendendum.

Datum et actum anno et die vt supra.

Sigilla novem memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa magnam partem integra sunt.

CCVI.

1305, die 1. februarii.

Sententia arbitraria in dissensione inter ecclesiae herbipolensis capitulum et Heinricum de Wechmar praepositum de integritate amministrationis praebendae exorta lata.

Nos Fridericus decanus et capitulum ecclesie herbipolensis harum serie litterarum recognoscimus vniuersis, quod — cum honorabilem virum dominum Heinricum de Wechmar prepositum nostrum super integritate amministracionis prebende nostre inpetiuerimus, super eo videlicet quod nouem vncias in epiphania singulis prebendis debitas, jtem X solidos in festo penthecostes qui wlgariter haber pfenninge*) nuncupantur, jtem denarios de losunga in diebus seruiciorum dari solites et consuetos, jtem quasdam alias obuenciones (scilicet longa crura, media capita, pisam, fabas et milium, et similia) non integre ministrabat, jpse vero pro se multipli-

*) In altero hujus cartae exemplari legimus: *haberphenninge.*

cem quem in percepcione bonorum prepositure sustineret defectum, occasione cuius integre nobis in amministracione prebende non posset satisfacere allegarit — vt eadem inter ipsum et nos valeret fine conuenienti dissensio terminari, cum sagacis deliberacionis prouisione nos et idem dominus prepositus pari consensu elegimus et exnunc eligimus honorabiles viros Wolframum de Linach, Fridericum de Stahelberg, Conradum dictum Blůmelin*), Eberhardum de Tunneuelt, confratres nostros, in arbitros arbitratores seu amicabiles conpositores ad conplanandum dissensionem huiusmodi, statuendum et ordinandum quicquid eorum placuerit concorditer voluntati super defectu amministracionis pretacte nobis per eundem dominum Heinricum prepositum vel per suum in prepositura successorem pro tempore faciende, ratum et gratum bona fide habituri quicquid per eosdem arbitros sev arbitratores concorditer actum statutum et ordinatum fuerit in hac parte.

Jn cuius rei testimonium sigillum capituli nostri presentibus duximus appendendum.

Datum et actum anno domini M°·CCC°· quinto, sexta feria proxima post epiphaniam domini.

Sane nos confratres capituli predicti — sollicite consideracionis trutina ponderantes multimodum quod honorabilis vir Heinricus dominus prepositus antedictus in bonis prepositure sustinuit et iam nunc sustinet detrimentum propter alienaciones fructuum duarum prebendarum pro tempore vite duarum personarum, officiorum et vinearum et aliorum in prepositura defectuum, que quidem alienaciones non per ipsum dominum prepositum vel antecessores suos sed per capitulum facte noscuntur, jta quod si plene de prebendis satisfacere deberet sibi ad presens nimium existeret onerosum — vnanimi decreto arbitraria seu arbitratoria nobis per antedictum prepositum et capitulum tradita auctoritate pronunciamus statuimus et

*) B: *Blumelin.*

ordinamus, quod post festum sancti Michahelis archangeli nunc proxime affuturum per annos quatuor continue se sequentes in qualibet epiphania quindecim solidos denariorum herbipolensium, et in quolibet festo penthecostes medietatem decem solidorum denariorum herbipolensium dictorum haber pfenninge*) singulis prebendis exsoluat.

Extunc vero, scilicet predicto quadriennio sic elapso, per alios quatuor annos deinde subintrantes proxime vna cum quindecim solidis denariorum dandis in qualibet epiphania summam integram denariorum dictorum haber pfenninge*), videlicet decem solidos, in quolibet festo penthecostes soluere non obmittat.

Extunc autem per duos annos proxime subintrantes medietatem summe denariorum dictorum losunge**) suo tempore distribui procurabit.

Et extunc inantea, videlicet decem annis pretactis exspiratis, cum plena solucione losunge **) annuatim fructus redditus et prouentus prebende nostre cum suis obuencionibus quibuscumque a prepositura debitis deriuari cum omni integritate absque diminucione qualibet plenissime ministrabit — longis cruribus, dimidijs capitibus, et milio et faba, que siquidem non fuerunt infra tempus plurimum ministrata, dumtaxat exceptis, a quibus eum et successores suos absolutos esse volumus et absoluimus per presentes — vt sic obuenciones predicte et alia que moderno tempore et ab antiquo soluta noscuntur per ipsum et successores suos deinceps absque contradictione qualibet facilius exsoluantur, pisam vero crudam vel decoctam secundum capituli voluntatem idem dominus Heinricus prepositus, vel eius in eadem prepositura successor, quem ad premissa singula auctoritate pretacta per presentes astringimus, confratrum seu concanonicorum nostrorum cuilibet, vara postposita, debeat ministrare, non obstantibus alienacionibus officii in Hochhusen***), duarum prebendarum pro duarum personarum tempore vite per capitulum distractarum, necnon quarundam vinearum prepositure annexarum,

*) B: *haberphenninge.* **) B: *losinge.* ***) B: *Hochusen.*

que pene omnia (cum non perpetuo sed temporaliter alienata noscantur) suis temporibus ad ipsum dominum prepositum vel eius successorem ex integro reuertantur, vt eorum amminiculo obuenciones predicte et alie prebende nostre spectantes per ipsum et successores suos valeant commodius ministrari.

Jn quorum premissorum testimonium atque robur sigilla nostra vna cum sigillo capituli pretacti presenti pagine sunt appensa.

Pronunciatum est istud arbitrium seu arbitracio in capitulo nostro, anno domini M°·CCC°· quinto, jn vigilia purificacionis virginis gloriose.

Nos quoque Heinricus de Wechmar prepositus antedictus, recognoscentes premissa singula de scitu verbo et consensu nostro taliter esse facta, ad eorundem obseruanciam sub appensione nostri sigilli nos presentibus obligamus.

Datum et actum anno et die ut supra.

Sena sigilla praedicta fasciis membranaceis ex utroque hujus documenti exemplari suspensa sunt.

CCVII.

1305, die 23. aprilis.

Ecclesia wirziburgensis Walthero de Sekendorf castrum Nûwemburg cum ejus pertinentiis partim vendit partim titulo feodali confert, pacto reemtionis adjecto.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris,

quod — cum ecclesia nostra grauibus debitorum in obsequiis serenissimi domini nostri Alberti Romanorum regis contractorum oneribus premeretur, quibus cottidie per vsurarum voraginem et recepciones fideiussorias dampna irremedibilia accreuerunt — nos, ne dicta ecclesia nostra occasione eorundem debitorum et dampnorum ad irrecuperabilis desolacionis obprobrium tam dampnabiliter laberetur, huiusmodi periculis in tempore remedijs oportunis occurrere decernentes, honorabilium virorum Heinrici prepositi, Friderici decani, et capituli nostri maturo fuimus vsi consilio super eo.

Qui vniuersi et singuli post plurimos et diuersos tractatus habitos deliberauerunt conmuni consilio et consensu, per alienacionem castri Nûwemburg et omnium pertinenciarum suarum — que minus quam alicuius alterius possessionis ipsius ecclesie nostre foret dampnosa — solucioni predictorum debitorum et dampnorum intendere nos debere.

Volentes igitur indempnitati eiusdem ecclesie nostre tam irrecuperabili iuxta supradictum consilium vt expedit precauere, strennuo viro Walthero de Sekendorf dapifero seruitori et castrensi dicte ecclesie nostre dilecto et heredibus suis vniuersis, jnterueniente prefatorum prepositi decani et capituli consensu expresso, supradictum castrum Nûwemburg cum hominibus jurisdiccionibus judicijs centis agris pratis pascuis ortis vineis aquis aquarumque decursibus piscacionibus venacionibus omnibusque juribus redditibus et pertinenciis suis quesitis et non quesitis cultis siue incultis quocumque nomine censeantur rite et racionabiliter pro precio mille et ducentarum librarum hallensium, quod quidem precium recognoscimus nos habuisse recepisse, et in solucionem supradictorum debitorum et dampnorum grauiter nos vrgencium conuertisse, renunciantes excepcioni non numerate non solute non habite pecunie, excepcioni doli mali et in factum, restitucioni in integrum, juri per quod deceptis vltra dimidiam iusti precii subuenitur, omnique alterius juris auxilio canonici et ciuilis per quod dicta posset vendicio impediri, a nobis quoque et ecclesia nostra predicta omne jus quod in dicto castro et pertinenciis suis habuimus expressius abdicantes,

et in prefatos Waltherùm et heredes suos cùm pleno rerùm dominio transferentes.

Vt autem eisdem emptoribus plenius in contractu huiusmodi caueatur, promittimus eis plenam warandiam que werschaft vùlgariter dicitur facere de castro et pertinenciis suis predictis que de bonis proprietarijs fieri consueuit, et de euictione eorundem prorsus cauere prout jus exigit et requirit.

Ex affectu tamen speciali quo dictus dapifer nos nostramque ecclesiam predictam prosequitur, et ex mera liberalitate, dicto vendicionis consummato contractu, jdem vnâ cum heredibus suis nobis successori nostro pro tempore sev capitulo nostro supradicto amice concesserunt, quod jdem castrum cum prenotatis pertinenciis licitum est quandocumque inantea facultas nobis affuerit reemere pro quantitate pecunie preexpresse. Et ad reempcionem huiusmodi sic a nobis successore sev capitulo nostro acceptandam sev admittendam, et ad restitucionem dicti castri et pertinentiarum suarum reempcione huiusmodi facta nobis faciendam se jidem emptores firmiter astrinxerunt sicut inferius continetur.

Judicia vero et decimas dicto castro pertinentes, que appropriari non possunt, eisdem sub predicto modo in feodum contulimus et conferimus, eos inuestiendo rite et racionabiliter de eisdem, jta videlicet quod vnâ cum dicto castro et aliis pertinenciis suis ad reemendum nobis successori sev capitulo nostro restituantur, difficultate qualibet procul mota.

Hec autem omnia premissa promittimus attendere et obseruare, et non contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela, nec prefatis emptoribus contra premissa sev premissorum aliqua siue in foro ecclesiastico sev seculari vmquam mouere litem sev questionem per nos vel alios directe vel indirecte, sev inferenti vel inferentibus aliqualiter consentire, successorem nostrum ad omnium predictorum obseruanciam — si nos ante reempcionem huiusmodi cedere vel decedere contingat — presentibus obligantes.

Jn quorum omnium premissorum et singulorum testimonium hoc jnstrumentum exinde confectum sigillorum videlicet nostri, capituli predicti, nobilium virorum Kraftonis de Hohenloch et Cunradi et Kraftonis filiorum suorum, et predicti dapiferi est diligentius roboratum.

Nos quoque Heinricus prepositus, Fridericus decanus, et capitulum ecclesie predicte premissa omnia de nostro consensu expresso recognoscimus esse facta, sigillum nostrum in eorundem euidenciam hiis litteris appendentes.

Nos etiam Krafto de Hohenloch et filii sui prenotati premissa omnia sic recognoscimus esse facta, sigilla nostra ad peticionem prefatorum Waltheri et heredum huic scripto apponentes in testimonium predictorum.'

Ego vero Waltherus de Seckendorf supradictus pro me et heredibus meis premissa omnia similiter sic recognosco esse facta vt superius enarrantur, jmmo ad restitucionem dicti castri judiciorum decimarum et omnium aliarum pertinenciarum suarum quandocumque apud me sev meos heredes pro expresso mille et ducentarum librarum hallensium precio reempte fuerint vt est dictum sine difficultate faciendam sub predictorum dominorum meorum, domini Kraftonis de Hohenloch et natorum suorum, et meo sigillis me meosque heredes obligo per presentes.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo quinto, jn die beati Georgii martiris.

Sigillorum sex filis sericis rubri coloris ex hoc documento quondam suspensorum illud WALTERI DE SEKENDORF integrum est, illa Conradi et Kraftonis de Hohenloch filiorum abscissa, cetera magnam partem laesa sunt.

CCVIII.

1305, die 24. junii.

Albertus Romanorum rex semper augustus — considerans puritatem fidei qua venerabilis Andreas herbipolensis ecclesiae episcopus, dilectus princeps, erga ipsum et imperium clarere non desinit incessanter, et collocans prae oculis ligamenta quibus se ad praestandum ipsi et imperio adjutorium alligavit pariter et astrinxit — se ipsum ad recuperandum jura sua et suae ecclesiae juturum, et contra injuriatores quoslibet efficaciter defensurum, immo ei per semet ipsum aut suos officiatos quandocumque et quotiescumque requiratur adhaesurum consiliis et auxiliis opportunis, bona fide promittit.

Datum apud Heilprunnen, VIII°. kalendas julii, indictione tertia, anno domini millesimo trecentesimo quinto, regni vero anno septimo.

Alberti regis sigillum quod dicunt majestatis fascia membranacea ex hoc diplomate suspensum magnam partem periit.

CCIX.

1305, die 24. junii.

Albertus rex ecclesiae herbipolensi pro mille marcis argenti et centum libris hallensium castrum et civitatem Swinfurt — vel si necesse foret alia bona — pignori obligat.

Nos Albertus dei gratia Romanorum rex semper augustus ad vniuersorum sacri romani imperij fidelium noticiam uolumus

peruenire, quod venerabilis Andree herbipolensis ecclesie episcopi, nostri dilecti principis, grata que nobis inpendit et graciora nobis et jmperio inpendenda obsequia graciosius intuentes, sibi mille marcas examinati argenti herbipolensis ponderis promittimus nos daturos, obligantes sibi et sue ecclesie pro pecunia huiusmodi et pro centum libris hallensium — quas pro nobis strennuis viris Andree dicto Zobel et Conrado dicto de Rebstok militibus idem soluet episcopus — castrum et ciuitatem Swinfurt cum suis juribus et pertinencijs vniuersis, tali conditione interposita, ut si inter nos et illustres Hermannum et Ottonem marchiones brandenburgenses concordiam contigerit ordinari, ad cuius consumacionem redempcio seu liberacio dicti castri et ciuitatis necessaria requiretur, nos eidem episcopo et sue ecclesie alia pignora siue bona iuxta estimacionem quatuor uirorum discretorum communium assumendorum ab vtraque parte demonstrabimus et assignabimus loco predicti castri et ciuitatis de Swinfurte tytulo pignoris possidenda.

Adicimus nichilominus, ut mille marcis argenti et centum libris hallensium predictis de parata pecunia datis, memorato episcopo aut sue ecclesie, siue processum habeat concordia siue non, castrum et ciuitas predicta cum suis juribus et pertinencijs ad nos et jmperium libere reuertetur.

In cuius rei testimonium hanc litteram exinde conscribi, et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum apud Heilprunnen, VIII kalendas julij, anno domini M°.CCC°. quinto, jndictione tercia, regni uero nostri anno septimo.

*) Vocabulum „*ponderis*“ in codicis textu ommissum manu posteriore in margine adjectum est.

Hoc „privilegium Alberti regis super obligatione castri et oppidi Swinfurte cum suis juribus et pertinentiis universis pro mille marcis examinati argenti ponderis herbipolensis et pro centum libris hallensium ecclesiae herbipolensi facta“ ad fidem Lupoldi de Bebenburg libri quem dicunt copiarum pagg. 157 et 158 edidimus.

CCX.

1305, die 26. junii.

Henricus de Wechmar praepositus ecclesiae herbipolensis, qui olim de advocatia in Trifenstocheym, quamsua pecunia comparavit, vicario altaris quod communiter dicitur altare episcopi Hermanni per successorem in ipsa advocatia tres libras denariorum herbipolensis monetae solvi statuit, quia ipsam advocatiam praeposituraе ecclesiae herbipolensis pleno jure donavit et legavit post mortem habendam et retinendam, in dicta praepositura successores quoslibet — intervenientе pari consensu confratrum — ad solutionem dictarum trium librarum denariorum necnon decem vnciarum et duorum denariorum de curia officii in Westheim in festo beati Martini dicti altaris vicario qui tunc pro tempore fuerit faciendam obligat sub poena formae super amministratione praebendarum editae, quam formam in omnibus suis articulis vult observari.

Fridericus decanus et capitulum ecclesiae herbipolensis facta recognoscunt praedicta de consensu suo, et sub appensione sigilli se astringunt ad observantiam eorundem.

Datum anno domini M°.CCC°.V^to^, sexto kalendas julii.

Sigilla Henrici de Wechmar praepositi necnon capituli majoris ecclesiae herbipolensis fasciis membranaceis ex his litteris suspensa sunt.

Litterae die 16 mensis octobris anni 1298 et die 17 mensis octobris anni 1302, quas supra sub num. CXIV et CLXXIII pag. 205 207 et 297 et 298 edidimus, huc conferri possunt.

In priorum litterarum copia, cujus in nota pag. 207 adjecta mentio fit, prius *Trieffenstocheim* et finem versus *Tyeffenstochein* legitur.

CCXI.

1305, die 2. augusti.

Andreas episcopus capellam in Nuwenbrunnen cum villulis Kentebach et Helzemberg ei annexis ab ecclesia matrice Helblingestat separans, pactis quibusdam adjectis, ecclesiam parrochialem constituit.

In nomine dominj amen.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis omnibus presentem litteram inspecturis salutem in omnium saluatore.

Cum diuinum cultum plantare et plantatum augmentare modis omnibus debeamus, hoc nusquam magis exequimur quam si recta nutrire et ea que profectum virtutis impediunt corrigere auctoritate nostra curemus.

Nouerint igitur vniuersi, quod nobis exparte honorabilium virorum . . prepositi et conuentus monasterij in Holzkirchen, patronorum parrochialis ecclesie in Helblingestat nostre dyocesis, Friderici clerici dicti de Bimbach rectoris eiusdem ecclesie, necnon nobilis matrone Elyzabeth relicte quondam Gotfridi nobilis de Hohenloch exstitit humiliter supplicatum, quod — cum predicta parrochialis ecclesia in Helblingestat tres sub se habeat capellas siue filias, videlicet Altertheim Husen et Nuwembrunnen, et populus earundem capellarum longo latoque diffuso tractu terrarum ab ipsa parrochia sit seiunctus, vt tempore hyemali cum pluuie inundant necnon in qualibet aeris intemperie non possint ipsi parrochianj sine magna difficultate ipsam adire, et propter eandem distanciam ex dilacione collacionis sacramentorum periculum animarum verisimiliter formidatur — antedictam capellam in Nuwembrunnen cum duabus uillulis videlicet Kentebach et Helzem-

berg sibi annexis a predicta matrice ecclesia Helblingestat et duabus capellis predictis Altertheim et Husen separare et diuidere dignaremur, ita quod populus earundem trium villarum Nuwembrunnen Kentebach et Helzemberg ad predictam capellam in Nuwembrunnen tamquam ad suam matricem ecclesiam habere respectum in antea teneatur.

Nos igitur, predictis causis cognitis et inspectis, quia dicta parrochialis ecclesia in Helblingestat ita in redditibus ex antiquo ad eam spectantibus, ac etiam de nouo per predictam matronam intuitu dei et ob remedium anime sue donatis — uidelicet duorum maldrorum tritici, octo maldrorum siliginis, octo maldrorum auene, quatuor vnciarum denariorum, trium pullorum, quindecim ouorum, soluendis annuatim de curia sita in dicta villa Nuwembrunnen, quam ad presens colit et inhabitat dictus . . Rote; item duarum librarum hallensium et viginti hallensium, soluendis annuatim de quibusdam mansis sitis in villula Helzemberg et marchia ipsius villule predicte, quos ad presens Jutha vidua ibidem colit et possidet — habundare uidetur, quod preter predictarum trium villarum Nuwembrunnen Kentebach et Helzemberg prouentus minister illius conuenienter sustentacionem valet habere, predictam capellam in Nuwembrunnen de expresso et consensu et uoluntate tam prefatorum . . prepositi et conuentus monasterij in Holzkirchen, ad quos ius patronatus dicte parrochialis ecclesie in Helblingestat spectare dinoscitur, quam etiam honorabilium virorum . . abbatis et conuentus ecclesie fuldensis, et Friderici rectoris ipsius ecclesie in Helblingestat predicti, cui quidem ecclesie in Helblingestat predicta capella in Nuwembrunnen est nunc annexa, in parrochiam erigimus, ipsam a predicta parrochia in Helblingestat cui quondam annexa fuerat separantes, jure patronatus nichilominus apud priores patronos et decimis maioribus apud parrochiam in Helblingestat remanentibus sicut ante, et constituimus ut populus predictarum trium villarum, videlicet Nuwembrunnen Kentebach et Helzemberg, sicut plebesani de cetero iura parrochialia a dicta parrochia in Nuwem-

brunnen recipiat et requirat, eo solum excepto quod apud parrochiam Helblingestat sicut ante venire ad synodum archidiaconi teneatur, presertim cum dicta parrochia in Nuwembrunnen ad huc tantis habundat redditibus ex quibus sacerdos ibi deo ministrans conuenientem sustentacionem valet perpetuo obtinere.

In cuius rei testimonium presentes sigillorum, nostri videlicet, necnon . . prepositi et conuentus in Holzkirchen, . . abbatis et conuentus ecclesie fuldensis, Fridérici rectoris, predictorum, necnon honorabilis viri Rudigeri de Wechmar loci archidiaconi, qui premissis omnibus suum consensum expressum adhibuit, ac nobilis matrone Elyzabeth predicte munimine duximus confirmandas.

Nos quoque . . prepositus et conuentus monasterij in Holzkirchen, . . abbas et conuentus ecclesie fuldensis, Rudigerus de Wechmar archidiaconus, Fridericus dictus de Bimbach rector dicte parrochie in Helblingestat, predicti, premissis omnibus nostrum consensum expressum ex certa sciencia adhibentes, sigilla nostra presentibus duximus apponenda in testimonium super eo.

Nos etiam Elyzabeth relicta quondam Gotfridi nobilis de Hohenloch in testimonium donacionis de qua predicitur dicte parrochiali ecclesie in Helblingestat per nos facte sigillum nostrum huic apposuimus instrumento.

Datum anno dominj millesimo trecentesimo quinto, quarto nonas augusti.

Octo sigilla praedicta filis sericis partim viridis, partim rubri, partim viridis et caerulei colorum ex hoc documento suspensa — excepto illo HEINRICI PRÆPOSITI IN HOLTZCHIRCHEN — magnam partem laesa sunt vel omnino perierunt.

CCXII.

1306, die 8. aprilis.

Ecclesiae orengauensis capitulum documentum die 15 mensis maji anni 1304 datum, quo se in praeposituram suam vacaturam non nisi personam de capituli ecclesiae herbipolensis gremio electurum profitetur, eodem tenore innovat.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· sexto, VI^to· idus aprilis.

Quatuor sigilla ex his litteris suspendebantur, illa Andreae episcopi herbipolensis et praepositi orengauensis filis sericis rubri coloris, illa capituli orengauensis et Engelhardi decani filis sericis flavi coloris. Illud praepositi memorati jam abscissum est.

Documentum die 15 mensis maji anni 1304 datum supra sub num. CXCII pag. 325 et 326 edidimus.

CCXIII.

1306, die 18. julii.

Andreas episcopus jus advocatitium villae Hocheim ad s. Vitum dictae monasterium s. Stephani herbipolense spectare recognoscit.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis tenore presencium recognoscimus et publice profitemur, quod — cum ius aduocaticium ville Hocheim que ad sanctum Vitum dicitur ad

religiosos viros abbatem et conuentum monasterii sancti Stephanj herbipolensis eorumque monasterii invenerimus pertinere, sicut ex probacionibus eorumdem et precipue ex litteris pie recordacionis domini Einhardi quondam episcopi herbipolensis predecessoris nostri nobis constitit euidenter — nos religiosi viri Hartmûdi abbatis dicti monasterii sancti Stephani peticionibus fauorabiliter annuentes, vt prefata villa Hocheim siue homines ibidem a qualibet vexacione aduocatorum liberi existentes [et] fratres dicti monasterii sancti Stephanj domino liberius decetero valeant famulari, ad confirmacionem et consolidacionem libertatis huiusmodi (quam ipsum monasterium longis retroactis temporibus pacifice habuit et possedit) donacionem iuris aduocaticij in dicta villa Hocheim a prefato domino Einhardo predecessore nostro pia et laudabili intencione legittime factam ratam et gratam habemus, ipsamque presentibus approbamus. Dictum quoque ius aduocaticium ad abbatem et conuentum predictos eorumque monasterium recognoscimus pertinere.

Et nicholominus ad cautelam et in remedium animarum nostre predecessorum et successorum nostrorum jus, siquod in dicta aduocacia nobis et predecessoribus nostris competit aut hactenus competebat, damus et conferimus ipsis fratribus ac eorum monasterio, in eosque idem ius liberaliter transferimus per presentes.

Jn cuius rei testimonium presentes litteras nostri sigilli munimine roboramus.

Testes huius rei sunt: Vlricus de Kirchberg canonicus et archidiaconus, Conradus de Nidecke canonicus ecclesie nostre, Conradus de Jsolfstat capellanus, Heinricus capellarius, Eberhardus notarius, Conradus cellerarius, clerici et familiares nostri; magister Conradus de Fuhtwanc canonicus mosebacensis; Albertus notarius abbatis dicti monasterii sancti Stephani; et plures alij fidedignj ad hoc vocati pro testibus et rogati.

Datum anno domini M°·CCC°· sexto, XV°· kalendas augusti.

Andreae episcopi sigillum filis sericis rubri et viridis colorum ex hac carta suspensum integrum est.

CCXIV.

1306, die 10. augusti.

Wernheri de Tannemberg cantoris et archidiaconi herbipolensis testamentum.

Jn nomine domini amen.

Anno eiusdem M°·CCC°·VI°, in die sancti Laurencij, ego Wernherus de Tannemberg cantor et archidyaconus herbipolensis, conpos mentis, certus de morte sed incertus de hora mortis, nolens intestatus decedere, testamentum presens facio et condo. In quo fideconmissarios meos siue executores testamenti mei constituo et ordino honorabiles viros Wolframum de Linach, Wolframum prepositum noui monasterii, Heinricum patruelem meum, et fratrem Heilmannum de Halsbrunnen ad exequendum et conplendum uoluntatem meam ultimam et subscriptam.

Jn primis volo ut omnia mea debita precipue persoluantur.

Quibus solutis volo ut ad annum gracie prebende mee tot denarij addantur quod exinde redditus trium librarum denariorum conparari possint, qui in anniuersario meo singulis annis distribui debent inter presentes tantum, ita ut due libre canonicis cedant, tercia vicariis.

Jtem in exequiis meis lego IIII$^{or.}$ maldra tritici et duas vrnas vini ad maiorem ecclesiam, jtem in Hauge duo maldra tritici et vnam vrnam vini, jtem ad nouum monasterium duo maldra tritici et vnam vrnam vini.

Jtem lego predicatoribus IIII$^{or.}$ libras hallensium, jtem fratribus minoribus III libras hallensium, jtem ad sanctum Augustinum II libras hallensium, jtem fratribus beate virginis

II libras hallensium, jtem predicatoribus in Mergentheim II libras hallensium, jtem ad sanctum Marcum duas libras hallensium, jtem ad sanctam Agnetam II libras hallensium, jtem penitentibus II libras hallensium.

Jtem confessori meo VI libras hallensium.

Jtem Diemaro vicario X libras hallensium, et librum meum paruum matutinalem.

Jtem famulo meo dicto Rotelse XV libras hallensium, jtem camerario meo X libras hallensium, jtem cellerario meo X libras hallensium. Jtem aliis seruientibus meis diuidentur X libre hallensium. Jtem Johanni IIII^{or} libre hallensium.

Jtem oblacionem meam in Hetingesuelt et Hatenhusen, et vitrum meum magnum lapsatum lego domino de Linach.

Jtem lego oblaciones meas in Òteluingen et in Ysingen Wolframo de Grumbach preposito noui monasterij. Jtem eidem lego II iugera vineti an dem Steine, jtem VII iugera vineti in Gerbrunnen, vt de hoc vineto et oblacionibus predictis soluat annis singulis quinquaginta maldra siliginis et quinque libras denariorum vicario capelle omnium sanctorum qui pro tempore fuerit, quousque ei predictos redditus in bonis certis deputet et assignet.

Jtem oblacionem meam in Berthein lego domino F(riderico) de Stahelberg, ita ut pro XXX libris emat II jugera vinearum, que lego custodi maioris ecclesie herbipolensis qui pro tempore fuerit, de quibus singulis annis soluende sunt II libre cere ad cameram custodis in choro.

Jtem oblacionem meam in Sultzedorf lego Gotfrido de Hohenloch preposito in Hauge, ut de illa emat oblacionem siue bona pro centum et XXX libris hallensium in reconpensam oblacionis uendite de capella omnium sanctorum, quam taliter emptam lego patrueli meo Heinrico iure hereditario possidendam.

Jtem Friderico in Stillanti petra lego XXX libras hallensium.

Jtem curiam meam que Scolastici dicitur lego Got(frido) predicto preposito in Hauge, qui in solucionem debitorum meorum dabit centum libras hallensium.

Jtem meam partem curie que Vituli dicitur lego H(einrico) fratrueli meo. Jtem eidem lego oblacionem meam in Bleichuelt, vt de illa emat redditus XXX solidorum denariorum et XII librarum cere ad lumen perpetuum et candelas omnium sanctorum.

Jtem oblacionem meam in Hottingen lego Goltsteino, vt de illa det LX libras hallensium in reconpensam canonis forsitan neglecti.

Jtem lego Wolframo filio quondam F(riderici) militis de Grumbach patrui mei VII jugera vineti in Hohembůch, et II jugera vineti in . . monte, que colit Rukerus dictus Maler, de quibus predictus Wol(framus) soluet XXX libras hallensium ad debita mea.

Jtem lego domino Heinrico de Wechmar preposito maiori ciphum vitreum, et paruum vitrum lapsum, cum anulo meo meliori.

Jtem lego domino F(riderico) decano II jugera vineti in Schalkeberg, et vnum de anulis meis.

Preterea volo ut fideconmissarij mei conseruent redditus et prouentus oblacionum mearum et omnium rerum mearum aliarum post mortem meam ad duos annos ad exsoluendum legata et debita mea vniuersa, preter redditus ad vicariam deputatos, qui dari debent prout superius est expressum.

Jnsuper volo ut nullus predictorum legatariorum in possessionem alicuius oblegij curie vel cuiuscunque legati ducatur, aut possessionem accipiat, nisi prius satisfaciat et exsoluat omnia et singula sicut superius est expressum.

Hec insuper omnia prenotatis fideconmissariis meis exequenda irreuocabiliter conmitto in fidem et in animas eorum, ita ut deo racionem reddant in examine extremi iudicij vel exspectent a iusto iudice vlcionem.

Datum et actum anno et die vt supra.

Jn cuius rei testimonium sigillum meum cum sigillis fideconmissariorum meorum duxi presentibus apponendum.

Hoc testamentum ad fidem libri copiarum signati A (= 5), saeculo XIV conscripti, pagg. 181 et 182 edidimus.

CCXV.

1306, die 2. novembris.

Arbitrium de debitorum solutione necnon aliis articulis capituli ecclesiae herbipolensis statum spectantibus datum.

Ejus publicatio die 13 mensis januarii anni 1307 in capitulo ecclesiae herbipolensis peremtorio habito innovata est.

CCXVI.

1306, die 29. novembris.

Vicaria perpetua ad altare s. Mathiae apostoli et beati Johannis evangelistae in ecclesia herbipolensi constituitur.

Nos . . prepositus . . decanus totumque capitulum ecclesie herbipolensis tenore presentium recognoscimus publice vniuersis

presentibus et futuris, quod quondam Chvnradus dictus Brvnlin ciuis herbipolensis, constitutus in presentia reuerendi quondam dominj nostri Manegoldj episcopi herbipolensis, bona quedam in Eisleibe sita, quorum partem possidet Gotfridus dictus Mvder, singulis annis viginti maldra siliginis soluentem, reliquam uero partem possident Chvnradus Vulpis et Berhtoldus Hotzeman, soluentem annuatim triginta maldra siliginis octo pullos in carnispriuio, et vnam aream sitam in dicta villa juxta cimiterium, soluentem singulis annis in festo sancti Martinj duos solidos denariorum et quatuor pullos in carnispriuio, in manibus dicti dominj Manegoldi episcopi libere resignauit, petens humiliter et deuote vt — quia eadem bona a dicto domino episcopo herbipolensi et a sua ecclesia in feodum tenuit — in ipsa ecclesia de eisdem bonis pro cultu diuino augmentando dignaretur facere vicariam.

Dictus dominus episcopus, considerans non modicum fauorem existere bona ecclesiastica de laycorum manibus ad vsum ecclesiasticum reuocare, pro obsequio diuino in ipsa ecclesia ampliando ad petitionem humilem predicti ciuis de bonis de quibus predicitur dicto domino episcopo resignatis vicariam perpetuam ad altare quod in dicta ecclesia a prefato ciue sub infima testudine in honore sancti Mathie apostolj et beati Johannis ewangeliste de sua licentia est constructum de nostro consensu constituit fecit et ordinauit, ac bona premissa ad eandem vicariam donatione inter viuos tradidit et donauit, in eandem ipsa bona que ab ipso domino Manegoldo suisque successoribus prorsus abdicauit*) cum pleno proprietatis et possessionis titulo transferens **), ita quod quandocumque et quocienscumque dicta vicaria vacare inceperit ipsam scolasticus pro tempore existens in dicta ecclesia infra tempus a jure statutum clerico ydoneo, videlicet sacerdoti vel illi qui infra annum in sacerdotem promoueatur, conferre teneatur.

Ordinatum est etiam ad peticionem dicti ciuis, quod a vicario dicti altaris singulis annis in illis tribus festiuitatibus — videlicet dedicationis anniuersarij dicti altaris, beati Mathie apostolj, et sancti

*) In utroque hujus documenti exemplari scriptum est: *abdicans*. **) Ibidem: *transferrens*.

Johannis ewangeliste — duodecim lumina cerea emi debent ardentia in eodem altarj quamdiu missarum sollempnia cum nota peraguntur.

Jtem predictus ciuis dedit et tradidit postmodum redditus vnius libre denariorum herbipolensium super duobus jugeribus vineti in monte dicto Lindech, quos conparauerat apud Heinricum de Mosvelt ciuem herbipolensem, cum vineto Gotfridi de Meiningen et iam dicti Heinrici vineto confinatis, ad lumen perpetuum ardens ante altare prenotatum, ad quod lumen perpetuum dominus Fridericus vicarius dicti altaris dedit domum suam sitam juxta curiam dictam Spǒrlinshof.

Jn cuius rej testimonium sigillum nostrj capitulj presentibus est appensum.

Datum anno dominj M°·CCC°· sexto, in vigilia sancti Andree apostolj.

Sigillum praedictum fasciis membranaceis ex utroque harum litterarum quondam suspensum in altero magnam partem laesum est, in altero omnino decidit.

Manegoldi episcopi litteras, die 5 mensis januarii anni 1302 datas, huc spectantes supra sub num. CLVIII pagg. 267 et 268 edidimus.

CCXVII.

1306, die 5. decembris.

Arbitrium de canonicorum ad sedes chorales installatione et de aliis articulis capituli ecclesiae herbipolensis statum spectantibus datum.

Nos Heinricus prepositus, Fridericus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis recognoscimus publice tenore

presencium litterarum, quod in loco consueto nostri capituli celebracionis studiosa premeditacione omniumque de nostro capitulo prehabitis consensu parili et expresso in honorabiles viros Wolframum de Lynach cantorem, Ludewicum de Hohenberg, Wolframum de Grûmbach scolasticum, Heinricum de Rannenberg archidiaconum, Eberhardum de Thunneuelt, Albertum de Thalheim, nostros concanonicos, communiter direximus vota nostra ac eciam dirigimus hiis in scriptis, ipsos ad arbitrandum super infrascriptis articulis in arbitros seu diffinitores concorditer eligentes, dantesque eisdem viris facultatem liberam et plenariam potestatem in eisdem articulis secundum deum et proprias consciencias prout nostre ecclesie expedire viderint arbitrandi, ratum et gratum habituri quidquid per ipsos viros arbitratum seu diffinitum fuerit in omnibus subiunctis articulis seu quolibet eorundem.

Articuli vero super quibus arbitrandum fuerit alternatim et continue subiunguntur. Primo videlicet de installacione quorundam nostrorum concanonicorum inferius nominatorum ad sedes chorales. Secundo de assumpcione quorundam ad capitalum. Tercio de emancipacione domicellorum de iugo scolastico quolibet et rigore.

Nos vero canonici et arbitri predicti, promptis affectibus in nos suscipientes dictum arbitrium, auctoritate nobis ab ipso capitulo tradita memorato concorditer et arbitrarie pronunciamus presentibus ac eciam duximus statuendum, quod Goltsteinus de Riedern, Heinricus de Stahelberg, Ludewicus de Hesseburg, Reinboto de Niperg, Rudegerus de Wechmar, Bertoldus de Grumbach, Heinricus de Thannenberg, Gotfridus de Hohenloch prepositus in Hauge, Vlricus de Kirchperg archidiaconus, nostri concanonici, jn vigilia natiuitatis domini ventura nunc proxime ad sedes chorales indilate iuxta nostrum arbitrium assumantur.

Secundo quod Heinricus de Wechmar, Heinricus de Regenstein senior in eadem predicta vigilia, Otto vero de Wechmar ab ipsa vigilia ad quatuor annos, necnon Theodericus de Stahelberg ad nostrum arbitrium et quam primum nobis

sex [marcas puri argenti] expedire videbitur communiter ad capitulum assumantur.

Tercio simili forma statuimus arbitrij. vt Emicho de Brûnekke, Heinricus de Hennenberg. Albertus de Ebersperg, Heinricus de Regenstein junior, Heinricus de Stahelberg junior, Gerhardus de Rannenberg. Otto de Wechmar junior, . . de Seldenekke in eadem instanti vigilia de qua predicitur, Otto vero de Vlûgelauwe quam primum nostro capitulo sex marcas puri argenti persoluerit de educatu *) puerili ecclesie ad ornatum, Hermannus de Rannenberg, Conradus de Vmsperg, Wolframus pincerna de Rossebergk ab eadem ventura vigilia ad duos annos de scolis emancipentur, dilacione qualibet procul mota.

Jn premissorum quoque omnium testimonium atque robur nos . . prepositus . . decanus capitulum predicti sigillum nostri capituli, necnon nos canonici et arbitri prenominati nostra sigilla similiter duximus presentibus apponenda.

Datum et actum anno dominj M°·CCC°· sexto, feria secunda ante diem beati Nycolai episcopi, qua in premissum arbitrium fuerat concordatum.

*) In documento ipso scriptum est: *episcopatu*.
Sigillorum ex hoc documento fasciis membranaceis suspensorum illud capituli majoris ecclesiae herbipolensis abscissum est, cetera sex restant.

CCXVIII.

1307, die 13. januarii.

Arbitrium de debitorum solutione necnon aliis articulis capituli ecclesiae herbipolensis statum spectantibus datum.

Jn nomine domini amen.

Nos Ludewicus de Hohemberg, Heinricus de Rannemberg, archidiaconi, Goltsteinus de Ryedern, Lude-

wicus de Hesseburg, Eberhardus de Tunnenuelt, Conradus Flosculus, canonici ecclesie herbipolensis, diffinitores seu arbitri ab honorabilibus viris dominis Heinrico preposito, Friderico decano, totoque capitulo dicte ecclesie herbipolensis super infrascriptis articulis et eorum diffinicione nuper in peremptorio capitulo specialiter deputati, scilicet cantoris et cellerarij electione vel prouisione in duabus ydoneis personis de gremio ipsius capituli, necnon debitorum solucione condicionem ipsius ecclesie jam grauiter opprimencium, ac oblacionum seu oblegiorum equali et discreta diuisione in nostra ecclesia ex nunc actualiter vndecumque vacancium diuidi de iure debencium, et super gracia facienda infra nominatis capituli nostri confratribus vocem capituli nondum habentibus sed in proximo habituris, recognoscimus et notum esse volumus ad quos presentes peruenerint publice vniuersis.

§ 1.

Primo quod ex forma compromissi et arbitrij per memoratos viros in nos facta, quam etiam prompto affectu in nos suscepimus, vigoreque eiusdem compromissi, sana deliberacione prehabita, in loco conuenientes nobis per ipsum capitulum deputato, in honorabilem virum Wolframum de Lynach nostrum concanonicum communiter direximus vota nostra, ipsum iuxta sue probitatis merita in cantorem nostre ecclesie concorditer eligentes.

§ 2.

Secundo honorabilem virum Heinricum de Rannemberg archidiaconum eiusdem compromissi vigore in cellerarium dicte ecclesie elegimus, sub duabus tamen condicionibus consuetudini nostre ecclesie non repugnantibus inferius annotatis.

§. 3.

Tercio arbitrando statuimus et ordinauimus irrenocabiliter, quod debita omnia quocumque modo contracta, condicionem ipsius ecclesie

ut predicitur grauiter opprimencia, de oblacionibus iam vacantibus, scilicet ex morte felicis recordacionis Lamperti de Glichen, Wernheri de Tannemberg archidiaconi, necnon Hermanni de Bastheim, nostrorum quondam concanonicorum, et de duabus oblacionibus in Hartheim et in Ballemberg, et in tercia parte aduocacie ville in Steten cum redditibus quatuor librarum denariorum herbipolensium ac triginta maldrorum de capitulo singulis annis prouenientibus apud honorabilem virum Wolframum de Lynach nunc cantorem, et similiter de oblacione in Broute a Goteboldo de Walhusen discreto viro nostro concanonico per ipsum capitulum vere empcionis tytulo comparatis, ad summam trecentarum et quinquaginta sex librarum hallensium, prout cuilibet pecie oblacionum suam certam summam prouida deliberacione prehabita imposuimus ad soluendum ipsa debita, ut inferius patebit clarius, finaliter persoluantur.

Jtem simili modo ordinauimus statuentes, vt curia dicta Schôntal claustralis, attinens olim Alberto de Leuwenstein pie memorie quondam scolastico et concanonico nostro, religiosis viris . . gardiano et fratribus minoribus herbipolensibus seu eorum . . procuratoribus venderetur, quorum fratrum claustro dicta curia ex vno latere confinat, seu alienaretur ab ecclesia perpetuo pro ducentis et triginta libris hallensium, eo quod dicta alienacio ipsi ecclesie minus dampnosa pre ceteris suis possessionibus nobis communiter videbatur, jta sane quod predictum capitulum usque ad comparacionem equipollencium reddituum in aliis bonis singulis annis soluat canonem de dicta curia contingentem. et nichilominus idem capitulum iuxta voluntatem vltimam memorati Alberti sexaginta libras hallensium ad institucionem vicarie de ipsa curia faciendam in remedium anime ipsius Alberti soluat effectualiter tempore oportuno; jtem quod sexaginta libre hallensium que percipiuntur et percipi poterunt iuxta estimacionem nostram de symotis dominicalibus a tempore cessacionis pistacionis earundem ad messem futuram; jtem quod sexaginta libre hallensium legate per memoratum Wernherum de Tannemberg ipsi nostro capitulo in sua vltima voluntate; jtem quod quinquaginte libre hallensium cedentes

exnunc ipsi capitulo in redditibus annuis de opido Ôsenfurte in presenti anno, et similiter quinquaginte libre hallensium ammutuate sepedicto capitulo per nostros concanonicos specialiter partem habentes in opido Ôhschenfurt, quas quidem quinquaginta libras dictum soluet capitulum ex nostra ordinacione in festo purificacionis proxime subintrante; jtem obuenciones prouenientes de oblacionibus quibusdam quas noster scriptor Heinricus de Crutheim sacerdos hoc anno collegerat; jtem quod pecunia que recipi potest per alienacionem curie in Stokheim cum suis pertinencijs apud Heinricum de Crentse per memoratum capitulum comparate vniuersaliter ex nostri maturi decreti arbitrio cum pecunia recepta de manibus dictorum fratrum minorum seu eorum . . procuratorum de qua predicitur in solucionem ipsius capituli debitorum aliorum omnium effectualiter redigantur.

§ 4.

Quarto de oblacionibus nuper ex morte predictorum nostrorum concanonicorum vacantibus et ipsam ecclesiam alias quocumque modo contingentibus diuisionem subscriptam fecimus secundum deum et nostras consciencias iuxta formam nobis traditam a capitulo memorato, oblacionum iam vacancium in decem et nouem particulas, necnon duarum oblacionum apud predictum Wolframum de Lynach comparatarum ut superius dicitur in duas pecias facientes equaliter sectionem. Et centum libras hallensium pro duabus particulis oblacionum, que in diuisione vltra premissum numerum congrue haberi non poterant, soluendas duabus personis que eas vendicare maluerint loco oblacionum per sepedictum capitulum ante festum epiphanie domini proximum, diuisioni oblacionum adiecimus predictarum. Et sic in numero erunt viginti tres particule oblacionum, ipsis omnibus sagaciter computatis.

Verum cum viginti quinque sint persone ad presens oblaciones percepture, et tantum viginti tres particule oblacionum, ut iam superius est expressum, arbitrando communiter statuimus et ordinauimus, Heinricum de Rannemberg predictum a percepcione

cuiuslibet premissorum particularum excludj penitus, quem et nos excludimus arbitrarie in hijs scriptis, jta sane quod ipse — contentus in officio cellerarie prelibato in sortem oblacionis eum contingentis — jnsuper Goteboldo de Walhusen predicto de aliis suis oblacionibus iuxta valorem et redditus vnius pecie de nostro arbitrio assignet canonicam porcionem, que etiam haberi non poterat in diuisione superius memorata.

Preterea in actuali diuisione oblacionum de quibus predicitur de oblacione in Sawensheim et suis pertinencijs, quam Wernherus Tannemberg et Hermannus Bastheim predicti quondam nomine oblacionis possederant, fecimus partes quinque, tali distinctione quod Sauwensheim, Wyelandesheim, Gnetzheim, Stokheim, Ytolzheim, Gnotzstat, Gozboldesdorf, cum villis et decimis, censibus ibidem in confinio constitutis, cum collacionibus ecclesiarum ibidem pro duabus particulis habeantur, ita quod possessores dictarum particularum pro canone singulis annis persoluant triginta libras denariorum debito tempore, et septuaginta maldra tritici ad granarium capituli memorati. Et nichilominus ad solucionem debitorum capituli dabunt in presenti ex nostro arbitrio viginti libras hallensium indylate.

Jtem Arnstein Tungeden et Heseler, cum curijs decimis quibuscumque alijs obuencionibus seu redditibus in eodem confinio sitis quos memorati Wernherus et Hermannus antedicto modo possederant, cum collacionibus ecclesiarum in Arnstein et in Steten similiter pro duabus particulis habeantur. Pro canone de ipsis particulis earum possessores persoluent capitulo septuaginta duo maldra tritici, et triginta maldra siliginis ecclesiasticis ecclesie nostre annis singulis temporibus debitis et consuetis. Ad solucionem etiam debitorum capituli ijdem possessores dabunt quadraginta libras hallensium indylate.

Jtem Meydebach, Ratershusen, Pfentenhusen, cum collacionibus ecclesiarum in Meydebach et in Phersdorf, cum decimis et censibus et aliis obuencionibus ibidem pro particula vnica habeatur. Et eius possessor pro canone soluet viginti maldra

tritici et triginta solidos denariorum in festo sancte Afre, et decem maldra siliginis ecclesiasticis memoratis. Ad solucionem debitorum capituli soluet quindecim libras hallensium paratorum.

Et sic de vna parte Wernheri et Hermanni predictorum quinque fecimus porciones.

Jtem de oblacione in Breute et suis pertinencijs cum antiquo canone capitulo soluendo vnicam fecimus porcionem, de qua possessor eius ad solucionem debitorum capituli dabit quadraginta libras hallensium paratorum.

Jtem de medietate oblacionis in Ysolfstat et Sulzeuelt cum collacionibus ecclesiarum dictorum locorum quatuor fecimus porciones, ut soluant earum antiquum canonem possessores. Pro debitis vero capituli dabunt septuaginta libras hallensium paratorum.

Jtem de viginti vrnis vini vacantibus in cuppa Randesacker cum suis pertinentijs quatuor fecimus porciones, jta quod possessores earum debitum canonem de eis persoluant, et ad solucionem debitorum capituli septuaginta libras hallensium contribuant paratorum, disposicionem refusionis et solucionis duorum annorum gracie quos predictus Wernherus de Tannemberg dudum habuit de tribus vrnis in ipsa cuppa soluendorum de bonis capituli nobis presentibus reseruantes. Dimidiam vero vrnam superstitem vltra viginti de quibus predicitur cum suis accessorijs et iure suo quod diuidi congrue non poterat Heinrico scriptori predicto contulimus ad sue vite spacium possidendum, jta sane quod de ipsa det quatuor vncias denariorum singulis annis vltra canonem debitum et consuetum.

Jtem de tribus partibus oblacionis in Volkach per mortem dominorum L(amperti) de Glichen et Hermanni de Bastheim [vacantis] fecimus tres partes, antiquum canonem persoluentes. Et possessores earum dabunt triginta libras hallensium ad debita capituli persoluenda. Simili modo disposicionem et ordinacionem solucionis duorum annorum gracie quos idem Hermannus de Bastheim dudum habuit, in quarta parte eiusdem oblacionis in Volkach soluendorum de bonis capituli nobis presentibus reseruamus;

Jtem de oblacione in Bleychuelt et de tercia parte aduocacie in Steten, quas predictus Wernherus de Tannemberg possederat cum onere suo in regula capituli expresso, vnam fecimus porcionem, cuius possessor dabit octo libras hallensium pro debitis capituli persoluendis.

Jtem de medietate oblacionis in Aschuelt*) vnam fecimus partem, antiqum canonem persoluentem. cuius possessor dabit triginta libras hallensium ad debita capituli persoluenda.

Jtem de tertia parte aduocacie in Steten cum redditibus quatuor librarum denariorum herbipolensium et triginta maldrorum siliginis, soluente antiqum canonem, redditibus quidem comparatis apud Wolframum de Lynach nunc cantorem, vnicam fecimus porcionem, cuius possessor dabit viginti tres libras hallensium ad debita capituli persoluenda.

Jtem de oblacione in Hartheim et in Ballemburg ac suis pertinenciis cum antiquo canone vnicam fecimus porcionem. Et nichil eius possessor dabit ad debita capituli persoluenda.

Jtem de oblacione assignanda Gotdeboldo de Walhusen per Heinricum de Rannemberg idem Gotdeboldus dabit decem libras hallensium in solucionem debitorum capituli memorati.

Jtem de premissis centum libris assignatis supra pro duabus particulis nichil dabitur per earum receptores pro canone ex nostra ordinacione vel ad debita capituli persoluenda.

Jtem arbitrando statuimus, quod possessores predictarum parcium oblacionum, et nichilominus Gotdeboldus de Walhusen in oblacione sibi assignata per Heinricum de Rannemberg in oblacione sua in Suntheim, [sicut] post publicacionem presencium nobis innotuit, habeant annum gracie quilibet in sua pecia, maxime hii qui ad solucionem debitorum capituli contribuunt, ex nostra ordinacione et gracia speciali, ut proinde inueniantur ad contribucionem prehabitam promptiores, jta sane quod ante diem beati Mathie apostoli

*) In documento ipso legimus: *Aeshuelt.*

proximum absentes conueniant seu ad ecclesiam redeant quarumlibet predictarum parcium possessores, nobiscum, deinde in sua ecclesia ad spacium vnius annj continue, subintrante proximo deinde facturi ex nostra ordinacione irreuocabiliter residenciam personalem. Alioquin oblacionum particulis eo ipso approbacione presentis arbitrij et vigore quas actualiter possident sine spe restitucionis, si non venerint premisso modo, vel venientes non permanserint per prenominatum spacium, sint priuati. Hij vero qui suas pecias vendiderint, vel post diuisionem in antea vendiderunt, vel paratam pecuniam pro suis peciis a capitulo de centum libris prehabitis receperunt. si residenciam premisso modo non fecerint, in quinquaginta libris hallensium non remittendj quilibet eorum singulariter in iam dicta summa memorato capitulo remaneant obligati, non percepturi indylate prebendas suas quamprimum premissis non paruerint, donec in quinquaginta libris hallensium de quibus predicitur capitulo satisfecerint cum effectu.

Jtem ad resecandum omnem discidij et dubitacionis materiam de diuisione oblacionum superius habita et rancoris predicta forma arbitrij statuimus, ut diffiniciones dubiorum super collacionibus ecclesiarum predictis oblacionibus attinencium, seu quibuscumque aliis obuencionibus peciis vel redditibus de quibus ad plenum tempore diuisionis instructj non fuimus quocumque modo emergencium, quorum discussionem nobis etiam presentibus reseruamus, pro utilitate capituli discutiendorum quandocumque et quocienscumque necesse fuerit apud nos remaneant incunctanter.

§ 5.

Quinto premissa forma arbitrij irrefragabiliter et communiter duximus statuendum, quod Bertoldo de Grumbach, Reinboloni de Nitberg, Heinrico de Tannemberg, nostris confratribus, vocem capituli nondum habentibus et in proximo habituris ex speciali gracia redditus septuaginta duorum maldrorum — cuilibet eorum viginti quatuor maldra — de oblacionibus in nostra ecclesia proxime vacaturis ante omnem actualem earum diuisionem

assignentur, suis vsibus et vtilitatibus applicandj. Optionem et electionem tamen an dicti redditus eis assignari debeant, vel quinquaginta libre hallensium promptorum eodem tempore de substancia capituli equaliter diuidendorum inter easdem personas, vigore arbitrij in nos translati nobis presentibus reseruamus. Hee etiam persone infra sex ebdomidas a die effectualis assignacionis dictorum reddituum vel pecùnie publice in capitulo faciende, si absentes fuerint, ad suam ecclesiam redeant, cum suo capitulo et nobiscùm sub pena premissa — scilicet priuacione ipsorum reddituum — ad spacium vnius anni facture ut premisse persone residenciam personalem: vel si promptam pecuniam receperint, et presentes iam dicto modo non fuerint, in recepta pecunia quelibet earum pro se singulariter in non remittendo debito remaneant obligate, carentes indylate fructibus prebendarum suarùm per suspensionem in hiis scriptis eis inflictam, donec pecuniam sic perceptam reddiderint*) integre capitulo supra pluries memorato.

In premissorum quoque omnium testimonium atque robur, et ut arbitrium in nos premisso modo translatum finem et effectum debitum sorciatur, sigilla nostra nos . . canonici et arbitri predicti duximus communiter presentibus apponenda, petentes presens instrumentum deinde confectum in ipsius arbitrij ratihabicionem appensione sigilli memoratj capituli roborari.

Nos vero Heinricus prepositus, Fridericus decanus, totumque capitulum, superius memorati, ratum et gratum habentes presens arbitrium, et commendantes in omnibus suis partibus, in ipsius ratihabicionis certitudinem presens instrumentum appensione sigilli capituli nostri iussimus communiter communiri.

Acta et publicata sunt hec anno domini M°·CCC°· sexto publice in capitulo, jn die omnium animarum.

*) In documento ipso scriptum est: *redderint.*

Et deinde in anno domini septimo, in octaua epiphanie sequente predictum numerum annorum domini, fuit premissorum publicacio denuo innouata jn capitulo memorato.

Sigillorum septem fasciis membranaceis ex hoc documento suspensorum non nisi illa Heinrici de Rannemberg et Conradi Flosculi supersunt, et haec ipsa quidem magnam partem laesa.

CCXIX.

1307, die 27. februarii.

Andreas episcopus abbatissae et conventui coenobii s. Clarae extra muros Nueremberg, quas ob coelebis vitae flagrantiam sincero favore prosequitur, partem in decimis novalium de nemore earundem prope Cirndorf inmonte sito provenientium, se ad triginta jugera extendentium, ipsum contingentem de jure, divinae retributionis intuitu, animaeque suae ob remedium, et ut dictarum abbatissae et conventus apud altissimum precibus adjuvetur, libera donatione tradit et donat, in eas ac earum coenobium iam dictum omne jus ipsi in decimis hujusmodi competens transferendo.

Datum in Nueremberg, anno domini M°. CCC°. VII°., III°. kalendas martii, pontificatus vero anno quarto.

Andreae episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum laesum est.

CCXX.

1307, die 22. martii.

Andreas episcopus praelatis et capitulis quibusdam civitatis wirziburgensis jam per annos frustra a divinis cessantibus mandat ut ad hoc negotium expediendum personas idoneas deputent.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis honorabilibus viris . . prelatis et capitulis maioris, in Havge, ac noui monasterij ecclesiarum herbipolensium, necnon . . abbatibus et conventibus monasteriorum ad sanctum Burcardum, ad sanctum Stephanum, et ad Scothos ciuitatis eiusdem sempiternam in domino karitatem.

Cvm ea que veneranda vetustas olim ex causa vtiliter statuit, si ad abvsum vergant, vel ex eorum obseruancia nulla vtilitas sed dampna grauia proueniant, prouida valeat neuitas secundum canonicas sanctiones in melius reformare, hinc est, quod — cum ex quodam predecessorum vestrorum promisso pro conmunibus periculis precauendis et dampnis vrgentibus repellendis et si ab inicio vtiliter instituto jn vestris tamen ecclesiis diuine laudis organa et diuinorum officiorum exercicia non absque indeuocionis augmento et clericalis ac monastice discipline detrimento iam per annos aliquot sunt suspensa, quamuis ad efficiendum id ad quod inuentum fuerat non sufficiat, jmmo vt experientia docuit non proficiat quoquammodo — et quia pastoralis sollicitudo (quam de singulis ecclesiis et clericis nostris sedulo gerimus) nos curis continuis cruciat et affligit, ne diuini cultus negligencia, quem pocius nostris temporibus augeri cupimus vt debemus, si sic absque vllo profectu diucius proteletur, diuinam super nos qui dominici gregis pastor dicimur vindictam presencialiter excuciat et inducat, quare vobis in virtute sancte

obediencie firmiter precipiendo mandamus, quatenus — non obstantibus quibuscumque statutis consuetudinibus preceptis vel promissis quacumque pena aut firmitate vallatis — statim visis presentibus, omni contradictione semota, diuinis officiis vt prius resumptis, due persone de summo, et de qualibet alia ecclesia supranominata vna, nobis per vos jnfra quindenam a data presencium numerandam que ad huiusmodi negocia expedienda conueniant deputentur. Cvm hiis enim de modis et viis salubribus et ad effectum vestre intencionis cicius inducendum proficuis deinceps vsque ad festum beate Walpurgis tractabimus deo dante.

Jn quas quidem vias per nos et premissas personas diuina fauente gracia inueniendas omnia vestra promissa cessacionem diuinorum tangencia exunc prout extunc presentibus auctoritate ordinaria commutamus.

Datum anno domini millesimo CCC°. VII°., XI^a. kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Andreae episcopi sigillum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum magnam partem laesum est.

Quod infra sub num. CCXXVIII edemus documentum, die 13 mensis novembris datum, huc conferri potest.

CCXXI.

1307, die 27. junii.

Compositio de expensis hospitiorum ab episcopo herbipolensi vel domino castrum Trimperc ex parte ecclesiae herbipolensis tenente in villa Elvericheshusen recipiendorum ferendis facta.

Heinricus prepositus maioris ecclesie herbipolensis.

Suborta materia questionis coram nobis inter sanctimoniales .. abbatissam et conuentum cenobij in Vrowenrode ex una et uni-

uersitatem ville in Eluerichesheusen ex parte altera super quibusdam seruitutibus quas ipsa uniuersitatis petebat de uniuersis bonis dictarum sanctimonialium que habent in dicta villa Eluerichesheusen, asserentes eadem bona portionem seruitutis congruentem portare uniuersitate cum eadem, ex parte iam dictarum sanctimonialium responsum fuit hoc fieri non debere, quia ius nec consuetudo eas ad hoc obligaret.

Tandem post multos et uarios tractatus hinc inde inter partes habitos didicimus a fide dignis et melioribus ipsius ville per relationem ueridicam,]quod] duo allodia apud quondam Hermannum dictum de Wazzerlosen militem et Johannem de Malkozes conparata et empta [ad] seruicia seu exactiones alias quocumque nomine censeantur dicte uniuersitati nullatenus constringantur.

Sed nunc dictum est, ambarum parcium ad hoc uoluntate accedente, ut si reuerendus pater ac dominus noster episcopus qui est aut qui fuerit in futuro hospicia in iam dicta villa Eluerichesheusen receperit, aut dominus qui castrum Trimperc ex parte ecclesie herbipolensis tenuerit, ad huiusmodi expensas iam dicte . . abbatisse et conuentus de dictis allodijs porcionem competentem et moderatam assignabunt. Primo et principaliter autem sumptus qui fiunt in curia predictarum sanctimonialium taxabuntur; et defalcari debent iuxta ualorem eorundem, si maiores sunt quam porcio eas contingens; residuum si quod fuerit uniuersitas tenebitur resarcire.

Item dictum est, ut si predicta uniuersitas prefatas sanctimoniales in huiusmodi porcionibus ipsas contingentibus nimium grauare uoluerit, aduocatus qui tunc pro tempore fuerit ipsas porciones debet moderare secundum quod expense tunc facte se extendunt et propria sua discrecio ipsum informabit. Ceteri tres mansi, quos tribus colonis specialiter locauerunt, uniuersa iura cum predicta uniuersitate obseruabunt, omni vara procul mota.

Testes huius rei sunt: Albertus plebanus in Vzenheim, Hartlibus capellanus in Trimperc, Heinricus dictus de Herlingesberc,

Gotfridus cellerarius dicti domini prepositi, Guntherus scultetus, Wernhardus, . . dictus Durre, Bertoldus dictus Snitzer, villani in Eluericheshusen, et quam plures alij fide digni.

Datum et actum anno domini M°.CCC°.VII°., feria tercia ante festum beatorum apostolorum Petri et Pauli.

Sigillum Heinrici de Wechmar praepositi fascia e documenti ipsius membrana confecta suspensum est.

CCXXII.

1307, die 16. julii.

Ludewicus comes de Rienecke junior — quia Andreas episcopus herbipolensis, grata et utilia quae ipsi et ecclesiae impendit obsequia et gratiora et utiliora in posterum impendenda gratiosius intuendo, ei et ejus heredibus legitimis universa et singula feoda ipsi et dictae ecclesiae ex morte nobilium virorum quondam de Brandenstein vacantia contulit, eumque ad possidendum ea feodali titulo investivit rite et rationabiliter de eisdem — eidem episcopo bona fide promittit, quod si in Brandenstein vel Slûther seu alibi in dictis feodis aliqua aedificia castrensia erexerit seu construxerit, ipse seu ipsius heredes cum illis perpetuo respicient fideliter ipsum episcopum et ejus ecclesiam memoratam. Si autem ipsum sine heredibus legitimis decedere contigerit, ipsa aedificia castrensia cum aliis feodis praeexpressis ad dictum episcopum et ejus ecclesiam libere revertentur.

Datum in Karlburg, anno domini millesimo CCC°.VII°., XVII kalendas augusti.

Sigillum LVDEWici · COMITIS · DE · RIENEKE fascia membranacea ex his litteris suspensum paene integrum est.

CCXXIII.

1307, die 9. augusti.

Civitas wirziburgensis se Andreae episcopo cautionem de exsequendo arbitrium in discordia inter ipsos exorta dandum praestituram promittit.

Nos Siboto miles aduocatus quondam in Lvden, Heinricus dictus Weibeler, Fridericus dictus Gyr, Johannes dictus Hane, Cvnradus dictus Isenburg, Johannes dictus Viernekorn, totaque vniuersitas ciuitatis herbipolensis harum profitemur serie litterarum, quod nos venerabilj in Christo patrj ac domino nostro Andree episcopo herbipolensi dabimus et prestabimus omnem cautionem seu securitatem, quam arbitri super varijs controuersijs inter ipsum et suam ecclesiam ex vna et nos ciues ac vniuersitatem predictos ex parte altera eligendi, vel maior pars eorundem, aut si ipsi arbitri in equales partes se diuiserint quam honorabilis vir Wolframus de Grv̊nbach prepositus ecclesie noui monasterij herbipolensis et strennuus vir Cv̊no de Rebestok miles officiatus in Hohenburg dandam per nos ipsi domino nostro episcopo memorato ordinauerint et prestandam, ad obediendum et parendum omnibus et singulis que jidem arbitri, sev maior pars eorum, vel si discordes equaliter fuerint que prepositus et officiatus prenominati ordinauerint aut arbitrati fuerint seu dixerint faciendum per viam justitie vel amoris.

Si autem cautionem seu securitatem de qua predicitur modis et conditionibus pretactis non dederimus siue prestiterimus ipsi domino nostro episcopo predicto, eidem in duobus milibus marcarum argenti pene nomine volumus obligari, ad soluendum ipsi domino nostro episcopo easdem nos presentibus obligantes.

Quamprimum cautionem seu securitatem modis et condicionibus preexpressis dederimus seu prestiterimus domino nostro episcopo memorato, presens scriptum — nobis extunc reddendum — nullius prorsus obtinere decernimus roboris firmitatem, dantes sepedicto domino nostro episcopo has literas, ciuitatis predicte sigillj patrocinio roboratas, in testimonium premissorum.

Datum Herbipoli, anno dominj M°.CCC°.VII°., V°. jdus augusti.

Sigillum civitatis wirzibargensis fascia membranacea ex his litteris suspensum est.

CCXXIV.

1307, die 10. septembris.

Schiedsrichterlicher Spruch über die Entscheidung der Zwistigkeiten des Bischofes Andreas und der Stadt Wirzburg.

In gotes namen amen.

Wir Wolfram von Grumbach probest zeme Nuwenmvnster vnd ich Kvne vom Rebstok, vber man vnd vber lute gegeben von vnsers herren wegen des bischoues Andres von Wirzeburg einentalb vnd der burger von Wirzeburg gemeinekliche anderthalp vmme alle sache vnd gebresten di si gen ein ander zesprechen han, vnd svnderliche vmme ein sicherheit vnd eine gewisheit ze vindene vnd ze setzene oder ze machene nach minnen oder nach rehte sweder wir wolhen vnme allen daz stete ze haltene daz ir ratlute die erbern hern der techant Friderich fon me tvme, grave Vlrich fon Kirchberg, vnd der marschalg fon Hohenberg der altere, vnd her Andres Zobel der kamerer

fon vnsers herren wegen des bischoues, vnde di erbern lute er Sibot der ritter der voget was ze Luden, her Friderich Gyr, her Johan Hane, vnde her Johan Firnekorn fon der burger wegen ze Wirzceburg, di sie beidenthalben haben gnvmen dar vber, oder di merre menege vnder in, vnd ob si sich gliche zweigen swas wir dar vz machen vnd sprechen nach minne oder nach rechte, tvn kunt allen den di disen brief sehen oder horen lese.

Wan sich die forgenanten ratlute nicht en mochten gesamene in ein, nach vber ein nicht enmochten kvmen weder an der minne nach an den rechten vm eine sicherheit ze vindene vnd ze machene ober alle sache stete ze haltene als hie for geschriben ist, vnd wan sie sich glich an der sicherheit ze vindene haben gezweiget, so sprechen wir zwene nach minnenklichen vnd fruntlichen teidingen nach wiser lute rat, daz vnser herre der bischof swern sol, vnd sinen offen brief geben sol vnder sime jnsigel den burgern gemeinliche ze Wirzeburg, allez daz ze volbringen vnd stete ze halten an alle geverde swas die echte forgenanten ratlute, oder ir meistes teil, oder wir zwene ob sie sich gliche teiln, machen setzen oder finden oder heizzen nach minne oder nach rechte.

Wir sprechen auch, daz vnser herre der bischof den burgern fon Wirzeburg setzen sol ze burgen fier landes hern, fier thvme hern, vnde fier des goteshuses dinstman, fer thusent marc loteges silbers, ob her bruch wrde an keinre sache di die forgenanten ratlute, oder daz meiste teil, oder wir zwene mitelman ob sie sich glich gezweieten, heizzen machten oder funden nach minne oder nach rehte.

Wir sprechen auch, daz die burgen di vnser herre der bischof setzet globen sullen mit guten truwen in die stat ze Ohssenfurt ane geverde, selbe ob sie mugen, oder ie der herre oder man lege ein ritter oder ein edeln knecht ze leistene an sin stat, also lange bez die tvsent marc gevallen oder gegeben sint, swenne sie fon der burger wegen fon Wirzeburg werden gemant.

Wir sprechen auch, daz vnser herre der bischof vnsern burgern fon Wirzeburg des kvnges brief vnd sin jnsigel gewinnen

sol zeim vrkvnde einer stetekeit aller der setze di die forgenanten ahte ratlute, oder ir meiste teil, oder wir zwene vber man machen oder finden ob sie sich gliche zweigen; vnd ob vnser herre der bischof der keinre bruch wrde, daz er vf in beholfen si den burgern fon Wirzeburg mit guten truwen ane geuerde.

Wir sprechen vnd heizen auch, daz di burger fon Wirzeburg arm vnd riche vnserme herren den bischoffe swern sullen, alles daz ze volbringene vnd stete zehaltene an alle geverde swaz di achte forgenanten ratlute, oder ir meistes teil, oder wir zwene ob si sich gliche geteiln, machen setzen finden oder heizen nach minne oder nach rechte. Vnd den eit sullen sie fer nuwe alle iar an sente Mertins tage vnserme herren den bischoffe oder sweme er ez beuelit. Si sullen auch irn brief geben mit der stete jnsigel, daz sol niemanne schaden an sime rehte. Vnd der brief sol sten als vnsers herren des bischoffes brief den er in geben sol.

Wir sprechen auch, daz di forgenanten burger fon Wirzeburg vnserme forgenanten herren den bischoue setzen sulen ze burgen fier landes herren, fier thumherren, vnd fier dienstman des goteshuses, for thusent marc loteges silbers, ob sie bruch wrden an keinre sache di die forgenanten ratlute, oder daz meiste teil, oder wir zwene obman ob sie sich glich geteilten, heizen machten oder funden nach minne oder nach rehte.

Wir sprechen auch, daz die selben burgen die si vnserme herren den bischoffe setzen globe sullen mit guten truwen ze Ohssenfurt ane geverde, selbe ob si mugen, oder ie der herre oder man lege ein ritter oder ein edeln kneht ze leisten an sin stat, als lange bez die tusent marc geuallen oder gegeben sint, swenne sie fon vnsers herren des bischoffes wegen fon Wirzeburg gemanet werden.

Sie sullen auch vnserme herren dem bischoue vnsers herren des kvnges brief vnd jnsigel gewinnen ane geverde. Vnde der brief sol sten als der brief den in vnser herre der bischof gewinnen sol.

Wir sprechen auch daz: ob vnser herre der bischof oder die burger die burgen di in gesetzen sin manen oder heizen manen daz si leisten, sprichet danne daz teil des burgen da gemanet sin, daz man si ze vnrechte habe gemant, das sullen sehs man di dar vber gnomen sin — fon vnsers herren des bischoues wegen dri, di erbern hern vnd man her Cvnrat fon Nidecke, vnd graue Vlrich fon Kirchberg, di erzpriester, vnd er Andres Zobel; fon der burger wegen dri, di erbern lute ern Johan fom me Stern, ern Cvnrat fom me Rebstoc, vnd hern Cv̂nrat fon Jsenburg — vf irn eit den si dar vber getan haben in drin tagen nach der manunge waren v̂f vnsers herren sal des bischoues, swenne sie gemanet werden fon eim teil oder fon beiden, vnd ahte tage darinne sin, vnd dar vz niht ze kvmene bez sie daz vz gerichtent nach minne oder nach rechte. Jst aber daz sie sich glich teiln, so sol ez sten an vns zwein mitelmannen, vnd sullen ez vzrichten dar nach in achtagen nach minne oder nach rehte. Vnde daz sullen beide teil stete halten. Wil aber ein teil der forgenanten ratlute niht en vf faren, so sullen die andern en vf faren. Vnd sullen wir zwene mit den minnen vnd rechtes gewaltic sin vmme di manunge vnd vm die leistunge. Vnd daz sol man beidenthalben stete haben. Vnd swer des niht en tut, der sol vallen in di bueze vnd in di pene di hie for geschriben sint.

Wir sprechen auch, daz allez daz stete sol bliben swaz di achte ratlute, oder daz meiste teil, oder wir zwene ob sie sich glich gezweigen, setzen oder machen, di burgen leisten oder leisten nicht, oder die pene gevalle oder geualle nicht.

Wir behalten vns auch den gewalt, daz wir disc sicherheit heisen meren fon beide teiln oder fon eime teile als vns minneklich oder rechtekliche dvnket. Daz suln sie beidenthalben stete halten vnd folle furen.

Wir behalten vns auch den gewalt*), ob kein zwifel oder kein irresal wrde oder vflouse an kein dingen di hie fore oder her nach geschriben vnd gesprochen sint, daz wir zwene daz mvgen vz legen

vnd vz richten als vns fruntlich vnd gerichteklich dunket. Vnde swer des niht en hilte, der vile in die bueze die hie for geschriben stet.

Wir sprechen auch daz, daz vnser herre der bischof vnd vnser burger irn brieue sullen beidersit ein ander gebe vnd burgen setze als hie for geschriben stet in disen viercehen nachten, jst daz wir daz ziel nicht erlengen, des wir doch svnderlingen gewalt behalten. Vnsers herren des kvnges brief vnd jnsigel sullen sie gewinne beidersit for sente Michahels tage ane geverde, ob sie mvgen. Jst daz nicht, so suln wir in ein ander ziel geben, vnd daz forder ziel auch derlengen als vns bescheidelich dvnket.

Wir sprechen auch: kvment di achte, oder daz meiste teil, nicht vber ein vm eine frist vnd vm ein ziel in dem man alle ding ende di an sie vnd an vns gelazen sin oder werden, so mvgen wir in ein ziel geben als vns bescheidelich dunket.

Wir heizzen auch, daz vnser herre der bischof oder burger fon Wirzeburg arm vnd rich den erbern herren vnd luten di an dem rate sin vnd vns zwein mitelmannen nimmer zv gesache mit worten noch mit werken. Swas der rat, oder daz meiste teil, oder wir zwene zwihschen in setzen oder machen, daz sullen sie beidersit nemen in den eit den sie swere sullen.

Wir sprechen auch: ist daz der achte forgenanten ratlute oder der sehsser einre stirbet, oder da bi an geverde niht gesin mac, so sol daz teil da er in geherte einen andern geben an sine stat ane geverde. Wer aber daz vnser zweier einre sturbe, so sol der ander einen zv ime nemen an sine stat an geverde. Vnd swem man also nimet, der sol swern als wir vnd di andern ratlute gesworn hant.

Vnd daz alle dise sache ganze vnd vnuerbrochen bliben, haben wir disen brief gegeben zv eime steten vnd ewenklichen vrkunde, mit vnser beider jnsigel geuestent vnd versigelt.

Dirre brief der ist gegeben nach gotes geburte tvsent jar drihundert jar vnd in dem sibenden jare, an dem nehesten svntage nach vnser frauwen tage der jvngern.

*) In Lupoldi de Bebenburg libro quem dicunt copierum pag. 508 signo huic loco addito quae sequuntur in margine inferiori manu alia adjiciuntur:

daz wir zu disen vorgenanten dingen die hie geschriben sint an allen dingen mugen zulegen vnd abnemen als vns minneclich oder rehtlich dunkt. Wir behalten vns auch den gewalt.

Sigillorum Wolframi de Grumbach et Kunonis militiS DE REBSTOC fasciis membranaceis ex hoc documento suspensorum circumferentiae magnam partem laesae sunt.

Harum litterarum in documento die 19 mensis januarii anni 1308 dato, quod infra sub num. CCXXXI pag. 402—404 edemus, mentio fit.

CCXXV.

1307, die 18. octobris.

Clemens V papa collectores decimae in terrae sanctae subsidium in concilio quondam lugdunensi deputatae per Alamaniam Ungariam Bohemiam et Poloniam Gabrielem plebanum plebis de Valeneto necnon Petrum de Garlens canonicum albiensem constituit.

Clemens episcopus seruus seruorum dei dilectis filijs, magistris, Gabrieli plebano plebis de Valeneto pisanensis diocesis, capellano nostro, ac Petro de Garlens canonico albiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Jnter cetera que mentem nostram intenta meditatione sollicitant nostrosque distrahunt et agitant cogitatus gerentes cordi negotium terre sancte, quam infidelium feritas inmaniter prochdolor lacerauit, ex acerbis punctionibus quasi nostris inde visceribus lacessitis multa

reddimur attentione solliciti, ut ipsum negotium debita prestatione subsidij apostolatus nostri tempore non fraudetur, sed oportuna que possunt eidem terre presidia nostri ministerij studio procurentur.

Sane felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster — ad idem negotium zelo feruens ardenti, et efficaci studio eius affectum aperiens — decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et prouentuum in predicte terre subsidium duxit per certi temporis spatium, sacro eius lugdunensi approbante concilio, concedendam.

Ad huiusmodi autem decimam colligendam in Allamanie Vngarie et Bohemie regnis ac in ducatu Polonie et partibus tam per ipsum predecessorem quam post eius obitum diuersis temporibus per apostolicam sedem certi sub distinctis modis et locis per diuersas apostolicas litteras deputati sunt hactenus collectores.

Verum quia ipsius collectio decime in predictis regnis ducatu et partibus per aliquos collectorum predictorum in parte ac per nonnullos in totum dicitur esse neglecta, nos feruenti desiderio anelantes quod decime prefate negotium processu prouido dirigatur et felicem dante domino consequatur effectum, de vestre quoque probitatis industria specialem in domino fiduciam obtinentes, vos in ministerio collectionis ipsius decime in maguntinensi treuerensi coloniensi bremensi magdeburgensi et salzeburgensi prouincijs, ac in earum et in eystetensi et in bambergensi ac caminensi ciuitatibus et diocesibus in eiusdem Alamanie regno et partibus constitutis omnibus huiusmodi collectoribus in illis et per eundem predecessorem et per sedem apostolicam ut predicitur deputatis et eorum cuilibet auctoritate apostolica subrogamus, et constituimus ipsius decime collectores, prefatos collectores et quemlibet eorum post redditam vobis ab eis debitam et plenariam rationem absoluentes a commisso ipsis dudum officio in hac parte.

Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus in huiusmodi decretis vobis locis et partibus in negotio memorato exacta diligentia procedatis, et nichi-

lominus super ipso negotio et contingentibus illud generaliter et specialiter prout qualitas facti suaserit et vobis uidebitur ex officio vestro diligenter inquirentes, super quo vobis auctoritate presentium plenam et liberam concedimus facultatem, collectores predictos in eisdem decretis vobis locis et partibus ut premittitur deputatos ac ipsorum quemlibet et quoscunque alios de quibus uideritis expedire [moneatis], quod vobis quaslibet apostolicas litteras eis super collectione predicta directas, omnesque scripturas per eos uel de mandato seu commissione ipsorum inde confectas, uel quas ipsi uel eorum aliqui quomodolibet detinerent exhibeant, et quod collectores ijdem quantum per se ac alios receperunt de decima supradicta, et penes quos et ubi quando et qualiter et coram quibus et sub quibus securitatibus seu cautelis pecuniam ab eis in hac parte receptam deponere curauerunt, quantum ad huc de ipsa decima et in quibus restat locis seu partibus colligendum, quantum etiam quando et qualiter et ubi de ipsa decima expenderunt in prosequendis hijs que contingebant eandem, et si ab eis uel ab alijs quibus interdum super huiusmodi collectionis negotio vices suas uel in eo executionem aliquam commiserunt extat ad huc aliquid de collectis forsitan assignandum, ac super alijs omnibus negotium contingentibus memoratum de quibus expedire putaueritis reddant diligentem et plenariam rationem.

Archiepiscopos insuper et episcopos abbates priores rectores ceterosque prelatos et clericos ac personas ecclesiasticas prouinciarum ciuitatum et diocesum predictarum cuiuscunque status seu dignitatis existant, quos vobis constiterit per inquisitionem quam super hijs duxeritis faciendam ex probabilibus seu uerisimilibus coniecturis — pensatis eorum prouentibus — minus debito notabiliter (ita quod super hoc suspecti merito sint habendi) de decima persoluisse, necnon et eos ex archiepiscopis episcopis abbatibus prioribus prelatis rectoribus clericis et ecclesiasticis personis prefatis, quos vobis ob premissas causas excommunicacionis sententiam (in nullo modo aut scienter non integre uel non in constitutis super hoc terminis soluentes decimam, siue fraudem adhibentes circa solutionem ipsius, seu alias prestantes impedimentum quominus ipsa decima solueretur)

prolatam in dicto lugdunensi concilio uel per collectores predictos aut eorum aliquem constiterit incurrisse, ut de prouentibus suis huiusmodi decimam cum integritate persoluant, et de impedimento huiusmodi vobis pro dicte terre subsidio plenam et debitam satisfactionem impendant, necnon et quoscunque depositarios dicte decime ut deposita recepta per eos et eorum predecessores, et quoslibet etiam de pecunia dicte decime alias quomodolibet detinentes quod huiusmodi pecuniam per eos et suos predecessores detentam cessante difficultate qualibet vobis exhibere procurent infra terminos conpetentes a vobis super hijs pro qualitate facti iuxta vestre discretionis arbitrium eis omnibus uel ipsorum cuilibet statuendos, ex parte nostra efficaciter moneatis et etiam inducatis. Quod si tales infra premissos terminos vestris monitis parere forte contempserint, vos eos auctoritate predicta nominatim censura ecclesiastica procellatis. Et si per vnum mensem censuram huiusmodi sustinuerint animis induratis, contra eos ad suspensionem beneficiorum si hoc expedire putaueritis procedatis, et eos extunc peremptorie citare curetis, ut infra conpetentis termini spatium a vobis prefigendum eisdem post citationem vestram per se uel per procuratores ydoneos aut etiam personaliter illi de quibus personalem citationem merito uideritis emanandam conpareant coram nobis, nostris super hoc mandatis et beneplacitis parituri, ac facturi et recepturi quod iustitia suadebit. Diem uero citationis et prefixionis huiusmodi, et quicquid inueneritis et feceritis in premissis, nobis per vestras litteras et nichilominus per scripturam autenticam harum seriem continentes studeatis fideliter intimare.

Ceterum ut officium vobis in hac parte conmissum utilius et efficacius exercere possitis, conpellendi si opus fuerit prelatos aliasque personas ecclesiasticas prouinciarum ciuitatum et diocesum earundem ad prouidendum vobis et nunctijs vestris ac illis quos ad huiusmodi decimam colligendam duxeritis deputandos uel quibus interdum aliquam execationem conmiseritis in negotio memorato de securo conductu, cum super hoc a vobis uel ab illis extiterint requisiti, ac exigendi in eisdem prouincijs ciuitatibus et diocesibus

legata et obuentiones quomodocumque qualitercumque et sub quacumque condictione et forma terre predicte subsidio deputata, redemptiones etiam votorum et crucis, et procedendi in omnibus predictis et singulis, et ea omnia et singula exequendi per vos ac alios qualiter et quotiens expedire putaueritis, et contradictores quoslibet et rebelles auctoritate nostra — appellatione postposita — conpescendi plenam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem, non obstantibus si aliquibus fuerit ab eadem sede indultum quod interdici uel exconmunicari nequeant aut suspendi per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, aut quod tempus ad solutionem dicte decime statutum in eodem concilio est elapsum.

Si autem hij qui premissorum occasione uel causa fuerint exconmunicationum suspensionum uel jnterdicti sententijs innodati postmodum super hijs pro quibus sic exconmunicati suspensi uel interdicti fuerint satisfacere forte decreuerint, vos eis post plenam et integram satisfactionem auctoritate nostra super eisdem sententijs iuxta formam ecclesie de absolutionis et relaxationis beneficio studeatis prouidere, ac dispensare super irregularitate cum illis ex eis qui taliter ligati non abstinuerint a diuinis.

Considerantes itaque quod in premissis negotium dei prosequimini, et in conspectu agitis eius qui cuncta discernit, sibique necnon et nobis qui circa hoc omnem diligentiam adhibere intendimus tenebimini reddere rationem, ab utroque pro meritis recepturi, sic prudenter in illis habere vos studeatis, sic consulte, quod in vtriusque judicio non solum uitetis pene confusionisque discrimina, sed laudis titulos et gratiam ac retributionis premium assequi valeatis.

Datum Pictauis, XV°. kalendas nouembris, pontificatus nostri anno secundo.

Hanc bullam ad fidem copiae a Gabriele et Petro praedictis „reverendo patri et domino domino Andreae episcopo et discretis et prudentibus viris universis praelatis et clero civitatis et dioecesis herbipolensium“ sub

ipsorum sigillo necnon cum subscriptione et sub signo ipsorum notarii datae edidimus, cujus finis hic est:

Et ego Romanus quondam magistri Oddonis de Laude, publicus jmperiali auctoritate notarius, predictas litteras, non cancellatas non abrasas non abolitas nec vitiatas in aliqua parte ipsarum, sed vera bulla plumbea et filo canapis more curie romane bullatas, tenoris et continencie suprascripte, vnacum prescripto jnstrumento publico, anno domini millesimo CCC°. decimo, jndictione octaua, die XXII^a. mensis januarii, hora vespertina, Maguntie in curia quam predictus dominus Gabriel inhabitabat, pontificatus sanctissimi patris et domini domini Clementis pape quinti anno quarto, regnante serenissimo principe domino Henrico Romanorum rege, regni uero eius anno secundo, vidi, ipsasque litteras in presenti transcripto vnacum dicto jnstrumento de verbo ad verbum de mandato venerabilis viri domini Gabrielis supradicti transcripsi, ipsumque transcriptum cum dicto eius autentico diligenter postmodum ascultauj, presentibus sapienti viro domino magistro Berinhelmo aduocato in Maguntia, et discretis viris Thylimanno notario sedis maguntine, Gerhardo de Wetfalia clerico, Hartjmanno de Wettere clerico, Ludwico nunctio dicte sedis, et Heylmanno dicto zu Mimthasolisi clerico de Maguntia, vocatis pro testibus et rogatis, meoque signo et nomine signaui rogatus.

CCXXVI.

1307, die 18. octobris.

Clemens V papa venerabilibus fratribus maguntino treverensi coloniensi bremensi magdeburgensi et salzeburgensi archiepiscopis et eorum suffraganeis, necnon eynstetensi et bambergensi ac caminensi episcopis, et dilectis filiis electis abbatibus prioribus decanis praepositis archidiaconis archipresbyteris plebanis et aliis ecclesiarum praelatis et eorum vices gerentibus, ac personis ecclesiasticis religiosis ac saecularibus ecclesiarum et monasteriorum exemtis et non exemtis cistarciensis

cluniacensis cartusiensis praemonstratensis sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, necnon magistris et praeceptoribus hospitalis sancti Johannis hierosolymitani, domorum militiae templi beatae Mariae Theutonicorum et calatravensis, necnon principibus ducibus marchionibus comitibus baronibus ceterisque nobilibus, potestatibus quoque capitaneis seu rectoribus balliuis consiliis populis communibus communitatibus et universitatibus civitatum castrorum et locorum, ac aliis universis et singulis per maguntinam treverensem coloniensem bremensem magdeburgensem et salzeburgensem provincias, ac per earum et eystetensem bambergensem et caminensem civitates et dioeceses constitutis — cum magistros Gabrielem et Petrum de Garlens jam memoratos suos nuntios ad partes eorum pro residuo decimarum olim in concilio lugdunensi et pro legatis et obventionibus quomodocumque et qualitercumque et sub quacumque condicione et forma terrae sanctae deputatis subsidio destinarit — mandat, quatenus ad deum et easdem ecclesiam et terram sanctam zelum habentes reverentiae filialis, et se constituentes eis debita humilitate gratos, et devote compatientes indigentiae terrae praefatae, memoratis nuntiis in exsecutione hujusmodi agendorum quae eis commisit assistant, cum opus fuerit et eos super hoc duxerint requirendos, consiliis et auxiliis opportunis, ita quod negotia ipsa sub exhibitione favoris ipsorumque gratuitate ac directione utiliter dante domino prosperentur et ad debitum perducantur effectum.

Datum Pictavis, XV°. kalendas novembris, pontificatus anno secundo.

Hoc mandatum ad fidem copiae cujus in nota numero documentorum CCXXV praecedenti pagg. 393 et 394 adjecta mentio facta est edidimus.

CCXXVII.

1307, die 9. novembris.

Andreas episcopus — quod strenuus vir Arnoldus dictus de Seyckendorf miles ad ipsius veniens praesentiam majorem et minorem decimam in villa Nuwenhouelin ad parrochiam in Haselach spectante, quam decimam ipse miles ab ecclesia herbipolensi in feodum tenuit et possedit, in ipsius libere manibus resignavit, humili precum instantia supplicando ut (ab eo uno feodo et tribus hûbis proprietariis sitis in villa dicta Witigensteynach in parrochia Tuetensteten sita, quae quidem bona .. dictus Wegeman, Heinricus gener ejusdem, . . dictus Held, et . . dictus Huenrer nunc colere dinoscuntur, receptis) dictam decimam abbati et conventui monasterii in Halsprunnen ordinis cisterciensis ipsique monasterio donare appropriare seu incorporare favorabiliter dignaretur — praenominata bona proprietaria, quae idem miles in ipsius resignavit manibus recipit, et abbati et conventui eorumque monasterio memoratis praelibatam decimam donat appropriat incorporat perpetuo possidendam, nihilominusque militi supradicto praenotata bona per eum resignata in feodum confert, ipsumque de illis investit rationabiliter atque rite, eadem ab ecclesia herbipolensi feodali titulo perpetim possidenda.

Datum in monte beatae virginis, anno domini M°·CCC°·VII°, V°· idus novembris, pontificatus vero anno quarto.

Andreae episcopi sigillum fascia membranacea ex his litteris suspensum magnam partem laesum est.

CCXXVIII.

1307, die 13. novembris.

Personae ecclesiasticae civitatis wirziburgensis ab observantia statuti de cessando a divinis quamdiu societates zunfte et exactiones vngelt vulgariter dictae ibidem existerent juramento firmati — poenitentiae injunctione priori fratrum praedicatorum commissa — absolvuntur.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis religioso viro in Christo dilecto . . priori fratrum predicatorum herbipolensium sinceram in domino karitatem.

Litteris reuerendi in Christo patris domini nostri Berengarij tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyteri cardinalis, sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Clementis sacrosancte romane ecclesie summi pontificis penitenciarie curam gerentis, nobis sev nostro in spiritualibus vicario pro dilectis in Christo . . abbatibus . . prepositis . . decanis et rectoribus ecclesiarum et monasteriorum necnon clero ciuitatis nostre herbipolensis directis reuerencia qua decuit receptis — considerantes racione statuti olim per eorundem abbatum prepositorum decanorum rectorum ecclesiarum et monasteriorum et cleri predictorum predecessores de cessando a diuinis per eos nullatenus reassumendis quamdiu societates zunfte et exactiones vngelt wlgariter dicte in ciuitate nostra herbipolensi existerent facti, et juramento vallati, confirmacione tamen sedis apostolice nullatenus roborati, necnon cessacionis predicte pretextu indeuocionem populi excreuisse, animarum insurrexisse pericula, ecclesiis sine earum culpa et monasteriis debita subtracta fuisse obsequia, diuinum cultum minutum, et ecclesias monasteria ac clerum prefatos sustinuisse enormem ex obseruancia statuti huiusmodi le-

sionem — nos predicti domini nostri cardinalis auctoritate nobis in hac parte conmissa . . abbates . . prepositos . . decanos rectores ecclesiarum et monasteriorum ac clerum prenominatos qui in statuti et juramenti preexpressorum noscuntur vinculum incidisse ab eorundem statuti et juramenti obseruancia (prout secundum deum animarum eorum saluti et ecclesiarum ac monasteriorum indempnitati vidimus expedire) absoluimus, et super irregularitate siquam (statutum et juramentum de quibus predicitur non obseruantes) incurrisse videntur cum eisdem misericorditer dispensamus.

De vestre jndustrie prestancia plurimum presumentes, moderacionem penitencie . . abbatibus . . prepositis . . decanis rectoribus ecclesiarum et monasteriorum ac clero sepefatis pro sua temeritate iniungende vestre consciencie duximus conmittendam, dilectionem vestram rogantes quatenus eisdem nostro nomine pro dicta sua temeritate salutarem penitenciam iniungatis.

Datum in monte beate virginis, anno domini M°·CCC°·VII°·, jdus nouembris.

Sigillum quondam fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum avulsum est.

Quod supra sub num. CCXX pag. 379 et 380 edidimus documentum, die 21 mensis martii datum, huc conferri potest.

CCXXIX.

Anno 1307.

Wolframi de Linach cantoris ecclesiae herbipolensis testamentum.

In nomine domini amen.

Ego Wol(framus) cantor ecclesie herbipolensis dictus de Linach, voluntatem meam ultimam desiderans obseruari, testa-

mentum meum taliter ordinaui [1]), videlicet vt debita mea de rebus meis mobilibus et immobilibus deducantur, et nichilominus familie mee de eisdem secundum formam alias conscriptam iuxta cuiuslibet premietur merita [2]).

Preterea volo ut in honore sanctorum martirum Kyliani et socíorum eius emantur redditus pro LX^a^ libris hallensium post meum decessum infra eiusdem anni circulum, qui in anniuersario meo distribuantur inter presentes canonicos vicarios et scolares qui vigiliis et misse interfuerint animarum, ita sane quod canonicus solidum recipiat, vicarius vero sex denarios [3]), dyaconus et subdyaconus IIII^or^, scolaris II. Si autem aliquid super distribucionem [4]) excreuerit, secundum quantitatem pecunie et formam prehabitam diuidatur. Predicta [5]) autem dicto pater noster distribucio inchoetur.

Hec vero constitui remedia, vt percipientes ea pro me dignentur saluatoris clemenciam deuocius exorare.

Lego domino decano oblacionem meam in Rinzbach cum suo onere. Item lego eidem domino decano VI jugera vinearum in Winterliten sita, et quinque institas in Gradibus cum suo onere. Item eidem lego domum sitam in foro cum suo onere. Item domum retro Ziecholinum, et domum ex altera parte Mogi cum suo onere.

Item lego domino Goltsteino oblacionem in Hetenstat cum suo onere. Item eidem lego vineam dictam Berlau sitam in superiori Lynach cum suo onere.

Item Wol(framo) de Rosseberg lego oblacionem in Hatenhusen et in Hetingesuelt cum suo onere.

Item lego domino Ůlrico XX^ti^ libras hallensium.

Item volo vt vinetum in Nouo Monte uendatur plus offerenti.

[1]) In codice ad cujus fidem has litteras edimus scriptum est: *ordinari*.
[2]) Ibidem: *cuiuslibet premetur*.
[3]) Ibidem vocabulum *denarios* ommissum est.
[4]) Ibidem *dione* cum compendiis super litteris *é* et *e* positis scriptum est.
[5]) Ibidem: *predicto*.

Jtem lego capitulo LXX^{a} libras hallensium, et oblacionem meam in Stokheim, cuius fructus in presenti anno mihi reserùo.

Jtem lego ad templum centum libras hallensium, et duo jugera vinearum sita in Birkenvelderliten in territorio superioris Lynach.

Jtem lego pecuniam quam habeo super curia in Winsberg ad sanctum Leonhardum, quam liberare debent dominus plebanus de Tunneuelt et cognatus suus de Seldenecke infra spacium dimidij anni a die obitus mei numerandum. Quod si non fecerint, fideconmissarij mei habebunt auctoritatem iam dictam curiam vendendi plus offerenti. Jtem lego vineam in monte beate virginis ad sanctum Leonardum. Jtem decimam et censùm de decem agris in Tungersheim lego ad predictum altare. Quarum vicariarum collacionem dono et lego exnunc domino decano, ab ipso et successoribus suis ecclesie nostre decanis perpetim conferendas.

Volo autem ut omnia mea legata et donata in manibus fideconmissariorum meorum maneant, videlicet domini Friderici decani et Goltsteini, concanonicorum meorum, ac Ulrici vicarij ecclesie nostre, quousque predicta mea ordinacio omnimode fuerit expedita. Que quidem legata et debita expedienda et soluenda ipsis conmisi quando conmode poterunt de bonis nostris predictis prout anime mee saluti viderint expedire, quod eorum fidei duxi et conscienciis committendum. Cooperatores predicti testamenti do fideconmissariis meis Th(eodericum) et Cunr(adum). Hec insuper omnia prenominatis fideconmissariis meis exequenda conmitto in fidem et in animas eorum, jta ut deo velint in nouissimo reddere racionem.

Vt autem presentis nostri testamenti ordinacio a meis fideconmissariis fideliter expediatur, presentem paginam feci meo sigillo diligencius insigniri.

Actum anno domini M^{o}CCC^{o}VII°.

Hoc testamentum ad fidem libri copialis wirziburgensis signati A (= 5) pag. 155 edidimus.

Ultima ejus verba, anni 1307 diem continentia, in inflato codicis margine paene omnino perierunt, ut non nisi verba „in die“ liqueant, sed utrum „Nazarii“ an „Pancratii“ an alius cujuscunque sancti nomen scriptum fuerit dici nequeat, cum non nisi secunda totius nominis littera *a* necnon punctura litterarum finalium *ii* absque dubio appareat.

CCXXX.

1308, die 18. januarii.

Anno nativitatis domini M°·CCC°·VIII°., indictione sexta, die decima octava mensis januarii, pontificatus sanctissimi patris Clementis papae quinti anno tertio, in praesentia notarii et testium subscriptorum ad haec specialiter vocatorum et rogatorum, discretus et sapiens vir dominus Petrus de Garlens canonicus albiensis, collector vna cum venerabili viro domino Gabriele plebano plebis de Valeneto pisanae dioecesis domini papae capellano decimae redemtionis votorum et crucis legatorum et obventionis cujuslibet terrae sanctae deputatorum subsidio in maguntina treverensi coloniensi bremensi magdeburgensi et salzeburgensi provinciis per sedem apostolicam specialiter deputatus, asserens se quibusdam praefati domini papae et suis negotiis arduis adeo impeditum quod ad collectionem et receptionem praedictorum non poterat commode interesse, praefato domino Gabrieli circa collectionem et receptionem praedictorum integraliter vices suas commisit donec personaliter poterit interesse.

Actum Pictavis, praesentibus Nerio de Urbeueteri canonico pictaviensi, Bertholdo rectore ecclesiae in Nùenhoven maguntinae dioecesis, magistro Symone Michaelis de Metis, et Massio Puccij de Clusio, testibus ad praedicta vocatis specialiter et rogatis.

Guido quondam Fatii de Sambuco florentinae dioecesis publicus imperiali auctoritate notarius praedictae commissioni

praesens interfuit, et eam rogatus publice scribere scripsit et publicavit, suoque solito signo signavit.

Has litteras ad fidem copiae cujus in nota numero documentorum CCXXV pag. 393 et 394 adjecta mentio facta est edidimus.

CCXXXI.

1308, die 19. januarii.

Civitas wirziburgensis et Andreas episcopus arbitrium in dissensionibus suis factum vel faciendum ratum habentes sibi invicem fidejussores dant.

Nos vniuersitas ciuium herbipolensium jnspectoribus presentium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum super dura guerrarum commocione seu dissensione que inter reuerendum patrem ac dominum nostrum Andream dej gratia episcopum herbipolensem nomine sue ecclesie ex vna et nos v(niuersitat)em herbipolensem ex parte altera vertebatur dictus reuerendus pater et dominus noster episcopus herbipolensis pro parte sua et ecclesie sue in honorabiles viros dominum Fridericum (deca)num, et dominum Vlricum de Kirchperg archidyaconum ecclesie sue, necnon strennuos viros Theodoricum de Hohenberg seniorem suum marschalcum, et Andream dictum Zobel suum camerarium, milites; et nos vniuersitas pro parte nostra in prudentes viros Sibotonem militem quondam aduocatum in Lvden, Fridericum dictum Gyr, Johannem dictum Han, et Johannem dictum Viernekorn, ciues herbipolenses; et vtrimque in honorabilem virum Wolframum de Grvnbach prepositum nouj monasterij herbipolensis, et strennuum virum

Cvnonem de Rebestok militem pro persona media compromisimus tamquam in arbitros arbitratores sev amicabiles compositores — nos eorundem arbitrorum sev arbitratorum, vel maioris partis, pronuntiacionem decisionem sev declarationem super quibuscumque dissensionum articulis quomodocumque sev quocienscumque faciendam sev factam, sev prefatorum prepositj et Kvnonis militis de Rebestok pro media persona electorum, si dicti arbitri vel maior pars concordare non poterint, avt se in equales partes diuiserint, sub juramento corporaliter prestito et promisimus et in hijs scriptis promittimus sub pactis penis modis et condicionibus in dictorum prepositi et Kvnonis militis de Rebestok litteris super hoc datis plenius expressis inviolabiliter obseruare, et ratum ac gratum habere quidquid per eos arbitrando pronuntiatum decisum sev declaratum est vel in antea fuerit quomodocumque et quocienscumque justicia vel amore, nec contravenire aliquo ingenio studio vel cautela, dantes dicto reuerendo patri ac domino nostro episcopo herbipolensi fideiussores honorabiles viros dominum Fridericum de Stahelberg archidiaconum, dominum Sifridum de Wechemar cantorem, dominum Albertum de Talheim, et dominum Eberhardum de Tvnneveld plebanum maiorem, canonicos maioris ecclesie herbipolensis, ac reuerendum dominum Heinricum dej gratia abbatem fvldensem, dominum Heinricum seniorem comitem de Hennenberg, dominum Lvdewicum jvniorem comitem de Rienegke, et dominum Bopponem de Eberstein, necnon viros strennuos Hiltebrandum de Lvden militem, Heinricum dictum Hoveschvltheizzen, Chvnradum Sweigerarium, et Heinricum filium Egkelinj pincerne, ministeriales dicte maioris ecclesie herbipolensis, qui — si quod absit contra dictorum arbitrorum, vel maioris partis, aut dictorum dominj prepositi et Kvnonis militis pro media persona electorum, si ijdem arbitri abinuicem equaliter discordarent, pronuntiacionem decisionem arbitrium sev laudum aut declarationem quocienscumque veniremus — monitj se recipient in dampum nostrum sub modis penis pactis et conditionibus in predictorum dominj prepositi et Kvnonis militis litteris similiter plenius declaratis.

Et ad similia dicta dictus reuerendus pater et dominus noster Andreas episcopus herbipolensis, datis nobis etiam fideiussoribus, se suis litteris patentibus juramento corporaliter ad sancta dei ewangelia prestito obligauit.

Principium vero litterarum dictorum dominj prepositi et Kvnonis militis est:

> Jn gotes namen amen.
>
> Wir Wolfram von Grvnbach probest zem Newenmvnstere vnd jch Kvne vom Rebestok, vber man vnd vberlvte gegeben von vnsers herren wegen des bischoffes Andres von Wircebvrg einhalb vnd der bvrgere von Wircebvrg gemeinliche anderthalp vm alle sache etc.

Finis autem earundem litterarum est talis:

> Vnd daz alle dise sache gantz vnd vnverbrochen bliben, haben wir disen brief gegeben zv einem steten vnd ewechichem vrkvnde mit vnser beider jnsigel bevestent vnd versigelt.
>
> Dirre brief ist gegeben nach gotes gebvrte etc.

Jn quorum omnium premissorum testimonium hoc scriptum dicto reuerendo patri ac domino nostro episcopo herbipolensi dedimus, nostre vniuersitatis sigilli munimine roboratum.

Datum Herbipoli, anno dominj M°. trecentesimo VIII°., XIIII°. kalendas februarij, pontificatus reuerendj patris ac dominj nostri Andree episcopi herbipolensis anno quinto.

> Sigilli quondam ex hoc documento suspensi ne fascia quidem membranacea superest.
>
> Quae allegatae sunt litterae, die 10 mensis septembris anni 1307 datae, supra sub num. CCXXIV pag. 384 389 editae sunt.

CCXXXII.

1308, die 24. martii.

Schiedsrichterlicher Spruch über die zwischen Bischof Andreas und der Bürgerschaft von Wirzburg streitigen Fragen.

Wir Wolfram von Grumbach der probest des goteshuses fon dem nuwen mvnster ze Wirzeburg vnd Kvne fom me Rebestocke der truchseze des forgenanten goteshuses fon Wirzeburg, vber man vmme alle die sache vnde werrunge di zwischen vnserm ersamen herren bischof Andres fon Wirzeburg vnd sime goteshuse ein sit vnde der gemeinde der burger beidu arm vnd rich der stat ze Wirzeburc ander sit gewesen sint, tvn kvnt allen den die disen brief an sehen lesen oder horen, wan sie vns beidersit vil clage vnd artikel heten geschrieben gegeben gegen ein ander, vnde sich di schidelute di beidersit dar vber gnvmen waren nicht fer einen mochten, vnde sich auch dar vber glich geteilet heten, daz wir an haben gesehen der stete vnd auch des landes not vnd erbeit da si swerlich in sint kvmen von vrlouges wegen.

Vnd wan auch swerlich were vz ze richtene nach dem rechten alle di clage vnd artikel die da beidersit gegeben sint, wan ez mochte ein kriek fon dem andern criege vf der sten, vnd wrde auch dar vmme di bitterkeit der svne vnd verrichtunge ze lange vf gezogen, so sprechen wir vnd scheiden di forgenanten kriege vnde werrunge nach dem gewalte als wir haben der vns beidersit gegeben ist als an den brieuen stet di dar vber gegeben sint nach frunschaft vnd nach minnen, daz di forgenanten bvrger arm vnd rich hulden svln vnd swern dem forgenanten vnserm herren dem bischof, vnd svln auch im bi dem selben eide getruwekliche beholfen sin wider allermenekliche.

Vnd schal er in auch vf sin gelubede daz er in getan hat beholfen sin vnd beschirme wider allermenekliche getruwekliche.

Si schuln im auch di zvmft vfgeben vf sine gnade. Die mag er in wider lazen swan er wil.

Si schuln auch im achtehvndert pfunt haller geben, nv ze pfinkesten vierhundert, vnd dar nach ze sante Mertins tage vierhundert, an allen fergezog.

Si suln auch im einen tvrn bvwen vf vnser frauwen berg an der ecke gein der Kvnebach, also groz vnd hoch als vns zwene obman bescheidenlich dvnket, vnd schuln den folle bracht han von sante Walpurge tag der nv nahest kvmet vber zwei iar. Vnd sol vnser herre der bischof si steine lazen neme da er sine steine nimet, also daz ez ime vnd der burge vnschedelich si.

Er sal in auch hin wider di gnade tvn, daz er in den tvrn den si gebuwet han gender Telle laze besten. Vnd suln si im swar er wil an der selben mur ein ander tor machen da er durch rite, wan er sich fersprochen hat, daz er durch daz tor des tvrnes icht rite. Si suln im auch eine lucken brechen durch daz mvrlin, da er durch geriten muge.

Er schal si auch ane schaden vz der ahte lazen, vnd schal si auch an den genaden lazen beliben des geschozes zwelf iar dar an si sin gewesen bi bischoue Bertoldes vnd bi bischof Manegoltes geziten.

Si schuln im auch vnd dem goteshuse alle sine recht vnd gerichte behalten, vnd suln im darzu dienen als verre als si mugen daz si im behalten werden als si von alter her kvmen sin.

Si schuln auch allen richtern, si sin geistlich oder wertlich, ir reht vnd ir gerihte halten als si fon alter her kvmen sin.

Si schuln auch di stifte vnd di pfafheit gemeinlich vnd ir gesinde in dem rehte laze beliben als si her kvmen sin.

Di dienstlute des goteshuses di schuln auch in dem rechte beliben als si bez her kvmen sin von alter.

Si schuln auch forbaz keinen satz machhen in der stat ze Wirzeburg an vnsers herren des bischoffes wort.

Ez sol auch furbaz nieman kein gerichte haben ze Wirzeburg denne vaser herre der bischof vnd die di si fon im haben.

Alle di ander clage vnd artikel di vns beidersit geschrieben sin geben die sullen in guten minnen vnd gedult sten die wil vnser herre der bischof lebet. Vnd sol daz dem goteshuse noch nieman schaden an keime sime rehte.

Swer auch tete wider di forgenanten svne di wir hi gemachet haben, des got nicht en welle, der solte vallen in di pene tvsent marke die forgesetzet ist ze gebene dem anderme teile daz di svne heltet, vnd sol darzv meineide sin als dicke als ez di svne brichet, vnd sol auch als dikke in di pene vallen als dikke als si di svne brichet. Vnd auch di pene gevalle oder nicht, so sol man doch di svne stete halten.

Wir sprechen auch, daz di burgen di si beidersit gesetzet haben behaftet sin ze leistenne vmme di pene, iegelich burgen vmme di pene da sin teil dez si burgen sin in geuallen ist. Vnd suln leisten als si gemant werden als an den brieuen stet di dar vber gemachet sin.

Wir sprechen auch daz: als an den forgenanten brieuen stet di wir dar vber geben haben, ob vnser herre der bischof oder di burger di burgen di in gesetzet sin manen oder heizen manen daz si leisten, sprichet danne daz teil dez burgen da gemanet sin daz man si ze vnrecht habe gemant, daz suln sehs man di dar vber genumen sin — von vnsers herren des bischoffes wegen di erbern herren vnd man her Cvnrat fon Nidecke, vnd graue Vlrich fon Kirchberg der erzepriester, vnd her Andres Zobel; von der burger wegen dri, di erbern manne her Johan fon dem Sterne, her Cvnrad fom Rebestocke, vnd her Cvnrat fon Jsenburg — vf irn eit den si dar vber getan haben in drin tagen nach der manunge varen vf vnsers herren des bischoffes sal, swenne si gemant werden fon eime teile oder fon beiden, vnd aht tage dar inne sin, vnd dar vz nicht ze kvmene biz si daz vz gerichten nach minnen oder nach rehte. Jst aber daz daz si sich gelich teilen, so sol ez sten an vns zwein mittelmannen, vnd suln ez vz richten dar nach in acht tagen nach minnen oder nach rehte. Vnd daz svln

beide teil stete halten. Wil aber ein teil der vorgenanten ratlute nicht hin vf varen, so suln di andern hin vf varen. Vnd suln wir zwene mit den minnen vnd rehtes gewaltic sin vmme di manunge vnd vmme di leistunge. Vnd sol man beidenthalp stete halten. Vnd swer daz nicht en tůt, der sol vallen in di bůze vnd in die pene di hi vore geschriben sin.

Wir sprechen auch, daz vnser herre der bischof sinen rat setzen sol als er von alter her kvmen ist. Vnd sol daz tvn in eim mande.

Vnd sol auch sin gerichte, daz ez deste erlicher ste, vnd daz auch armen vnd richen deste rechter gerichtet werde, baz mit ritteren besetzen danne ez bez her besetzet ist. Vnd sol daz tvn zv eime zil als vns bescheidenlichen dvnket.

Were aber daz kein nvwer bruch vf der stunde, der solt auch an den forgenanten sehsen sten, vnd an vns, in der wise als for gesprochen ist.

Ez sol auch aller der schade der beidersit geschehen ist in dem vrlauge lutterliche abe sin vnd vergeben. Swem aber kein schade ist geschehen sider di svne von vns Kvne vnd Johan Virnekorn belutet wart, der sol daz clagen for vnserm herren den bischof, vnd sol im der dar vmme ein reht tvn. Doch haben wir sunderlichen etslicher schaden vz genumen, di an vns vnd an ander zwene biederman gesetzet sin.

Swaz auch nicht gemeinekliche an dise brieue gesetzet ist, dez sol man gen vf di vordern brieue, vnd sol daz ane alle wider rede beidersit halten.

Vnd zv eime vrkvnde derselben svne han wir disen brief heizen geschrieben, vnd haben daran vnser jnsigel heizen gehenket.

Dirre brief der ist gegeben nach vnsers herren geburt dvsent jar drihundert iar in dem ahten iar, an vnser vrowen abent der kvndegunge.

Sigilla duo praedicta fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa sunt.

CCXXXIII.

1308, die 7. aprilis.

Andreas episcopus feoda in villa Rympůr ab ecclesia herbipolensi procedentia ecclesiae s. Johannis in Hauge tradit.

Jn dei nomine amen.

Nos Andreas dei gracia episcopus herbipolensis inspectoribus presentium recognoscimus publice vniversis tam presentibus quam futuris, quod constitutus in presentia nostra nobilis vir Bertoldus comes de Hennenberg, zelo sancte intentionis a domino inspiratus, ob cultum diuini nominis augmentandum et in anime sue remedium omnia feoda que Hermannus dictus Hake et sui fratres ab ipso in villa Rympůr habuerunt — videlicet terciam partem decime maioris et minoris, jus patronatus parrochialis ecclesie eiusdem ville, et aream sitam ibidem — cum omnibus suis attinencijs ad manus nostras offerens et resignans, que quidem bona idem comes a nobis tenuit et possedit tytulo feodali, et dans ea pure et simpliciter cum omni jure quod in ipsis sibi hactenus competebat dilectis in Christo .. decano et capitulo ecclesie sancti Johannis in Haůge extra muros nostros herbipolenses eorumque ecclesie in suarum avgmentum prebendarum, petiuit a nobis humiliter, quatenus diuine remunerationis intuitu eandem donacionem suam ratam et gratam habere, confirmare, necnon dicta bona in prefatos dominos et eorum ecclesiam redigere et transferre auctoritate nostra ordinaria dignaremur.

Nos igitur de supradicti nobilis sancte deuotionis profectu in domino exultantes, ac suis precibus fauorabiliter inclinati, necnon pro anime nostre remedio donationem ipsam dictis dominis et eorum ecclesie in manibus nostris factam tenore presencium litterarum

auctoritate nostra ordinaria in nomine domini confirmamus, omneque jus quod nobis in dictis bonis competit vel hactenus competebat in predictos . . decanum et capitulum dictamque eorum ecclesiam sancti Johannis in Havge iusto ac perfecto donationis et tradicionis tytulo plene libere ac integre transferimus per presentes, dantes ipsis eorumque ecclesie hoc scriptum, nostro sigillo roboratum, in testimonium super eo.

Datum anno domini M°·CCC°· octauo, septimo idus aprilis, pontificatus uero nostri anno quinto.

Andreae episcopi sigillum filis sericis rubri et viridis colorum suspensum magnam partem decidit.

Documenti a Bertoldo comite in Hennenberg de hac donatione eadem die exhibiti, sigillis ipsius comitis et Friderici de Stahelberg filis sericis rubri et viridis colorum suspensis muniti, tenor hic est:

In dei nomine amen.

Bertoldus dei gracia comes in Hennenberg omnibus presencium inspectoribus salutem cum noticia subscriptorum.

Ex parte dilecti vasalli nostri Hermanni dicti Haken et suorum fratrum nobis fuit propositum, quod ipse Hermannus et sui fratres omnia fevda in villa Rympur — videlicet terciam partem decime maioris et minoris, jus patronatus parrochialis ecclesie eiusdem ville, et aream sitam ibidem — cum omnibus suis attinencijs, a nobis procedencia tytulo fevdali, donauerint et tradiderint cum omni jure et vtilitate que in ipsis habuerunt honorabilibus viris . . decano et capitulo ecclesie sancti Johannis in Havge extra muros herbipolenses eorumque ecclesie pure et simpliciter propter deum necnon pro suarum remedio animarum, dummodo propter seruicia nobis per eos impensa et precipue diuine remunerationis intuitu ratam et gratam habere ac eciam approbare donationem et tradicionem huiusmodi dignaremur. Vt autem predicte donationi et tradicioni pium preberemus assensum, nobis fuit humiliter supplicatum.

Nos igitur precibus huiusmodi fauorabiliter inclinati, volentes eternorum intuitu seminare in terris quod reddente domino cum fructu multiplici in celis recolligere debeamus, donacionem et collationem prefati Hermanni et suorum fratrum . . decano et capitulo predictis eorumque ecclesie de

prenominatis bonis factam, de quibus idem Hermannus et sui fratres jure feŭdali a nobis fuerunt legitime investiti, ratam et gratam habemus, eamque (nostrum consensum expresse adhibendo) presentibus approbamus pro remedio nostre ac parentum nostrorum animarum, omneque jus quod nobis et nostris heredibus in predictis bonis competit sev hactenus competebat in predictos . . decanum et capitulum dictamque eorum ecclesiam sancti Johannis in Haŭge iusto ac perfecto donationis et tradicionis tytulo plene libere ac integre transferimus per presentes.

Resignauimus eciam supradicta bona in manus reuerendi patris et domini nostri Andree episcopi herbipolensis, cum ipse dictorum bonorum principalis collator existat, reuerendamque paternitatem suam cum fiducia petiuimus humiliter et deuote, quatenus premissis suum pium consensum fauorabiliter adhiberet, et huiusmodi donationem et collationem nostram ratam et gratam haberet, ipsamque precipue propter deum et in fauorem dicte ecclesie necnon in avgmentum prebendarum canonicorum ibidem approbaret ac eciam sua auctoritate ordinaria confirmaret. Jn quibus a predicto domino episcopo benivole fuimus exaudiți, prout in litteris sue confirmationis super premissa donatione et collatione nostra plenius continetur, petentes a dictis canonicis humiliter et deuote, quatenus in dicta eorum ecclesia per ipsos noster anniuersarius nostrum post decessum annis singulis perpetuo peragatur.

Ego vero Hermannus Hake supradictus recognosco publice per presentes, me bona memorata nomine fratrum meorum et meo domino Bertoldo comiti de Hennenberg supradicto — mediante domino Friderico de Stahelberg canonico et archidiacono ecclesie herbipolensis — libere resignasse, et de ipsius domini Bertoldi comitis predicti consensu ea septedicta dominis eorumque ecclesie in Haŭge vt predicitur contulisse et donasse cum omni jvre quod michi et meis fratribus in ipsis hactenus competebat.

Jn quorum omnium testimonium et memoriam sempiternam nos Bertoldus comes in Hennenberg predictus presens instrumentum ex certa sciencia confici iussimus, et appensionibus sigillorum — nostri videlicet, et dilecti auunculi nostri Friderici de Stahelberg pretacti — diligencius roborari. Nos vero Fridericus de Stahelberg predictus recognoscimus, quod ad instantes preces predicti Hermanni Haken necnon in omnium premissorum testimonium et veritatem nostrum sigillum ex certa sciencia presentibus est appensum.

Datum et actum in Herbipoli, anno domini M°·CCC°· octauo, septimo idus aprilis.

CCXXXIV.

1308, die 25. maji.

Andreas episcopus — cum festum dedicationis altaris majoris ecclesiae herbipolensis in honore gloriosissimae dei genitricis Mariae virginis consecratum a quorumlibet memoria hominum adeo exciderit, ut quo die sit celebrandum penitus ignoretur — ut Christi fidelium devotionis affectus in confluendo ad dicti altaris dedicationis festum ferventius accendatur, idem festum ad C(unradi) de Vilingen praefatae ecclesiae vicarii precum instantiam humilem et devotam feria secunda infra octavas pentecostes annis singulis perpetuo celebrandum transfert, omnibus christiani nominis professoribus vere poenitentibus et confessis ad dictum altare praeexpresso suae dedicationis festo intuitu devotionis et orationis confluentibus de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus pretiosorumque martyrum Kyliani et sociorum ejus meritis et auctoritate confisi quadraginta dies criminalium et annum venialium in domino misericorditer relaxans.

Datum Herbipoli, anno domini M°. CCC°. VIII°., VIII°. kalendas junii, pontificatus vero anno quinto.

Sigilli Andreae episcopi fascia membranacea ex his litteris suspensi pars inferior decidit.

CCXXXV.

1308, die 11. junii.

Rudolfus et Lodwicus comites palatini Reni duces Bawariae Andreae episcopo auxilia et consilia per quinquennium promittunt.

Nos Rudolfus et Lodwicus dei gracia comites palatini Reni duces Bawarie tenore presencium profitemur recognoscimus et constare volumus presencium inspectoribus vniuersis, quod — amplectentes fideliter et sincere quantum in nobis est vel esse poterit, regno romano capite priuato prochdolor, ea que ad pacem et concordiam tendere poterunt tamquam eiusdem pacis zeleratores feruidi promouere — ad resistendum turbatorum predicte pacis malitiis nos cum reuerendo in Christo patre et domino Andrea venerabili herbipolensis ecclesie episcopo, qui nostre colligacioni seu confederacioni dominum Heinricum venerabilem abbatem fuldensis ecclesie inclusit ex nomine, ad presens taliter colligauimus quod predictis dominis adesse iurauimus contra quoslibet suos et amicorum ac seruitorum suorum iniuriatores ac etiam offensores auxiliis et consiliis oportunis, quando et quociens per eos vel eorum alterum de ferendo huiusmodi auxilio fuerimus requisiti.

Contra subscriptos preterea, futurum videlicet Romanorum regem canonice et concorditer electum, dominum Petrum maguntinensis et Chvnradum saltzburgensis ecclesiarum archiepiscopos, filios et filias quondam domini Alberti Romanorum regis nostri auunculi predilecti, duces Saxonie auunculos nostros, Heinricum marchionem brannburgensem sororium nostrum, et generaliter omnes nostros iuratos seruitores per Franconiam et Sweuiam, quos in iuramentis nostris excepimus, predictis dominis episcopo et abbati adherere nostris auxiliis non tenemur.

Adiectum est etiam, quod prenotati domini quandocumque nos ad prestandum eis auxilium vocauerint seu requisierint nobis et nobiscum procedentibus in eorum adiutorium quamprimum eos vel eorum alterum accesserimus in expensis tamdiu debeant prouidere quamdiu moram traxerimus cum eisdem.

Domino preterea herbipolensis ecclesie episcopo prenotato presentibus promittimus bona fide, si fauente domino ad culmen romani jmperii fuerimus sublimati, ipsum et suam ecclesiam in se et eorum iuribus manutenere et defendere, ac in recuperacione iurium sibi et ecclesie sue distractorum efficaciter promouere prout iuri ac racioni consonum fuerit debeamus.

Quicumque vero alter per nos et coelectores nostros in regem prefectus fuerit, apud illum conmodum et vtilitatem prefati domini episcopi et ecclesie sue fideliter studebimus pro posse et viribus promouere.

Predicta etiam colligacio seu iuramentum debent a data presentium vsque ad instans festum penthecostes et abinde per continuum quinquennium tantummodo in suo robore permanere.

Jn cuius rei facte euidenciam presentes nostri sigilli robore fecimus roborari.

Datum in Awe, anno domini millesimo trecentesimo octauo, feria quinta proxima ante festum beate Margarete.

Sigilli Rudolfi comitis palatini Reni ducis Bavariae, imaginem militis armati repraesentantis quod dicunt equestre, fascia membranacea ex hoc documento suspensi circumferentia partim perit.

Illud in operis cui titulus est „Quellen zur bayerischen und deutschen Geschichte“ vol. VI sub num. 230 pag. 152—154 editum est.

CCXXXVI.

1308, die 31. julii.

Nycolaus in crypta ecclesiae cathedralis herbipolensis vicarius se et sua monasterio lancheimensi donatione inter vivos tradit.

Jn nomine domini amen.

Ego Nycolaus prespiter sancti Kyliani in Herbipoli, vicarius in cripta ecclesie kathedralis, confiteor et in hiis scriptis

publice recognosco, quod in remedium anime mee et progenitorum meorum religiosis viris in Christo dilectis . . abbati et conuentui monasterij in Lancheim cysterciensis ordinis do dono et trado me et mea donacione perpetua inter viuos, videlicet omnia mobilia et inmobilia acquisita et inquirenda quocunque nomine censeantur, que omnia et singula me constituo eorum nomine possidere, jta tamen quod de predictis quo ad vixero percipiam vsum fructum, et quod possim de predictis rebus meis facere elemosinam vel aliam donacionem absque offendiculo consciencie quibus et quando decreuero et secundum quod mihi videbitur expedire.

Cedo etiam predictis religiosis nomina et actiones pignora et obligaciones contra quoscunque debitores meos, jta quod predicti religiosi jus agendi et repetendi habeant quecunque debita mea, jpsosque veros dominos constituo omnium bonorum per me quibuscunque creditorum in mutuo commodato deposito vel locato seu alio contractu nominato vel innominato ex quibus mihi ius conpeteret agendi, quod in ipsos religiosos cum pleno rerum dominio transfero prout possum melius in hiis scriptis.

Volo etiam — cum diem clausero extremum — apud predictos religiosos sepeliri, et quod dies meus anniuersarius singulis annis celebretur sollempniter in eodem monasterio cum honesto seruicio conuentui perpetuo dando secundum dicti ordinis instituta.

Et vt supradictis religiosis omnia suprascripta remaneant inconcussa et inviolata, renuncio ex certa sciencia omni iuri et actioni mihi conpetenti per que predicta viciari possent vel etiam annullari.

In quorum testimonium omnium et munimen sigillum honorabilis viri domini Wolframi prepositi noui monasterij, cum proprio carerem, ad peticionem meam presentibus est appensum.

Datum et actum in Herbipoli, anno domini M°.CCC^mo. VIII°., in die beati Germani confessoris; presentibus honorabilibus viris Gerlacho sacerdote et vicario herbipolensi, magistro Berngero phisico, Nycolao consanguineo meo, Friderico de Hauge, Wolk-

lino dicto Setzenagel, ciuibus herbipolensibus; et religiosis viris Syfrido priore et Eberhardo monachis et sacerdotibus in Lancheim; ac aliis fide dignis.

Sigillum fascia de ipsius documenti membrana confecta suspensum prorsus periit.

CCXXXVII.

1308, die 23. septembris.

Cůnradus de Vîlingen presbyter et vicarius ecclesiae sancti Kyliani in crypta ejusdem ecclesiae civitatis herbipolensis, accedente consensu capituli ecclesiae herbipolensis, actioni seu impetitioni sibi competenti contra abbatem et conventum monasterii in Langheim cisterciensis ordinis super restauratione vinearum facienda quas quondam dominus Nycolaus praedecessor de vicaria in crypta vendidit, et generaliter omni juri et actioni, iudicis officio, restitutioni in integrum, et omni auxilio juris canonici vel civilis per quae sibi competere posset actio lis seu impetitio contra religiosos praedictos super rebus mobilibus aut immobilibus aut de moventibus quibuscumque renuntiat, promittens bona fide se ratum et gratum habiturum ex certa scientia ordinationem legatum seu donationem factam religiosis praedictis per antedictum dominum Nycolaum antecessorem de rebus suis vel debitis quocumque nomine censeantur.

Datum et actum in Herbipoli, anno domini M°·CCC°·VIII°, feria secunda post diem sancti Mathaei apostoli; praesentibus Vlrico dicto de Erfordia, Heinrico de Crutheim, vicariis ecclesiae herbipolensis, Walthero de Ahusen, magistro Heinrico magistro praepositi de Hauge, et aliis quam pluribus fide dignis.

Sigillum decani ecclesiae herbipolensis quondam fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum magnam partem periit.

CCXXXVIII.

1308, die 10. decembris.

Andreas episcopus donationem ecclesiae parrochialis in Wickersheim a Manegoldo episcopo antecessore decano et capitulo ecclesiae novi monasterii factam confirmat.

Andreas dei gratia episcopus herbipolensis honorabili viro Rudegero de Wechmar archidyacono ecclesie sue salutem in domino sempiternam.

Meminimus quod ante longa retroacta tempora parrochialis ecclesia in Wickersheim honorabilibus viris . . decano et capitulo ecclesie noui monasterij herbipolensis a felicis recordacionis quondam domino Manegoldo episcopo herbipolensi, predecessore nostro, de consensu nostri capituli et honorabilis viri Wolframi de Grûmbach prepositi ecclesie noui monasterij predicte, qui patronus dicte parrochialis ecclesie extiterat, rite et legittime in prebendarum suarum subsidium que tenues erant perpetuo sit donata, sic quod quandocumque — decedente honorabili viro Heinrico decano ecclesie sancti Johannis in Havge, qui rector ipsius fuerat, vel resignante eandem — vacaret, ad vsus prebendarum suarum libere conuertere tunc valerent, perpetuo vicario ad illam presentando tantum de ipsius prouentibus reseruato quod episcopalia jura posset persoluere, et congruam sustentacionem habere.

Verum quia predictus Heinricus decanus, ab ipsius ecclesie parrochialis regiminis onere cupiens subleuari, dictam ecclesiam in nostris manibus libere resignauit, propterquod predicti . . decanus et capitulum nobis humiliter supplicarunt, vt — cum nobis inconsultis dicte parrochialis ecclesie possessionem nollent aliquatenus

introire — in eandem possessionem eos auctoritate ordinaria inducere curaremus, nos itaque suis supplicacionibus fauorabiliter inclinati, predicto . . decano ecclesie noui monasterij nomine suo et dicti capituli sui possessionem dicte parrochialis ecclesie, interueniente actu consueto, tradidimus et tradimus per presentes, honestati tue mandantes, quatenus — eosdem vel quoscumque ex eis nomine eorum in possessionem dicte ecclesie corporalem induci procùrans — precipias eis de juribus et fructibus ipsius ecclesie plenarie responderi, vicario ad illam presentando tantum vt dictum est de prouentibus ipsius ecclesie reseruato vnde jura episcopalia et archidyaconalia possit persoluere, congruam sustentacionem habere, et alia incumbencia sibi onera comode supportare.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo octauo, IIIIo. jdus decembris, pontificatus vero nostri anno quinto.

Andreae episcopi sigillum fascia membranacea ex his litteris suspensum, eique retrorsum secretum — imaginem episcopalem sinistra baculum dextera gladium tenentem repraesentans, legenda „secretum Andree episcopi herbipolensis“ circumductum — impressum est.

CCXXXIX.

1308, die 10. decembris.

Gabriel plebanus plebis de Valleneto pisanae dioecesis, domini papae capellanus, collector decimae redemtionis votorum et crucis legatorum et obventionis cujuslibet terrae sanctae deputatorum subsidio in maguntina treverensi coloniensi bremensi magdeburgensi et salzeburgensi provinciis, ac in earum et in eystetensi bambergensi ac caminensi civitatibus et dioecesibus una cum magistro Petro de Garlens ca-

nonico albiensi (qui ipsi in praemissis*) commisit integraliter vices suas) per sedem apostolicam deputatus, quoniam episcopum ac praepositum decanum et capitulum herbipolensis ecclesiae saepe saepius litteris et nuntiis requisierint quod de pecunia quam nomine decimae romanae ecclesiae solvere tenentur satisfacere curarent, quod in contemtum dei romanae ecclesiae terrae sanctae et ipsorum facere non curarunt, excommunicationis sententias non verentes, iterato ipsos pro primo secundo et tertio monitionis edicto praesentibus requirunt et monent quod de non soluta decima ac de decima per ipsorum praedecessores de depositis et a collectoribus recepta infra quindecim dies proxime subsequentes a receptione praesentium numerandos, quem terminum ipsis et cuilibet eorum peremtorie assignant, de dicta decima integraliter in civitate maguntina satisfaciant; alioquin ipsos et quemlibet eorum ex nunc prout ex tunc per praesentes et in hiis scriptis ab ingressu ecclesiae et divinis officiis suspendentes, et ecclesiam herbipolensem ac omnes ecclesias subjectas ecclesiastico supponentes interdicto.

Datum Maguntiae, anno domini millesimo trecentesimo octavo, die X decembris.

*) Quod supra sub num. CCXXX pagg. 401 et 402 memoravimus documentum huc conferri potest.

Sigillum quondam fascia membranacea ex his litteris suspensum abscissum est.

CCXL.

1309, die 7. januarii.

Gabriel et Petrus modo memorati terminum datum praeposito decano et capitulo ecclesiae herbipolensis ad satisfacien-

dum de decima recepta de depositis decimae factis in dicta ecclesia et de decima non soluta ecclesiae praedictae ad instantiam dominorum Conradi de Nidech archidiaconi et Gultstayni canonicorum ecclesiae herbipolensis, ac magistri Johannis dicti de Solzhpach, procuratorum in dicto negotio, usque ad octavam purificationis virginis gloriosae proxime venturum prorogant, et sententias suspensionis ab ingressu ecclesiae et divinis officiis et interdicti in dicta eorum ecclesia et in omnibus ecclesiis dictae ecclesiae herbipolensi subjectis contra eos latas usque ad dictum terminum suspendunt, sub condicione tali quod — nisi infra quindecim dies a praedicto termino satisfecerint, vel cautionem fecerint de satisfaciendo, prout cum dictis procuratoribus condixerunt, integraliter de decima supradicta — dictas sententias ipso facto incurrant, adjecto quod dicta quindena currere incipiat ab octava supradicta.

Datum Maguntiae, anno domini millesimo CCC°. nono, die septima januarii.

Sigillum quondam fascia membranacea ex his litteris suspensum abscissum est.

CCXLI.

1309, die 17. martii.

Andreas episcopus ne ecclesia novi monasterii herbipolensis ad plurium personarum in canonicos et confratres receptionem quam duodecim jam receptarum, ad quem quidem numerum exspectantes restringuntur, procedat mandat.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis honorabilibus viris . . decano et capitulo ecclesie noui monasterij ibidem salutem in domino sempiternam.

Quanto vos vestramque ecclesiam pre ceteris ampliori dilectione prosequimur, tanto feruentius honori vestro et profectui intendere cogimur et cauere.

Meminimus itaque, nobis ex parte vestri fuisse cum instancia supplicatum, quod — cum ecclesia vestra predicta defectum ministrorum non modicum pateretur, vosque etiam propter repulsas importunarum precum vobis aliquando pro minus dignis personis porrectarum multorum tam prelatorum quam nobilium vobis fauorabilium incurreretis frequenter odium et rancorem — nos super hiis vobis dictoque ecclesie prouidere salubriter dignaremur.

Vnde nos, vestris supplicacionibus moti, vt dictus suppleretur defectus, quodque vobis fauorabilium possetis rancorem et odium euitare, justa consideracione concessimus quod personas aliquas ydoneas possetis recipere in vestros concanonicos et confratres, vt videlicet sic recepti possent in moribus diuinis officiis et consuetudinibus ecclesie vestre plenius instrui, et antiquis canonicis obsequi et seruire.

Vos autem, nescientes a veritis abstinere et debito modo gaudere concessis, ad inordinatam ordinacionem — vt de vobis iam publica vox sonat et fama — procedere presumpsistis, et preter quatuor ante extra ordinacionem receptos non solum octo personas, quod tamen aliqualiter tollerabile iudicamus, jmmo quod deterius est ad recepcionem tot personarum vel plurium quot estis in ecclesia canonici per quoddam arbitrium emologatum ordinastis, jmmo deordinastis, procedere successiue. Que quidem ordinacio quantum vestre fame claritatem obumbret pariter et obfuscet, quantamque confusionem et scandalum tum apud clericos et laycos, et etiam (quod grauius est) quam multorum animarum periculum inducat, nemo sane mentis poterit ignorare.

Et licet vobis importune petentibus promiserimus, quando nobis huiusmodi ordinacionis negocium retulistis, quod id velletemus sub dissimulacionis tolerantia pertransire, non tamen tunc deliberate consideruimus, quanta posset exinde confusio suboriri, ac nostro ac vestro honori detrahi siue fame. Nam si superior, videlicet dominus

archiepiscopus maguntinus, tam inauditum et inconsuetum factum ac canonibus inimicum perciperet, quod absit, illud totum cassaret, et nos ac vos grauiter corrigeret ac puniret. Et quia vt quid maturius agamus tempore indigemus, ne consilia et opera nostra precipitemus, et eorum ordinacionem improuide corrumpamus, non erubescimus — siquid melius horum que prius diximus adinueniamus — competentem prioribus correctionem imponere, ne ab aliis corrigi expectemus.

Quamobrem — vobis vestreque ecclesie predicte quo ad receptos ex causis premissis complacere, et nostro vestroque honori in recipiendis impostorum precauere volentes — vobis vniuersis et singulariter singulis mandamus in virtute sancte obediencie et sub pena interdicti, quam in vos et ecclesiam vestram vniuersaliter, et excommunicacionis, quam in quemlibet vestrum de capitulo singulariter exnunc prout extunc ferimus in hiis scriptis, si mandatum nostrum (quod absit) transgressi fueritis, quatenus occasione arbitrij dicte ordinacionis promulgati, quod corrigimus et ad equitatis semitam reducimus in hac parte, ad plurium personarum recepcionem quam duodecim iam receptarum, ad quem quidem numerum expectantes restringimus per presentes, nullatenus procedatis. Alioquin preter penas premissas, quas vos et quemlibet vestrum incurrere volumus ipso facto, decernimus irritum et inane si secus per vos vel quemcumque vestrum fuerit attemptatum. Et nichilominus ad cassacionem dicte ordinacionis vestre facte prouocabimur incunctanter, presertim cum digne plerumque officium excitet presidentis ad ea que iusta fuerant consideracione concessa cum in abvsum ea vergere circumspicit discrecione preuia reuocanda.

Ne autem nonnulli ex vobis gracia sibi a capitulo facta valeant defraudari, et contra alios quorum gracia ad effectum est perducta scrupulosis cordibus moueantur, ex speciali affectu quem erga vos gerimus graciose concedimus, quod quociens dictorum expectancium numerus fuerit diminutus, tociens vnicuique vestrum gracia cui nondum adhuc est facta in recepcione vnius persone ydonee secundum suum introitum fiat, prout inter vos duxeritis saluis institutis ca-

nòmicis ordinandum, ita tamen quod in expectantibus nunquam dictus numerus excedatur.

Sane arbitrium dicte ordinacionis vestre supradicto modo moderamur corrigimus et restringimus, et sic seruari volumus et teneri. Omnesque promissiones extra ipsam correctionem nostram factas, condiciones siue pacta fideidacione sev juramento firmata, sub quouis modò aut forma verborum interposita, que in spiritualibus prorsus cessare debent, auctoritate ordinaria reprobamus penitus, et omnino viribus vacuamus, decernentes per ea vel ipsorum aliqua ad prouidendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°·IX°., XVI°· kalendas aprilis, pontificatus vero nostri anno sexto.

Andreae episcopi sigillum fascia membranacea ex hoc documento suspensum laesum est.

CCXLII.

1309, die 18. martii.

Capituli ecclesiae herbipolensis de praepositurae amministratione statutum.

In nomine domini amen.

Si illos felices describit antiquitas quibus ex alieno prestatur cautela periculo, illi reuera infelices estimandi sùnt et vesani quos non iam aliena sed nec propria cauciores dispendia reddiderunt.

Hinc est quod nos Eberhardus de Tvnnenvelt [1]), Albertus de Talheim, Cvnradus [2]) Flosculus, et Rudolfus

[1]) In libro copiarum signato A (= 5), qui hoc documentum pag. 167 manu saeculi quarti decimi incuntis inscriptum erronee anno domini M°·CCC°·X°· tribuit, legimus: *Tunneuelt*. [2]) B: *Conradus*.

de Rotenstein[1]), arbitri ordinatores sev dispositores a capitulo herbipolensi ad infra scripta ordinanda disponenda sev etiam statuenda in potestatis plenitudine constituti, prouide attendentes inconmoditates dampna et dispendia que hactenus ecclesia nostra sustinuit in amministracione prepositorum qui pro tempore exstiterunt, qui nobis fructus obuenciones vel prouentus a prepositura ipsa solitos deriuari vel non plene, vel si — non suis temporibus ministrarunt, et in futurum quantum possibile fuerit precauere volentes, statuimus volumus et ordinamus jn primis, vt prepositus qui pro tempore fuerit officia prepositure non conferat nisi presente cellerario et duobus de capitulo quos sibi capitulum singulis annis ad hoc deputauerit, jta quod de ipsorum consilio officia ipsa locare debeat et taxare secundum temporis qualitatem.

Volumus etiam statuimus et ordinamus, vt in autumpno septuaginta duas karratas vini iuxta morem antiquum in cellario dominorum nostrorum vel alibi prout cum capitulo vel cum hiis quos sibi capitulum deputabit deliberauerit sine diminucione qualibet reponi faciat et recondi. Quod quidem vinum non vndecumque colligatur, sed de monte dicto Stein, Schalperch[2]), Lindech, Mvnchberch[3]), Kv̈rchpuhel[4]), Crambuhel, Ôbersten sant, et partem de vineto quod per ciues colitur dominos contingentem, et vinum de Yselstat[5]) et de Sawenshein[6]) quod vron dicitur, et alias vbi melius creuerit, et Gras[7]). Que summe vini si ante festum beati Martini nobis tradita non fuerit et in potestate nostra reposita, prepositus qui pro tempore fuerit subeat penam infrascriptam, videlicet quod — in crastino Martini monitus per decanum, vel decano absente per seniorem de capitulo qui presens fuerit; qui si neglientes per vnum diem in monicione huiusmodi fuerint, extunc per duos fratres capituli quoscunque monitus — in locum suum duos fratres capituli suo nomine in claustro nostro cum suspensione prebendarum suarùm se recipi eadem die monicionis absque qualibet difficultate ordinet et procuret. Qui si in recepcione

[1]) B: *Rothenstein.* [2]) B: *Schalperg.* [3]) B: *Munchberg.* [4]) B: *Kirchbuhel.* [5]) B: *Yselfatet.* [6]) B: *Sawenshein.* [7]) B: *Gras.*

quatuordecim dierum spacio steterint, extunc prepositus ipse a uoce capituli exclusus cum suspensa prebenda in ipso claustro se recipiet cum eisdem, inde non exituri donec defectus vini vt predicitur per omnia suppleatur.

Jtem arbitramur et statuimus, vt — si prepositus qui pro tempore fuerit panem ab ipso ministrari consuetum per dies octo continue vel successiue numerandos non ministrauerit — extunc prepositus, nona die monitus ut premittitur, penam subeat suprascriptam.

Jnsuper statuimus et ordinamus, vt denarios septimanales, losvngas, et officiorum nobis suis temporibus ministrari procuret. Si autem [in] hoc negliens fuerit, et in eo per quatuordecim dies perstiterit a die qua ipsos denarios dare debuerat, monitus vt privs, penam subeat preexpressam.

Jtem statuimus et ordinamus, vt denarii maiores, videlicet quindecim solidi in festo pentecostes dandi qui dicuntur haberpheninge et watschar, et quindecim solidi in epiphania, sùis diuidantur temporibus. Quod si prepositus post quodlibet festum per mensem vnum negliens fuerit, monitus ut supra, penam subeat suprascriptam.

Jtem statuimus arbitramur et ordinamus, vt tres solidi denariorum qui carnales dicuntur ante festum natiuitatis domini diuidantur. Alioquin, in crastino circumcisionis monitus ut supra, penam subeat preexpressam.

Jtem statuimus et ordinamus, vt de quinque malteris in messibus dari consuetis ante festum Michahelis, et de septem malteris avene ante festum Martini, et quatuor malteris in die palmarum dandis ante quasi modo geniti singulis canonicis satisfaciat. Alioquin, post quemlibet terminorum premissorum monitus vt premissum est, penam subeat prius memoratam.

Jtem statuimus volumus et ordinamus, vt prepositus qui pro tempore fuerit feoda que probstlehen dicuntur si vacare contingerint non aliis quam concanonicis nostris conferat, et siqua extra ecclesiam nostram collata sunt reformet.

Jtem statuimus et ordinamus, vt prepositus maiora officia, videlicet magistri moncium cellerarii et magistri coquine, si ea vel eorum aliquod vacare contingerit, sine voluntate capituli totius conferat vllo modo.

Adicimus etiam, vt omnes et singuli de capitulo sub fideidacione et obediencie debito firmiter repromittant, vt siquis eorum in prepositum electus fuerit vniuersa predicta et singula sùb fidei puritate attendere debeat et seruare, et specialiter qui in prepositum eligendus fuerit non ante eligatur uel recipiatur quam solempne juramentum prestiterit vt vniuersa premissa attendere debeat et seruare, nec contra venire vllo vmquam studio ingenio vel cautela, ewangeliis vel sacrosanctis corporaliter etiam a se tactis.

Hanc tamen graciam preposito qui pro tempore fuerit dignum duximus faciendam, vt si forte tempus sterilitatis hostilitatis vel grandinis magne ingrueret, ita ut notorie et eùidenter appareat prepositum nostrum de rebus prepositure sine suo dispendio grauissimo et iactura obuenciones omnes a prepositura solitas deriuari omnino ministrare non posse, ipso petente duo sibi de capitulo deputentur, qui coram capitulo juramentum solempne prestare debeant vt defectus huiusmodi sollerter indagando sollicite inquirant et discuciant diligenter, et postpositis omni gracia odio vel fauore si sic esse repererint graciam sibi vice capituli facere possint per quam prepositus ipse releuetur, et confratres eorum in assecucione obuencionum prebendarum suarùm enormiter non ledantur.

Vt autem hec omnia et singula permaneant illibata, presentem paginam nostri sigillo capituli ac nostris sigillis fecimus roborarj.

Datum et actum anno domini M°·CCC°· nono, quinto decimo kalendas aprilis *).

*) B: *Datum actum anno domini M°. CCC°. X°., quinto decimo kalendas aprilis.*

Sigilla quinque memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa sunt.

CCXLIII.

1309, die 9. maji.

Andreas episcopus — quia abbas et conventus monasterii ebracensis ordinis cisterciensis, ipsius necessitatem compassivo animo intuentes, in subsidium emtionis dimidiae partis oppidi Volkach per ipsum factae centum et quadraginta libras hallensium mutuarunt — eisdem de pecunia hujusmodi mutuata satisfieri affectans, jam dictis abbati et conventui villas Steymbach et Steymbach cum universis et singulis juribus redditibus ac proventibus suis quos habere dinoscitur in eisdem pro supradicta pecunia de W(olframi) praepositi, F(riderici) decani, et capituli ecclesiae herbipolensis consensu et beneplacito assignat, easdem villas tenendas, ac jura redditus et proventus earum memoratos percipiendos tamdiu quousque praenotatam pecuniae summam integraliter collegerint seu perceperint de eisdem, qua percepta villae praenominatae cum suis juribus redditibus et proventibus antedictis ad ipsum et ecclesiam herbipolensem libere revertentur.

W(olframus) praepositus, F(ridericus) decanus, et capitulum ecclesiae herbipolensis praemissa omnia et singula de suo expresso beneplacito et consensu recognoscunt esse facta.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo CCC°. nono, VII°. idus maji.

Sigillorum Andreae episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis fasciis membranaceis suspensorum prius periit, alterum fere omnino integrum est.

CCXLIV.

1309, diebus 26. et 28. maji.

1.

Gundelochus de Windecke decimam in Ampherbach ab ecclesia herbipolensi titulo feodali possessam Andreae episcopo libere resignat.

Ego Gundelochus de Windecke publice in hiis litteris recognosco, cupiens ad vniuersorum tam presentium quam futurorum noticiam peruenire, quod ego decimam in Ampherbach in terminis parrochie Burg Eberach [1]) existentem cum omnibus suis obuencionibus et pertinentiis cultis et incultis quesitis et inquirendis quocumque censeantur nomine, michi a prudentibus viris Friderico Heinrico et Friderico iuniore necnon a Sifrido fratribus, atque ab Hermanno et Fritzlino filiis fratrum eorum, dictis Zolner [2]) — qui eam a me iure feodi possederant — resignatam, et per me a venerabili in Christo patre domino episcopo herbipolensi in feodo habitam, ipsi domino Andree episcopo herbipolensi pure propter deum — inspectis quibusdam ordinationibus tractatibus seu promissionibus inter . . pie recordationis patrem meum et inter quondam Fridericum dictum Zolner antiquum habitis, quibus id dispositum exstitit — resignaui libere et expresse.

Et nichilominus abdicato a me et heredibus meis necnon ab vniuersis affinibus meis michi ex quacumque linea sanguinis con-

[1]) In altero harum litterarum documento legimus: *Burgeberach.* [2]) B: *Zoelner.*

nexis omni iure quod in eadem decima michi vel eis siue alicui eorum conpetebat vel quomodolibet conpetere uidebatur, ac eciam renunciato per os meum omnibus exceptionibus et cautelis in iure canonico vel ciuili expressis aut quocumque ingenio inueniendis, michi vel heredibus meis seu alicui affinium meorum pro repetenda prenotata decima de iure vel de facto conpetentibus, jus feodale eiusdem decime quod michi in ea conpetiit per prouidos viros Bravnwardum [1]) filium . . quondam magistri coquine et per Bravnwardum [1]) filium quondam Waltheri, ciues babenbergenses, remisi ad manus iam dicti episcopi herbipolensis secundum terre consuetudinem hactenus solitam et consuetam.

Huius rei testes sunt: strennuus miles Heinricus de Tûnnenfelt [2]); Fridericus et Chunradus fratres de Liebesperg, Gundelochùs retro monetam, Levpoldus Tokler, Vlricus magister farine, Karulus Anshelmus, ciues babenbergenses; et quamplures alii fidedigni.

Et in euidenciam testimonii et firmiorem fidem premissorum omnium et singulariter singulorum dedi presentem litteram, sigilli mei robore firmiter conmunitam, anno domini millesimo trecentesimo nono, feria secunda infra octauas festi penthecostes.

[1]) B: *Brunwardum.* [2]) B: *Tunnevelt.*

Sigillum GVNDLOCHI DE WINDHEIM fascia membranacea ex altero harum litterarum exemplari suspensum integrum est; illius ex altero suspensi pars superior decidit.

2.

Gundloch von Windek befreit gegen Empfang eines von ihm lehenbaren Gutes von 100 Pfund Häller Werth die bisherigen Afterlehensleute des von ihm dem Hochstifte Wirzburg aufgegebenen Zehenten zu Ampherbach.

Jch Gundloch von Windek vergih offenlich an disem brif, swenne [1]) die bescheiden leut her Sifrit vnd her Friderich vnd

her Heinrich vnd her Friderich der junger gepruder, vnd Herman irs pruder sun, vnd Fritz irs pruder sun ein gut kaufen daz hundert phunt haller wert sei oder in der selben tûrung an geuerd vnd ez von mir oder von minen erben oder von mines pruder kinden zv lehen enphahen, oder irr eigen gut einz daz auch hundert phunt wert sei auf geben vnd ez von mir oder von minen erben oder von mines pruder kinden zv lehen enphahen, oder aber geahten daz mir ein gut werd auf geben daz auch hundert phund wert si daz ich daz leihe oder mein erben oder mins pryder kint, daz si denne von mir vnd von minen erben vnd von mines pruder kinden gentzlich ledich sein vmb di lehenschaft di ich het an dem zehenden zv Ampherbach, den ich han auf gegeben vnd auf gesant minem herren pischof Endres von Wirtzpurch durch got vnd auch dar vmb daz ez zwischen minem vater vn hern Friderich dem alten Zolner geteidinget vnd geret vnd gelobet wart.

Dez seint gezeug di erbern leut: her Heinrich von Tûnnefelt der ritter; her Friderich vnd her Cunrat von Libsberch, her Gvndloch hinter mûnz, her Lupolt Tokler, her Vlrich Melmeister, her Karel Anshalm.

Vnd zv einer gezeuknusse dir ding so han ich Gvndloch von Windek min jnsigel an disen brif [2]) gehangen.

Dirr brif ist gegeben da man zalt von Cristes geburt dreuzehen hundert jar darnach in dem neunten jar, an der nehsten mitwochen nach der phingst wochen.

[1]) In documento ipso scriptum est: *sweme*. [2]) Ibidem vocabulum „*brif*“ ommissum est.

Sigilli GundlOCHI de WINDHEIM fascia membranacea ex hac carta suspensi circumferentia partim laesa est.

CCXLV.

1309, die 29. junii et die 1 julii.

Ecclesiae herbipolensis procuratori litterarum apostolicarum causam de ecclesia parrochiali in Cregelingen spectantium copia exhibetur.

Omnibus presentes litteras inspecturis Guido de Baysio archidiaconus bononiensis, domini pape capellanus, et ipsius litterarum contradictoriarum auditor, salutem in domino.

Noueritis, quod — cum Henricus de Herberen infrascriptas litteras apostolicas impetraret — magister Tauerninus de Nouaria, procurator venerabilis patris .. episcopi . . decani et .. capituli herbipolensis, petijt sibi fieri copiam de eisdem.

Quarum tenor talis est:

Clemens episcopus etc. dilectis filijs . . preposito . . decano et . . scolastico ecclesie wormaciensis salutem etc.

Sua nobis Conradus natus nobilis viri Gotfridi de Brunecke*) clericus herbipolensis diocesis peticione monstrauit, quod — licet ipse ad parrochialem ecclesiam in Cregelingen dicte diocesis tunc uacantem fuisset a ueris ipsius ecclesie patronis venerabili fratri nostro . . episcopo herbipolensi canonice presentatus — quia dictus episcopus eum admittere renuit ad eandem, idem clericus ad maguntinam curiam loci metropoliticam appellauit.

Cumque post appellacionem huiusmodi dictus episcopus ad instanciam . . decani et capituli ecclesie herbipolensis, qui se falso dicte parrochialis ecclesie patronos fore dicebant, causam huiusmodi . . scolastico ecclesie sancti

*) In carta ipsa scriptum est: *Brumecke.*

Johannis in Hougen*) eiusdem diocesis audiendam conmisisset et fine debito terminandam, idemque scolasticus pretextu conmissionis huiusmodi dictum clericum citari fecisset, ex parte ipsius clerici fuit coram eodem scolastico excipiendo propositum, quod — cum ipse in causa huiusmodi ab eodem episcopo ut premittitur ad dictam curiam appellasset, et tempus prosequende huiusmodi appellacionis in cuius prosecucione idem clericus existebat nondum esset elapsum, prout erat legitime probare paratus — idem episcopus huiusmodi causam eidem scolastico conmisisse, idemque scolasticus pretextu conmissionis huiusmodi de causa ipsa cognoscere de iure non poterat nec debebat.

Et quia dictus scolasticus eum super hoc audire indebite denegauit, prefatus clericus iterato ad dictam curiam uocem appellacionis emisit.

Et quia prefatus clericus huiusmodi appellaciones suas et earum causam coram . . officialibus dicte curie legitime probauisset, quia tamen ijdem officiales appellaciones easdem non fuisse canonicas per interlocutoriam pronunciarunt iniquam, sepedictus clericus — senciens ex hoc indebite se grauari — ad sedem apostolicam appellauit.

Quocirca discrecioni uestre per apostolica scripta mandamus, quatenus uocatis qui fuerint euocandi etc. facientes etc.

Testes autem etc.

Quod si non omnes etc.

Datum Auinione, III kalendas julij, pontificatus nostri anno quarto.

Jn cuius copie petite et exhibite testimonium presentes litteras fieri fecimus, et audientie contradictoriarum sigillo muniri.

Datum Auinione, kalendis julij, pontificatus domini Clementis pape V anno quarto.

*) In carta ipsa scriptum est: *Hengen* vel *Hongen*.

Finito harum litterarum tenore membrana abscissa est, ut jam dici nequeat an unqam sigillum ex ea suspensum sit.

Quod infra sub num. CCLXVII edetur documentum, die 18 mensis martii anni 1311 datum, huc conferri potest.

CCXLVI.

1309. die 7. augusti.

Wirzburgischer Hofgerichtsspruch über Unstatthaftigkeit der Ladung eines im Herzogthum Franken Gesessenen an ein auswärtiges Gericht ausser das königliche.

Wir Andres von gotes gnaden bischof des gotshuses ze Wirzeburg veriehen offenlich an disem brieue vnd tvn kvnt allen den die in sehent oder horent lesen, daz wir sazen ze gerichte in vnserm sale ze Wirzeburg, do man zalte fon Cristes geburte driuceben hundert iar in dem nvnden jar, an dem dvnrestage for sante Laurencien tage, vnd for vns waren die edelen herren graue Ludewic fon Rienecke der elter, Albrecht fon Hohenloch lantvoget des riches ze Rôtenburg, vnd auch Andres Zobel kamerer, Kvne fon me Rebstog truchtseze vnsers gotshuses, Friderich Zobel, Johan fon Hôcheim, vnser schultheizen ze Wirzburg, Heinrich vom Rebstok, Godfrit Lesche, Herman Slegel, Heinrich Zobel, Friderich von Wipfelt, vnde Helwic, rittere, vnsers goteshuses dienstlute, vnd auch andere dienstlute gnûge vnsers goteshuses.

Do wrden wir gebeten ze freigene an einer gemeinen vrteile, ob de hein man gesezzen in vnserm herzogentûm *) ze Franken vz dem herzogentvm môhte werden geladet an de heinen lanttak oder an de hein gerichte von dem der lantrichter dem clager vber sine clage recht niht fersaget.

Des freigeten wir die vorgenanten vnser lantsherren vnde dienstlute.

*) In documento ipso scriptum est hoc loco: *herzogen tûm.*

Die teilten gemeinlich bi vnsern hulden, daz de hein man in vnserm vorgenanten hertzogentvm gesezzen vz dem herzogentvm ane alleine fer vnsern herren den kvnek an de heinen lanttak oder an de hein gerihte mochte oder solte mit de heime rechte geladet oder beclaget werden von dem der lantrichter dem clager vber sine clage daz reht niht versagete: were aber daz wider de heinen man der dar vber vz dem hertzogentvm an de heinen lanttak oder gerichte geladet oder beclaget wrde de heine vrteile gegeben oder gesprochen wrde, daz die ladunge oder die vrteile keine kraft oder macht mak oder sol habe, noch dem der geladet oder beclaget wirt an de heinem sinem rehte oder an sinem libe oder gute nicht mak oder sol geschaden.

Vnd wan die vrteile alsvs geviel for vns, so gebiete wir allen vnsern dienstluten ampluten vnd andern luten gesezzen in vnserm herzogentvm bi irem libe vnde gute, daz sie wider der vorgesprochen vrteile an de heime lanttage oder gerichte vz dem hertzogentvm de heinem man nicht sulen antwrten. Tete aber ir di heiner dar vber wider vnserm gebote, des wollen wir wartende sin an des libe vnd gût der daz tvn getar.

Des sint gezvge die forgenanten landesherren vnd dienstlute, vnd auch svnderlich Johan Hane, Arnolt Mvnzer, Bertolt Rose, Heinrich Weibeler, Eckehart Frezzer, vnd Ecke fome Stern, vnser burger ze Wirzeburg *), vnd auch anderre erberre lute genûge.

Vnd ze einer gezuknisse der vorgeschribenen vrteile vnd aller dinge die hie vor stent so hiezen wir disen brief schriben, vnd besigeln mit vnserm jnsigel.

Der wart gegeben an der stat, dem jare, vnd dem tage, die vor geschrieben sint.

*) In documento ipso scriptum est: *Wirsseburg.*

Andreae episcopi sigillum fascia membranacea ex hoc documento suspensum est.

CCXLVII.

1309, die 27. augusti.

Ecclesiae herbipolensis capitulum de decani electione in canonicos et confratres quosdam compromittit.

Nos Wolframus prepositus totumque capitulum ecclesie herbipolensis harum litterarum serie recongnoscimus et notum esse volumus ad quos presentes peruenerint singulis et publice vniuersis, quod anno domino M°·CCC°·IX°., feria quarta post diem sancti Bartholomei apostoli continuata a sabbato proximo post festum assumpcionis beate Marie virginis dictum diem Bartholomei precedentis, in loco consueto celebracionis capituli, hora prime pro termino peremptorio assignato, conmuniter qui presentes tunc fratres capituli fuimus de electione futuri decani dicte ecclesie conuenimus tractaturi..

Cupientes nos et ecclesiam nostram a futuris discidiis rancoribus et periculis in quantum possumus velut expedit preseruare, que in plerisque ecclesiis — prout euidencia facti colligitur — propter prelatorum in eisdem in discordia factam electionem dampnabiliter pullulant et excrescunt, deliberacione inter nos hinc inde prehabita diligenti, jn honorabiles viros Ludewicum de Hohemberg, Erkembertum de Starkemberg, Conradum dictum Blumelin de choro .. prepositi, necnon Goltsteinum de Riedern, Ber(toldum) de Grumbach, Gotfridum de Hohenloch de choro .. decani, nostros concanonicos et confratres capituli, conpromisimus et in hiis scriptis conpromittimus conmuniter et expresse, dantes eisdem viris plenam et liberam potestatem, vice

et nomine omnium nostrum de capitulo eligendi personam ydoneam de gremio ipsius capituli in decanum dicte ecclesie, quam hii viri omnes sex vel quinque ex eis (non obstante contradictione sexte persone, quam contradictionem viribus omnino carere volumus) concorditer duxerint eligendam, jta sane quod ijdem conpromissarij habentes a nobis facultatem liberam eligendi vt predicitur a quarta feria predicta vsque post horam none tantum sabbati inmediate sequentis quolibet die intra septa claustri nostre ecclesie infra pulsum prime conueniant in vnum, de inde non exituri ante horam cantati completorij eiusdem diei donec personam ydoneam vt predicitur in decanum si concordare poterint eligant vel assumant, seu alias modum formam cautelamque inueniant, super quibus inueniendis eis auctoritatem similiter in hiis scriptis damus, per quas concors electio decani poterit salubriter successu temporis celebrari, ratum et gratum nos . . prepositus et capitulum predicti habituri quidquid infra premissum tempus per memoratos conpromissarios in ipsa electione seu modi et forme inuencione de quibus predicitur fuerit ordinatum.

Verum si infra idem tempus memorate persone in electione predicta seu modi et forme inuencione non poterint modo prehabito concordare, exnunc vt in hiis scriptis irritum et inane fore decernimus quidquid per eas omnes et singulas vigore ipsius conpromissi statim post predictum terminum, scilicet horam nonam, tam de electione quam modi inuencione fuerit attemptatum.

In premissorum quoque testimonium atque robur sepedictis viris dedimus hanc litteram, sigillo nostri capituli ex certa nostra scientia sigillatam.

Datum et actum anno domini et quarta feria prenotatis.

Sigillum modo dictum fascia ex ipsarum litterarum membranis confecta suspensum magnam partem laesum est.

CCXLVIII.

1309, die 7. septembris.

Schiedsrichterliche Ausgleichung der zwischen dem Bischofe Andreas von Wirzburg und der verwittweten Markgräfin Anna von Brandenburg bestandenen Misshellungen.

Wjr Anna von gotes gnaden margrevin wilunt ze Brandemburg tun kunt vnd veriehen offenlich an disem brieve allen den die in sehent oder horent lesen, daz alle missehellunge vnd bruche die zwischen vnserm herren bischof Andres ze Wirtzeburg einsit vnd vns andersit biz her gewesen sint verrihtet gantzlich sint als hie nach geschriben stêt.

Des ersten aller vnser sache sin wir ietwedersit gegangen ze dem eberen fursten abbet Heinrich ze Fulde, vnd ze dem edelen herren grauen Berhtolt von Hennemberg.

Vnd die selben zwene habent vber die selben sache gesprochen, daz wir geben sulen vnserm herren dem bischof von Wirtzeburg oder sinem nahkomen zwei tusent vnd zwei hundert mark lôtiges silbers, oder fûr iegliche mark trithalp phunt haller.

Dar vmbe sol vnser herre bischof Andres von Wirtzeburg vns vnd vnsern kinden, sunen vnd tôhtern, die wir haben von margreue Herman seilige von Brandemburg, lihen ze rehtem lehen allez daz gût daz greue Herman vnd greve Boppe seilige von Hennemberg heten vnd liezen, ane di lehen dar zv greue Bertholt von Hennemberg vnsers gotshuses marschalk reht hat, vnd auch lihen daz gût daz greue Cunrat seilige von Wilperg liez, ez si ledik oder verlehent.

Ane die houemark ze Buntdorf vnd swaz dar zu gehôret, die mak vnser herre der bischof oder sin nahkome wider lôsen von vns oder vnsern erben, swenne si wollen, vnd solen wir oder vnser erben in die selben houemark wider ze lôsen geben. Vnd wan vnser herre der bischof sprichet di selbe houemark stê vierdhalphundert mark silbers, vnd wir da wider sprechen si ste sehshundert mark silbers, so sin wir gescheiden alsus, daz vnser herre der bischof sol dar vber nemen die erbern man Dietrich genant Vlieger den alten, Teynen von dem Liehtenstein den alten, Lantmannen den alten, rittere, vnd Engelhart von Rugeheim den alten, vnd di sulen swern zesagenne vmbe di satzunge der houemark swaz in wizzende vnd kunt ist. Vnd swaz die sprechent daz si stê, dar vmbe sol si vnser herre der bischof oder sin nahkome lôsen. Weir aber daz er der vierer aller niht mohte gehaben, mag er doch ir zwene gehaben, dar zu sol er einen oder mere erberer lute di dem gute gemeize sin nemen. Vnd swaz di sagen vf iren eit den si svlen swern daz die houemark ste, dar vmbe sol er oder sin nahkome si losen. Weir aber daz er der vorgenanten vierer niht gehaben mohte, so mugen wir vf di houemark behaben als reht ist, doch niht vber sehshundert mark. Vnd wan vnser herre der bischof sprichet di houemark si vnvogtbere so si wirt erloset, vnd wir sprechen daz wir dannoch so si erloset wirt dar vf vogti haben sulen, dar vber sin wir gescheiden alsus, so er oder sin nahkome die houemark lôsen wil, daz man in der kuntschaft ervaren sol ob di hovemark vogtbere were von dem von Wilperg oder niht, ê si dem vorgenanten grauen Herman wart gesetzet. Vnd saget di kuntschaft daz si vogtber were, so sulen wir vnd vnser erben dar vf vogti haben. Jst des niht, so sol si vnvogtbere vnd ledik sin so si wirt erloset als vor geschriben stet.

Ez ist auch gesprochen, daz alle di lehen di von dem vorgenanten grauen Cunrat von Wilperg giengen, di von vnserm herren dem bischof empfangen sin, wir den luten di sie von im empfiengen gutlich lihen sulen. Vnd sol den luten niht schaden an

irem rehte daz si di lehen von im emphiengen. Wer aber daz dehein man zu im der selben lehen deheinz vordert im ze lihen, den sol er furbaz zv vns wisen vmbe daz selbe lehen ze vorderne.

Ez sol auch vnser herre der bischof vns Kitzche vnd swaz dar zv gehoret daz wir ze rehte haben sulen, vnd auch alle kirchove di vns angehorent die er hat in siner gewalt vnd swaz dar zu gehöret, vnd allez ander erbhaft gût des er vns in disem kriege hat entwert wider geben. Vnd vns auch niht irren sol wider ze buwenne Kitzche, ob wir ez buwen wellen.

Ez sol auch aller der haz vnd missehellunge di vnser herre der bischof sine lute vnd helfer, vnd wir vnser lute vnd helfer beidersit gegen ein ander biz her heten gantzlich vnd gar abe sin, vnd sulen beidersit eine luter vnd steite fruntschaft vnd sûne mit ein ander haben ane alle geverde.

Jst auch daz vnsers herren des bischofs lute oder helfer den vnsern iht irs gutes daz erbhaft ist in dem kriege genomen habent, daz sol man den vnsern wider geben. Daz selbe sol man auch da wider sinen luten tûn.

Wir sulen auch den luten di sich an vnsern herren den bischof mit den kirchoven gehûben niht dar vmbe sin gehaz, noch si des an deheinen dingen lazen engelten.

Vnd auch alle gedinge die beidersit sint geschehen vnd di vf vnserre frowen geburtlichen tak der nu ist niht gevallen sint sulen gantzlich abe sin, ane di hin bescheiden sint vnd da fur di gebure selbe gelobet vnd gesprochen habent.

Vnser herre der bischof sol auch deheine sture oder bete setzen vf di lute di er inne hat vnd vns an gehorent biz vf di stunt daz im werdent di pfant geantwrtet di wir im von der sune wegen antwrten sulen.

Die gevangen sulen auch beidersit ledik sin, vnd svnderlich Otte von Kundorf vnd Marquarts sun von Liehtemberg gegen ein ander. Vnd ist gesprochen vmbe di gevanknisse als Marquart von Liehtemberg Otten von Kundorf gevangen

hat, di gevanknisse Otten vnd sine frunde vmbillich dunket, vnd da wider vmbe daz hus ze Moseburg daz Otte inne hat, vnd Marquart von Liehtemberg vnd sine frunde dunket daz er sich sin vmbillich habe vnderwnden, daz si der sache beidersit sulen gen vf die vier man vnd den oberman die vnser herre der bischof vnd wir kiesen sulen vber alle vnser ansprache di wir vnd vnser lute haben beidersit gegen ein ander ze sprechenne. Vnd swaz di dar vber sprechent nach dem rehte, des sulent si beidersit gehorsam sin. Wer aber daz Marquart von Liehtemberg vnd sine frunde dez rehten daz di vier vnd der vberman sprechent vzgiengen, so sulen wir gantzlich vns ir vzzern, vnd sulen wir mit vnsern vesten vnd luten vnserm herren dem bischof vf si beholfen sin daz man si ze dem rehten twinge. Weir aber daz Otte von Kundorf vnd sine frunde wolten vzgen des rehten, so sol vnser herre der bischof vns glicher wis gegen in beholfen sin.

Ez sol auch vnser herre der bischof vnd sin nahkome vns vnd vnser erben, sune vnd tohtere, lazzen sitzen vnd bliben bi allem vnserm gûte lute vnd gerihte in allem rehte vnd eren als graue Herman vnd greue Boppe seilige von Hennemberg da bi sazen.

Vnser herre der bischof vnd sin nahkomen sulen auch bi irem geistlichem vnd werltlichem gerihte bliben in allem rehte als si von alter her sint komen.

Wir sulen auch zwene vnser rittere, vnd vnser herre der bischof zwene siner rittere kiesen, vnd die vier sulen einen vberman vf iren eit kiesen ze dem nehsten tage so man von vnsern wegen beidersit wirt teigdink haben. Mugen danne di vier niht vber ein komen vmbe einen vberman, so sulen si varen ze Fulde, als lange da ze blibenne biz daz si vmbe den vberman komen vber ein vnd in gekiesen. Ze den vieren vnd dem oberman sin wir gegangen aller bruche vnd vflôfe di biz her zwischen vnserm herren dem bischof vnd vns vnd vnsern luten beidersit vf gestanden sint vnd noch vf stent. Vnd sulen si gewalt haben die vz zerihtenne nach minnen oder nach rehte. Vnd swa si die nach min-

nen nit mohten vz gerihten, so sulen si die vf iren eit nach dem rehte vzrihten.

Ez ist auch vmbe di zweitusent mark silbers di wir vnserm herren dem bischof oder sinen nahkomen sulen geben alsus geredet vnd gelobt, daz wir im der selben summe funfhundert mark silbers vf vnser frowen tak genant liehtmesse der nu nehst kumet sulen geben, vnd vf santte Walpurg tage der nehste dar nah kumet aber funfhundert mark silbers. Vnd sulen wir fur di selben tusent mark silbers di burk ze dem Rotenstein vnd hundert mark gulte silbers dar zu jn antwrten den ebern rittern Heinrich dem marschalke von Lure vnd Sifrit von dem Steine, also bescheidenlich. Weir daz wir vnserm herren dem bischof vf ietweder zil di sint vorbenant funfhundert mark silbers niht engeiben, so sulen di rittere vf ir eit den si sulen swern im oder sime gotshuse di selben burk mit der vorgenanten gulte in antwrten als lange ze haltenne biz daz er oder sin gotshus des silbers gantzlich si gewert. Dar zu, geben wir niht ze dem ersten zil funfhundert mark als vor geschriben ist, so sulen wir dar zu funftzek mark schuldik sin vnd geben. Geben auch wir ze dem andern zil niht funfhundert mark, so sulen wir aber dar zu funftzek mark schuldik sin vnd geben vnserm herren dem bischof oder sinem gotshuse, vnd sol er der wartende sin vf di burk. Jst aber daz wir vf sante Walpurg tak dem vorgenanten daz vorgenante silber geben vnserm herren dem bischof oder sinem nahkomen, so sulen di ritter di burk ze dem Rotensteine mit der gulte di benant ist vns wider antwrten vf iren eit. Geschehe aber daz di ritter di burk antwrtent dem bischof, so sol er die vns oder vnsern erben geben ze lôsen swanne wir si losen wollen vmbe eilfhundert mark silbers. Vnd dar vber sol er vns vnd vnsern erben sinen vnd sines capitels brief geben, daz man vns oder vnsern erben di burk mit der gulte gebe wider ze lôsenne, ob er niht enwere. Fur di andern tusent mark silbers sulen wir setzen vnd in antwrten vnserm herren dem bischof vnd sinem gotshuse di burk ze Steyna mit hundert mark silber gulte, als lange inne ze halten biz daz wir si erlosen vmbe tusent mark

silbers. Ez sol auch vnser herre der bischof ahten, daz der ebere furste abbet herre von Fulde, greue Bertholt von Hennemberg, vnd auch her Wolfram der tumprobst, her Erkembert der techant, her Cunrat von Nideke, vnd her Vlrich von Kirchperg, ertzpriester des gotshuses ze Wirtzeburg, vnd di erberen ritter Sifrit von dem Steine, Andres Zobel genant, Arnolt von Witolshusen, vnd Herman von Brenden fur in gelobent, swenne wir di bvrk ze Steina wollen wider losen, daz man vns sie vnd di hundert mark gulte wider ze losenne gebe. Vnd losen wir di burk vnd die gulte viertzehen tage vor santte Walpurge tak, so sol di gulte di sich biz danne ergangen hat vns gevallen; tun wir des niht, so sol si vnserm herren dem bischof oder sinem gotshuse gevallen. Jst auch daz wir si viertzehen tage vor santte Michels tage lôsen, so gevallet vns aber di gulte; ist daz niht, so gevallet si dem bischof; vnd sol man vns doch di burk ze losenne geben swenne wir wellen.

Ez sol auch vnser herre der bischof vns vnd vnsern kinden, sunen vnd tohtern, di vorgeschriben sint, di vorbenanten lehen mit sinem vnd sines capitels brieve vnd jnsigel besteitegen vnd bevesten.

Wir sulen auch di burk ze Steina vnd hundert mark silber gulte in antwrten den geistlichen mannen dem abbet von Bilithusen, vnd dem cometur des tuschen huses ze Munrichstat, inne ze halten biz daz vns vnd vnsern erben der vorbenante brief vber di lehen wirt gegeben vnder des bischofs vnd des capitels jnsigel. Vnd daz sol geschehen vor dem nehsten santte Gallen tage. Geschiht des nit, so sol der abbet vnd der cometur di burk vnd di gulte vns wider antwrten, als lange ze halten biz daz vns oder vnsern erben der brief wirt gegeben. Als schier daz geschiht, so sulen wir vnserm herren dem bischof vnd sinem gotshuse di burk mit der vorgenanten gulte wider antwrten ze halten biz wir si erlosen als vor geschriben ist.

Vnd daz alle di vorgeschriben dink steite vnd vnzerbrochen bliben, so ist diser bref dar vber ze einer gezuknisse geschriben, vnd besigelt mit vnsers herren des rômschen kuneges Heinrich,

mit vnsers herren des ertzpischofs P(eter) von Mentze, vnd mit des vorgenanten bischofs von Wirtzpurg, vnd mit vnserm, jnsigeln.

Vnd wir Heinrich von gotes gnaden romesch kunec alleweg ein merer des riches, vnd wir Peter von der selben gnade ertzpischof des stules ze Meyntze, des riches oberster canceller in tuschem lande, ze einer gezuknisse aller der vorgeschribenne rede vnd der sûne haben wir disen brief heizen besigelt mit vnsern jnsigeln.

Wir auch bischof Andres ze Wirtzeburg der e genant ist veriehen vnd bekennen alle die vorgeschribenne suene zwischen der margrauin vnd vns sin gemachet vnd gesetzet als hi vor geschriben stet mit vnserm willen. Vnd ze einer bekantnisse dar vber ist vnser jnsigel geleget an disen brief.

Dise verrihtunge jst geschehen, vnd der brief ist gegeben an vnser frowen abent irs geburtlichen tages, ze Spire, do man zalte von Cristes geburte druzehen hundert jar in dem nunden jar.

Sigilla quatuor memorata filis sericis — illud Petri archiepiscopi maguntini viridis coloris, reliqua tria rubri coloris — ex hoc documento suspensa sunt.

CCXLIX.

1309, die 9. octobris.

Revers der verwittweten Markgräfin Anna von Brandenburg, nunmehrigen Gräfin von Hennenberg, über verschiedene wirzburgische Lehen welche Bischof Andreas ihr zu rechtem Leibgeding und ihren nachbenannten Kindern zu rechtem Lehen gegeben.

Wjr Anna von gots gnaden wilent marcgrauin ze Brandeborg vnd nv vrowe ze Hennenberg veriehen offenlich an disem

gegenwertigen brieûc. daz vnser ersam herre her Andres bischof ze Wirzeburg vns allez daz gut daz greue Herman vnd greue Boppe seligen von Hennenberg, vnd vnser herre marcgraue Herman selige von Brandeburg, vnd sunderlich daz gût daz greue Cunrad selige von Wiltperg von ime vnd von sime gotshvse hetten gelihen hat ze einem rechten lipgedinge ze vnserm libe, vnd bekennet vns einer morgengabe dar an, vnd hat vns mit sime brieue gesetzet in die rechten were landes vnd gûtes.

Auch bekennet er an dem selben brieue, daz er daz selbe vorbenante lant vnd gût hat gelihen vnd lihet vnserm sune marcgrauen Johan von Brandeburg, vnd vnseren tochteren vrowen Agnesen jungvrowen Mechtilden vnd jungvroweu Jûtten ze eime rechten lehen mit allem rehte vnd mit allem nutze als es die vorbenanten herren von sinen vorvaren vnd von sinem gotshvse hetten, ane die lehen dar zv greue Bertolt von Hennenberg sines gotshvses marschalk recht hat.

Diser vorgenanten dinge sint gezûge: greue Vlrich von Kirchberg erzpriester ze Wirzeburg, Heinrich von Catzenstein korherre von dem Nuwenmunster, Heinrich der marschalk von Lure, Dietrich von Hoenberg des gotshuses marschalk, Andres Zobel der kemerer, Syfrid von dem Steine, Arnolt von Witolshusen, Herman von Brende, dienstman des gotshuses, Otte der Schenke von Schenkendorf, Otte der Schenke von Kunigsmarke, Cunrad vnd Albrecht von Hesseburg gebrudere, Albrecht von Bartdorf, Herman von Sternberg, Karl von Helderit, Otte von Kûnigshouen, Otte von Sleten, vnd ander genûc, ritter vnd erber lûte, die da bi waren.

Dise brief ist geben zwischen Mûnrichstad vnd der Nuwenstad na bi Lure, do man zalte von gots gebûrte tusent jar dru hundert jar jn dem nûnden jare, an sancte Dyonisien tage.

Sigilli Annae marchionissae brandenburgensis comitissae de Hennenberch filis sericis rubri et viridis colorum ex his litteris suspensi circumferentia magnam partem decidit.

CCL.

1309, die 17. octobris.

Andreas episcopus — quod praebendarum abbatis et conventus monasterii in Langheim ordinis cisterciensis redditus et proventus sunt adeo tenues et exiles quod divinorum obsequiis tam ferventer ut desiderant intendere non possunt — parrochialem ecclesiam in Wechede dioecesis herbipolensis, cujus jus patronatus Gotfridus de Hohenloch praepositus ecclesiae in Hauge extra muros herbipolenses de consensu decani et capituli ejusdem ecclesiae iis donavit donatione libera et perpetua inter vivos, iis cum omnibus juribus libertatibus et pertinentiis suis jure proprietatis et possessionis donat, in eos eandem ecclesiam parrochialem cum omnibus juribus libertatibus et pertinentiis suis cum pleno rerum dominio transferens, et quod fructus ac proventus ipsius ecclesiae in subsidium ac meliorationem praebendarum convertere possint cum vacaverit de consensu archidiaconi loci plenam donans et concedens facultatem, ita tamen quod cura animarum in eadem ecclesia nullatenus negligatur, quodque praefata parrochialis ecclesia perpetuum habeat vicarium ipsi et ipsius successoribus praesentandum, cui tantum ad ipsius et suorum successorum taxationem et aestimationem de illius proventibus relinquatur quod episcopo et archidiacono loci qui pro tempore fuerit de suis juribus valeat respondere, et hospitalitatem congruam servare, ac alia sibi incumbentia onera supportare.

Datum anno domini millesimo trecentesimo nono, XVI°. kalendas novembris.

Hae litterae Pilei sanctae Praxedis presbyteri cardinalis auctoritate Nurembergae XVIIII kalendas februarii transscriptae ejusque sigillo filis sericis coloris viridis suspenso munitae sunt.

CCLI.

1309, die 17. octobris.

Andreas episcopus ecclesiae s. Johannis in Hauge parrochialem ecclesiam in Frithenbach donat.

Jn nomine domini amen. -

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis honorabilibus viris .. decano et capitulo ecclesie sancti Johannis in Havge extra muros ibidem salutem in filio uirginis gloriose.

Cum et plantare cultum diuini nominis, et plantatum fouere, necnon promouere ea que ad eiusdem cultus vtilitatem spectant ex officij nostri debito teneamur, nos — prouide considerantes quod prebendarum uestrarum redditus et prouentus sunt adeo tenues et exiles quod diuinorum obsequijs tam frequenter*) ut desideratis intendere non potestis — ex affectu sincero vobis postulantibus fauorabiliter decreuimus subsidium inpendendum.

Vt in dicta ecclesia vestra divinorum officia eo liberius valeant exerceri, parrochialem ecclesiam in Friethenbach nostre dyocesis, cuius jus patronatus nobilis uir Albertus de Hohenloch et Alheidis coniuges de consensu Gotfridi de Hohenloch prepositi in Havge fratris predicti nobilis vobis donauit donacione libera et perpetua inter uiuos, prout in instrumento exinde confecto plenius continetur, vobis cum omnibus iuribus et pertinencijs suis jure proprietatis et possessionis donamus in hijs scriptis, jn vos eandem ecclesiam parrochialem cum omnibus iuribus libertatibus et pertinencijs suis cum pleno rerum dominio transferentes. Et quod fructus ac prouentus ipsius ecclesie jn subsidium ac melioracionem prebendarum vestrarum conuertere possitis cum vacauerit, de con-

*) An fortassis legendum: *feruenter* ?

sensu archidiaconi loci plenam vobis per presentes donamus et concedimus facultatem, jta tamen quod cura animarum in eadem ecclesia nullatenus negligatur, quodque prefata ecclesia parrochialis perpetuum habeat vicarium nobis et nostris successoribus presentandum, cui tamen ad nostram et successorum nostrorum taxacionem et estimacionem de ipsius prouentibus relinquatur quod . . episcopo et archidiacono loci qui pro tempore fuerit de suis juribus valeat respondere, et hospitalitatem congruam obseruare, ac alia sibi incumbencia onera subportare.

Vt autem hec nostra donacio robur optineat perpetue firmitatis, presens instrumentum desuper confectum sigillo nostro fecimus roborari.

Et nos Fridericus de Stahelberch canonicus et archidiaconus ecclesie herbipolensis, premisse donacioni consencientes, nostrum sigillum duximus eciam ex certa sciencia presentibus appendendum in robur et testimonium premissorum.

Datum anno domini M°.CCC°. nono, XVI°. kalendas nouembris.

Hoc documentum ad fidem libri copialis ecclesiae s. Johannis in Hauge saeculo XIV conscripti quem vulgariter das hauger Kettenbuch dicunt fol. 25′ et 26′ edidimus.

Litterarum ab Alberto et Alheidi conjugibus de Hohenloch die 11 mensis octobris datarum, quarum mentio facta est, tenor ad fidem libri copialis memorati fol. 25′ hic est:

Jn nomine domini amen.

Nos Albertus de Hohenloch et Alheidis coniuges inspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod pure et simpliciter propter deum nec non pro animarum nostrarum ac progenitorum nostrorum remedio et salute, prehabita sepius deliberacione diligenti, honorabilibus dominis . . decano et capitulo ecclesie sancti Johannis in Havge extra muros herbipolenses jpsorumque ecclesie donauimus nec non per presentes donamus manu coadunata donacione libera et perpetua inter uiuos jus patronatus parrochialis ecclesie in Frietenbach cvm omnibus suis iuribus vtilitatibus et attinencils habendum et perpetuo plene et libere possidendum. Omneque

jus quod nobis et nostris heredibus jn iure patronatus ecclesie prefate conpetit sev hactenus conpetebat in predictos . . decanum et capitulum dictamque eorum ecclesiam sancti Johannis in Havge iusto ac perfecto donacionis tytulo plene libere ac integre transferimus per presentes, consensu dilecti fratris nostri Gotfridi de Hohenloch prepositi eiusdem ecclesie plenius accedente.

Jn quorum premissorum robur et testimonium nostra sigilla vna cum sigillo fratris nostri predicti presentibus sunt appensa, quod et nos Gotfridus de Hohenloch prepositus jamdictus in euidenciam nostri consensus donacioni premisse adbibiti duximus eciam ex certa sciencia presentibus appendendum.

Datum anno domini M°. CCC°. nono, quinto jdus octobris.

CCLII.

1309, die 12. novembris.

Andreas episcopus — cum induciae, quas quondam Johannes burggravius de Nuremberg pro se et Friderico fratre tunc minore annis (cujus tutor exstiterat) jamjam burggravio in Nuremberg et eorum heredibus felicis recordationis Manegoldo episcopo praedecessori ejusque successori pro tempore et capitulo herbipolensi super reemtione villarum Bernheim et Herbolsheim earumque pertinentiarum omnium, quae — excepto jure patronatus ecclesiarum ibidem — dudum quondam Friderico burggravio nurembergensi (praedictorum Johannis et Friderici patri) ejusque heredibus ratione trecentarum marcarum argenti septingentarum et triginta librarum hallensium pro emtione castri Frankemberg ipsi quondam burggravio ejusque heredibus ab ecclesia herbipolensi solvendarum in feodum sunt collatae, amice concessit, exspirent in festo purificationis beatae virginis proxime affuturo; cumque praenominatus Fridericus tunc burg-

gravius in Nuremberg praedictas villas cum praenotatis earum pertinentiis ipsi et ipsius successori necnon capitulo herbipolensi (ulteriores super dicta reemtione dando inducias) infra hinc et festum purificationis beatae virginis proxime venturum et abinde infra duos annos immediate se subsequentes pro trecentis marcis argenti septingentis libris hallensium et triginta libris hallensium ad reemendum dare per solemnem stipulationem promiserit quandocunque ipsis facultas affuerit reemendi, dummodo infra festa videlicet natalis domini et cathedrae Petri tempore reemtionis hujusmodi currentia reemtio talis fiat — recognoscit et protestatur, quod si praescriptas villas cum earum pertinentiis infra praetactum terminum non reemerit, ut est dictum, deinceps, nisi dictus Fridericus aut ejus heredes voluerint, ipsi seu ipsius successori seu capitulo supradictis non competet reemtio quoquam modo, immo exnunc prout extunc pro ipso et ipsius successore necnon capitulo de ejusdem consensu omni juri canonico et civili — exceptis fundo proprietatis, quem in feodum dictus Fridericus ejusque heredes possidebunt, et jure patronatus ecclesiarum dictarum villarum — omnique actioni liti seu quaestioni quae contra ipsum Fridericum aut ejus heredes possent competere pro bonis jam dictis renuntiat simpliciter et praecise.

Datum Herbipoli, anno domini M°. CCC°. nono, in crastino beati Martini episcopi.

Sigilla Andreae episcopi et capituli ecclesiae herbipolensis fasciis membranaceis ex his litteris suspensa sunt.

Quae Manegoldi episcopi litterae die 6 mensis maji anni 1298 et die 10 mensis augusti anni 1299 datae supra sub num. CVIII pag. 192 et 193 necnon sub num. CXXVI pag. 222 et 223 editae sunt huc conferri possunt.

Documentum nostrum Maercker et de Stillfried in monum. zolleran. vol. II pag. 300—302 ediderunt.

Illud a Friderico burggravio memorato de eadem re confectum in die beati Othmari = die 16 mensis novembris exhibitum est.

CCLIII.

1309, die 21. novembris.

Andreas episcopus — quoniam ex parte abbatis et conventus monasterii in Halsbrunnen ordinis cisterciensis eystetensis dioecesis exstitit humiliter supplicatum, quod (cum grangiae eorum in Nova Curia et in Ketelndorf sint in villas redactae, et fratres qui capellas et homines earundem villarum regebant ad eorum monasterium sint translati) ne dictae capellae divinis carerent officiis, capellam in Nova Curia parrochiali ecclesiae in Trutskirche, et capellam in Ketelndorf parrochiali ecclesiae in Haselach annectere dignaretur — praefatam capellam villae Novae Curiae praenotatae parrochiali ecclesiae in Trutskirche, capellam vero villae Ketelndorf praelibatae ecclesiae parrochiali in Haselach utpote filias annectit, ordinans et statuens ut quilibet plebanorum dictarum parrochialium ecclesiarum suam capellam suae ecclesiae utpote filialem sic annexam officiare, et plebibus ad eam spectantibus tamquam ipsarum plebanus sacramenta ecclesiastica perpetuo debeat ministrare, quodque utriusque villae plebes suo plebano (videlicet plebes villae in Nova Curia plebano in Trutskircke, et plebes villae Ketelndorf plebano in Haselach) ea qua decet reverentia obedire, de suis juribus respondere, et habere de perceptione suorum ecclesiasticorum sacramentorum respectum perpetim teneantur.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· nono, XI°· kalendas decembris, pontificatus vero anno sexto.

Andreae episcopi sigillum fascia de ipsarum litterarum membrana confecta suspensum paene totum periit.

CCLIV.

1310, die 5. januarii.

Andreas episcopus magistrum Johannem de Svltzpach, advocatum curiae suae, legitimum ad infrascripta procuratorem constituit, videlicet ad petendum a Gabriele plebano plebis de Valle-leneto pisanae dioecesis, collectore decimarum terrae sanctae subsidio deputatarum in maguntina et aliis Alamanniae provinciis auctoritate sedis apostolicae constituto, saepius memorato, et Petro de Garlens praeposito frankenfordensi, ejus in dicto negotio collega, litteras liberationis absolutionis et quitationis pro se et ecclesia sua necnon omnibus ecclesiis monasteriis piis et religiosis locis civitatis et dioecesis herbipolensium super obligatione qua ipse et ecclesia necnon ecclesiae ac monasteria pia et religiosa loca civitatis et dioecesis jam dictarum in solutione decimarum de quibus supra mentio habetur romanae ecclesiae obligati exstiterunt, necnon ad faciendum et petendum omnia et singula que in praemissa absolutione et quitatione ac circa eam utilia expedientia seu necessaria videbuntur, ratum et gratum habiturus quicquid per dictum procuratorem ordinatum seu factum fuerit in praemissis et quolibet praemissorum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini millesimo CCCo. decimo, nonis januarii.

Sigilli Andreae episcopi fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensi circumferentia paene tota decidit.

CCLV.

1310, die 9. januarii.

Jura consuetudines et libertates ecclesiae herbipolensis necnon praecipuorum capitulorum conventuum monasteriorum herbipolensium confirmantur, et arbitri pro dissensionum inter episcopum et illa hinc inde forte emergentium compositione eliguntur.

Nos Andreas dei gracia episcopus herbipolensis recongnoscimus tenore presencium, ac publice profitentes ad vniuersorum noticiam cupimus peruenire, quod — considerantes honorem nostrum non minui sed augeri, cum deuotos nostros . . prepositum . . decanum capitulum et canonicos ecclesie nostre, nec non abbates monasteriorum et conuentuum sancti Bvrkardi sancti Stephani et Scotorum, ac prelatos ecclesiarum et capitulorum sancti Johannis in Hauge et noui monasterij ciuitatis herbipolensis in suis juribus consuetudinibus ac libertatibus quibuslibet confouemus — nos omnia jura, omnes consuetudines ac libertates, quibuscumque nominibus censeantur, siue in personis possessionibus hominibus sev quibusuis alijs rebus sev modis consistant, prelatorum capitulorum canonicorum et conuentuum predictorum, quamuis forsan ipsis in eisdem iuribus consuetudinibus ac libertatibus aliquociens per actus contrarios derogatum existat, promittimus sicut ab antiquis temporibus sunt obseruate inposterum bona fide inuiolabiliter obseruare, et ipsos in premissis omnibus et singulis manutenere defendere et confouere nostre protectionis ecclesiastice ac secularis auxilio absque vara, ac ad premissorum jurium consuetudinum ac libertatum obseruanciam inuiolabilem nos presentibus obligamus.

Ad precauendas etiam omnium inter nos hincinde dissensionum materias, ex quibus rancores odia et ecclesiarum pericula mos est prouenire, elegimus*) spontanee vna cum prefatis prelatis capitulis canonicis ac conuentibus honorabiles viros Albertum de Wilnauwe scolasticum, Goltsteinum, Eberhardum de Tunnevelt plebanum, Conradum dictum Flosculum, Vlricum de Kirchberg custodem, et Rudolfum de Rotenstein, canonicos ecclesie nostre predicte, in arbitros arbitratores sev amicabiles conpositores, dantes ipsis conmuniter subscriptam plenariam potestatem, videlicet quod (si inter nos et ipsos ac quemlibet ipsorum super eisdem juribus consuetudinibus ac libertatibus dubitacio emergi, vel questio sev controuersia super violacione eorundem, quibus nos causam sev occasionem dedisse dicimur, quomodolibet suboriri contingat) extunc — si dubitaciones questiones sev controuersie huiusmodi ad placitum ac voluntatem predictorum per nos non fuerint expedite — prefati arbitri moniti a die monicionis infra mensem sine vara dubitaciones questiones sev controuersias super juribus consuetudinibus ac libertatibus huiusmodi secundum iustam et veram expergenciam que kuntschaft wlgariter appellatur, quam diligenter inquirent, et sicut retroactis temporibus jura consuetudines sev libertates huiusmodi vt plurimum obseruata sev obseruate noscuntur, et sub iuramenti debito ab ipsis prestando prout suadebit iusticia terminabunt. Si vero omnes in vnam sentenciam non poterunt conuenire, debet maioris partis sententia preualere. Si autem equaliter in discordando prefati arbitri se diuiserint, honorabilis vir Erkenbertus de Starkenberg decanus ecclesie nostre predicte, per nos concorditer hinc inde electus, infra mensem proxime sequentem, auditis et ad plenum discussis racionibus et instrvctionibus hinc inde, alteri parcium prout iustius sub juramenti debito decreuerit tenebitur adherere: ac illius partis cui adheserit debebit sentencia sine contradictione qualibet preualere. Promittimus insuper fide data loco juramenti, nos ratum et gratum habituros absque vara,

*) In Lupoldi de Bebenburg libro quem dicunt copiarum pag. 433 scriptum est: *eligimus*.

nec in aliquo velle contrauenire verbo vel facto per nos alium vel alios quocunque modo quitquid per prefatos arbitros, sev maiorem partem ipsorum, vel ipsis equaliter discordantibus per decanum predictum cum parte sibi adherente prout premittitur pronunciatum terminatùm fuerit siue dictum. Ceterum si aliquis predictorum arbitrorum absens fuerit, vel (quod absit) decesserit, extunc moniti infra quindenam alium loco illius donec redierit fide data promittimus subrogare. Preterea dicti arbitri tactis sacrosanctis ewangelijs iurare debent, quod omnes et singulas dubitaciones questiones sev controuersias super quibus ut premittitur moniti fuerint debeant sine vara infra tempus premissum, et eo modo per omnia ut premittitur, postpositis odio precio fauore ac timore, deum et iusticiam habentes pre oculis, terminare.

Demum promittimus bona fide, quod duo milia marcarum argenti nobis debita ab jllustri matrona domina Anna marchionissa brandenburgensi, pro quibus castra Rotenstein et Steinach nobis obligata*) existunt, conuertemus in vtilitates ecclesie nostre**) secundum . . prepositi . . decani et capituli nostri beneplacitum et consensum.

Et ut premissa per nos inviolabiliter obseruentur, ea omnia et singula ut premittuntur fide data promittimus obseruare. Et ad maiorem certitudinem premissorum hanc litteram fecimus sigilli nostri munimine roborari.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CCC°.X°., V^to. jdus januarij, pontificatus vero nostri anno septimo.

*) Quod sub num. CCXLVIII edidimus documentum, die 7 mensis septembris anni 1309 datum, pag. 441 et 442 huc conferri potest.

**) In Lupoldi de Bebenburg libro quem dicunt copiarum pag. 435 vocabulum nostre ommissum est.

Hoc documentum ad fidem libri copialis wirziburgensis signati A (= 5) pag. 201 edidimus.

CCLVI.

1310, die 28. januarii.

Gabriel papae capellanus saepius memoratus necnon Petrus jam dictus interdictum per ipsos positum in ecclesia herbipolensi et in omnibus ecclesiis civitatis et dioecesis herbipolensium ratione cujusdam decimalis pecuniae ipsis debitae nomine terrae sanctae relaxant.

Datum Maguntiae, anno domini M°.CCC°. decimo, die XXVIII^a. januarii.

Sigillum fascia ex ipsa litterarum harum membrana confecta suspensum magnam partem periit.

Litterarum priorum Maguntiae die ultima mensis septembris anni 1309 datarum, quibus Gabriel modo nominatus interdictum ab ipso in Andrea episcopo et capitulo ecclesiae herbipolensis positum relaxat, dummodo usque ad festum s. Martini satisfaciant, in opere quod Contzen edidit, cui titulus est die Sammlungen des historischen Vereins für Unterfranken und Aschaffenburg zu Wirzburg, pag. 312 sub num. 41 mentio fit.

CCLVII.

1310, die 30. januarii.

Ecclesia herbipolensis de mille octingentis libris hallensium nomine decimarum terrae sanctae subsidio deputatarum solutis indemnis fit.

Nos Gabriel plebanus plebis de Valeneto pisanensis diocesis, domini pape capellanus, collector decime redemptionis votorum et crucis legatorum et obuentionis cuiuslibet terre sancte per inclite memorie dominum Gregorium papam decimum in

lugdunensi concilio institutorum seu deputatorum subsidio in maguntinensi treuerensi coloniensi bremensi magdeburgensi et salzeburgensi prouincijs vnacum magistro Petro de Garlens canonico albiensi preposito frankefordensi, qui nobis in premissis commisit integraliter vices suas, secundum quod apparet per publicum jnstrumentum [1]) manu magistri Guidonis de Sambuco publici notarij sacri palacij procuratoris confectum, per sedem apostolicam deputatus, confitemur pro nobis et socio seu collega nostro iamdicto, nos a reuerendo patre et domino domino Andrea episcopo herbipolensi, soluente nomine suo et nomine discretorum virorum . . prepositi . . decani et . . capituli ecclesie sue herbipolensis ac omnium ecclesiarum monasteriorum capellarum piorum et religiosorum locorum ciuitatis et diocesis herbipolensium sibi et ecclesie herbipolensi subiectarum, pro recepta decima per reuerendum patrem et dominum dominum Bertoldum olim herbipolensem episcopum predecessorem suum de armario dicte ecclesie herbipolensis et a collectoribus prefate decime, et pro neglecta decima et non soluta dicti episcopi et dicte ecclesie sue ac omnium ecclesiarum et monasteriorum piorum et religiosorum locorum supra dictorum, secundum compositionem inter prefatum dominum Andream episcopum et nos Gabrielem collectorem predictum de omnibus receptis neglectis et non solutis de decima antedicta de consilio discretorum et religiosorum virorum habitam [2]) mille et octingentas libras allensium nomine romane ecclesie recepisse, preter decimam assignatam et traditam quondam collectoribus eiusdem decime, videlicet domino Theoderico bone memorie et magistro Rogero de Merlomonte predecessoribus nostris in collectione decime antedicte.

De quibus mille octingentis libris allensium nos predictus Gabriel collector eidem domino episcopo recipienti nomine suo et

[1]) Hujus instrumenti, die 18 mensis januarii anni 1308 exhibiti, supra sub num. CCXXX pagg. 401 et 402 mentio facta est.

[2]) Documentum prius de hac re die 28 mensis julii anni 1302 confectum supra sub num CLXIX pag. 285—287 edidimus.

dicte ecclesie herbipolensis ac omnium ecclesiarum monasteriorum capellarum piorum et religiosorum locorum predictorum nomine domini pape romane ecclesie terre sancte et nostro ac magistri Petri predicti finem fecimus, et per presentes facimus quitationem perpetuam et pactum de ulterius non petendo, et dictum dominum episcopum ac ecclesias monasteria et loca predicta a dictis mille octingentis libris allensium et ab omni decima recepta per prefatum dominum Bertoldum episcopum retenta neglecta etiam et non soluta omnium ecclesiarum monasteriorum et locorum ciuitatis et diocesis supradictarum nomine quo supra absoluimus et liberamus, renuntiantes exceptioni non habite non numerate non tradite et non recepte pecunie supradicte, exceptioni doli mali, et in factum condictioni, priuilegio fori, constitutionibus et statutis per que nos dictus collector siue romana ecclesia contra prefatum dominum episcopum et suas ecclesias monasteria et loca supradicta imposterum possemus seu posset se tueri uel impetere sepedictos, promittentes nichilominus nomine romane ecclesie sollempni stipulatione honesto viro magistro Johanni de Solztbach aduocato curie herbipolensis, procuratori reuerendi patris et domini domini Andree episcopi antedicti in solutionis et quitationis negotijs decime antedicte, nomine procuratorio pro ipso domino episcopo et ecclesijs monasterijs capellis pijs et religiosis locis supradictis stipulanti, absolutionem liberationem et quitationem et omnia ac singula supradicta rata et firma tenere, neque contrafacere uel uenire per nos uel per alium aliqua ratione uel causa de iure uel de facto aliquo studio uel cautela.

Fideiussores etiam, videlicet dominum Bertholdum jllustrem comitem de Hennemberg, et honorabiles viros dominos Fridericum decanum, Wolframum de Grûmbach scolasticum, Fridericum de Stahelberg, Henricum de Rannemberg, Syffridum de Wechmar, et Vlricum de Kirchperg, archidiaconos ecclesie herbipolensis, ac dominos Syffridum de Lapide officiatum ecclesie herbipolensis in Melrichstat, Cunradum de Swaneuelt, Ottonem de Saltzperg officia-

tum ecclesie herbipolensis in Noua Ciuitate, Walterum de Seykendorf et Fridericum de Rebstok milites, nobis per dictum dominum Andream episcopum herbipolensem pro dictis mille octingentis libris allensium obligatos, quitos dicimus, et ab huiusmodi fideiussione reddimus penitus absolutos.

Et regestra duo collectionis dicte decime pro eisdem decimis colligendis in herbipolensi diocesi ordinata dicto magistro Johanni procuratori nomine procuratorio quo supra recipienti restituimus, ut ex nunc sit uacua cassa et inefficax obligatio dictarum decimarum quo ad dominum episcopum supradictum et ecclesias monasteria capellas pia et religiosa loca superius memorata. Et nichilominus alia regestra seu jnstrumenta super obligatione huiusmodi decime quouismodo confecta, siqua imposterum apparerent uel reperiri contingeret, volumus esse cassa irrita et exnunc in antea carere omni roborè firmitatis.

Jn quorum omnium et singulorum testimonium nos Gabriel predictus collector presens jnstrumentum per nostrum notarium publicum infrascriptum fieri fecimus, ipsumque auctoritate nostra et sigilli nostri munimine duximus roborandum.

Actum Maguntie, in hospitio venerabilis viri domini Syffridi comitis de Sulmis canonici maguntini, in quo nos prefatus Gabriel morabamur, anno domini millesimo trecentesimo decimo, jndictione octaua, die penultima mensis januarij, hora vespertina.

Hoc documentum ad fidem instrumenti a Romano de Laude notario redacti et ejus signo signati necnon sigillo Gabrielis saepe dicti filis sericis rubri et viridis colorum suspenso muniti edidimus, cujus finis hic est:

Et ego Romanus quondam magistri Oddonis de Laude, publicus jmperiali auctoritate notarius, absolutionibus liberationibus quitationibus promissionibus cassationibus irritationibus ac omnibus alijs et singulis premissis in hoc jnstrumento contentis per ipsum dominum Gabrielem factis pro reuerendo patre et domino domino Andrea episcopo et ecclesia herbipolensi ac aljis ecclesijs monasterijs capellis pijs et

religiosis locis ciuitatis et diocesis herbipolensium anno jndictione die et hora predictis, pontificatus sanctissimi patris et domini domini Clementis pape quinti anno quarto, regnante serenissimo principe domino Henrico Romanorum rege, regni uero eius anno secundo, vnacum honorabilibus viris domino Godefrido de Eppinstein custode in ecclesia maguntina, canonico et archidiacono in ecclesia herbipolensi, magistris Gottefrido judice, Henrico dicto Lombardo, et Berhelmo, aduocatis sedis maguntine, ac Burchardo notario dicte sedis — vocatis pro testibus et rogatis — presens interfui, et eas scripsi, et in hanc publicam formam reddegi, et de mandato predicti domini Gabrielis meo signo et nomine roboraui.

Harum litterarum copia exstat, a Cunrado de Nerstein maguntinae dioecesis publico imperiali auctoritate notario confecta, qui „absolutionibus liberationibus quitationibus et confessionibus hujusmodi et aliis omnibus praemissis in praedicto instrumento expressis una cum subnominatis testibus praesens interfuit, et eas scripsit, et in publicam formam redegit, et ad jussum praefati domini Gabrielis ac rogatum honesti viri magistri Johannis de Sulzpach advocati, procuratoris praedicti, suo signo consueto et nomine roboravit.

Cujus initium est hoc:

Jn nomine domini amen.

Notum sit omnibus per presens publicum instrumentum, quod anno domini M° CCC X, jndictione VIII, penultima die mensis januarii, hora vespertina, pontificatus sanctissimj in Christo patris et domini domini Clementis pape V anno IIII, regnante serenissimo principe domino Heinrico Romanorum rege, regnj vero eius anno secundo, venerabilis vir dominus Gabriel plebanus plebis de Valeneto pysanensis dyocesis, capellanus ipsius domini Clementis pape, collector decime redempcionis votorum et obuencionis cuiuslibet terre sancte, et cetera prout in ipso publico instrumento inferius apparebit, auctoritate quam habet vice et nomine romane ecclesie reuerendum in Christo patrem et dominum dominum Andream episcopum herbipolensem, et honorabiles viros dominos . . prepositum . . decanum et capitulum ecclesie herbipolensis, ac omnes alias ecclesias monasteria capellas pia et religiosa loca ciuitatis et dyocesis herbipolensium eidem domino episcopo et ecclesie herbipolensi subiectas liberat absoluit et quitat a mille et octingentis libris hallensium, dicto domino Gabrieli nomine ipsius romane ecclesie ex parte predicti domini Andree episcopi sue

ecclesie herbipolensis et aliarum ecclesiarum monasteriorum capellarum piorum et religiosorum locorum ciuitatis et dyocesis herbipolensium traditis et solutis, ac ab omni decima recepta per reuerendum quondam in Christo patrem et dominum Berthold um episcopum herbipolensem, predecessorem ipsius domini Andree episcopi, retenta neglecta eciam et non soluta, facto sibi pacto de ulterius non petendo. Et nichilominus alios articulos et cautelas iuris et facti necessarios quo ad absolucionem huius addit et exprimit, secundum quod pro se et honorabili viro domino Petro de Garlens canonico albiensi preposito frankenuordensi suo collega confitetur, prout in hoc instrumento sequitur in hec verba.

Cujus tenore quem supra pag. 455—458 edidimus finito, haec sequuntur:

Facte sunt liberacio absolucio quitatio et confessio huiusmodi cum alijs omnibus predictis in hoc instrumento expressis Maguntie, in hospicio honorabilis viri domini Sifridi de Solmis canonici maguntini prepositi ecclesie aschaffinborgensis, in quo prenotatus dominus Gabriel moratur, anno domini jndictione die et hora predictis; presentibus honorabili viro domino Godefrido de Eppinstein custode ecclesie maguntine canonico et archidyacono in ecclesia herbipolensi, magistris Godefrido judice, Heinrico dicto Lombardo, Bernhelmo, aduocatis sedis maguntine, ac Borkardo notario dicte sedis, et Romano quondam magistri Ottonis de Laude publico notario, vocatis pro testibus et rogatis

CCLVIII.

1310, die 30. januarii.

Gabriel modo memoratus una cum Petro jam dicto Andream episcopum et praepositum decanum et singulos canonicos et clericos herbipolensis ecclesiae ac praelatos plebanos et omnes et singulos generaliter et specialiter singulos saeculares et religiosos cujuscunque conditionis vel status existant — etiam si specialiter et singulariter de ipsis oporteret de verbo ad verbum

fieri mentionem — civitatis et dioecesis herbipolensium a sententiis excommunicationis suspensionis ab ingressu ecclesiae et divinis officiis latis per ipsum et suos praedecessores quoscunque occasione decimae deputatae ad subsidium terrae sanctae per felicis memoriae Gregorium papam X^um. si quas incurrerunt absolvit; et si quam irregularitatem contraxerunt, divina officia celebrando vel se immiscendo eisdem, cum ipsis omnibus et singulis dispensat, et poenam ex hoc ipsis infligendam dispensative relaxat, et interdictum per ipsum vel per suos praedecessores positum in herbipolensi ecclesia ac in omnibus ecclesiis et monasteriis civitatis et dioecesis supradictarum relaxat.

Datum Maguntiae, anno domini M°·CCC°· decimo, die penultima januarii.

Sigillum quondam fascia membranacea ex his litteris suspensum decidit.

CCLIX.

1310, die 27. februarii.

Vicaria in ecclesia s. Johannis in Hauge constituitur, canonicis et vicariis ecclesiae herbipolensis de duobus anniversariis peragendis denarios quosdam solutura.

Jn nomine dominj amen.

Andreas dej gracia episcopus ecclesie herbipolensis omnibus presentes litteras inspecturis presensibus et futuris salutem in eo qui est omnium vera salus.

Contencionis prestat materiam jgnorancia rei geste. Vnde multis inconmodis occurritur vtiliter et prvdenter, quociens presentis etatis actus et negocia scripturarum testimonio perhennantur.

Cupientes igitur ex assumpta pastoralis officij dignitate nostrorum subiectorum fidelium commoditatibus prouidere, et piorum eorum factis in quibus honestas communis et diuinj cultus commodum adaugetur fauoris nostri graciam et exoptatam beniuolenciam impartiri, ea propter nos constare cupimus presencium inspectoribus presentibus et futuris publice vniuersis, quod — cvm bone memorie Fridericus de Widern canonicus ecclesie sanctj Johannis in Havge extra muros herbipolenses in vltima sva voluntate Bertoldo scolastico, svo concanonico, Alberto de Langhein et .. Tammonj, eiusdem ecclesie vicariis, suis fideconmissariis, conmisisset vt iuxta facultates suas pro constituenda vicaria in ecclesia sancti Johannis in Havge predicta in anime sue remedium redditus annuos assignarent deputarent ac eciam compararent — jjdem fideconmissarij, estimatis facultatibus Friderici predictj, voluntatem eiusdem defunctj in constituenda vicaria in assignandis deputandis ac emendis redditibus volentes exequi vt debebant, jn nostri constituti presencia, nobis humiliter et deuote supplicarunt, quod — cvm ipsi pro remedio anime memorati defuncti necnon in honorem et reuerenciam dei sanctorumque Johannis baptiste et Johannis ewangeliste, antedicte ecclesie patronorum, de bonis ipsius defuncti vnam vicariam, accedente vnanimi consensv in Christo nobis dilectorum .. decanj et capituli ecclesie in Havge memorate, jnstituerint et dotauerint cum bonis infrascriptis, necnon cum eorundem bonorum pleno rerum dominio, ac ipsorum pertinenciis quibuscumque: scilicet cum redditibus sex librarum hallensium et redditibus decem pullorum solvendis et presentandis annis singulis in Herbipolj in festo Martini de cvria sev allodio sito in Lillisvelt et suis pertinenciis, quod possidet Lvdewicus de Langhein miles, cui allodio jdem miles pro dicto wlgariter vrsazze de suis bonis propriis superaddidit et dedit dimidium mansum situm in campis dicte ville Lillisvelt, dictum ein lehen, soluentem annuatim octo vncias hallensium; jtem cum redditibus vnius maldri tritici et duobus cum dimidio maldris siliginis cvm vno et dimidio maldris auene mensure in Swarszach, et duabus cum dimidia libris hallensium, et quatuor pullis et quinquaginta ouis in festo pasce de manso in

Windehein et suis pertinenciis, quem colit et possidet domina .. dicta Sulzhemerin, et sex jugeribus pratorum sitis ibidem; jtem cum redditibus quorundam bonorum in Schalkevelt et suorum pertinenciùm, soluencium annuatim vnum maldrum tritici, octo maldra siliginis, cum vno maldro pisarum, et quinque modiis avene, cum centum ovis in festo pasce, que bona colit et possidet Cv̊nradus dictus Breithenbether; jtem cum redditibus quindecim solidorum denariorum herbipolensium dandis in festo sanctj Martini de curia dicta Hernwolframeshof, pertinencium tytulo proprietatis ad defunctum memoratum; jtem cum bonis et redditibus infrascriptis per antedictos fideconmissarios comparatis: scilicet duobus mansis cum suis pertinenciis sitis in Zv̊zelevben, soluentibus annuatim in redditibus octo maldra frvmenti, quatuor maldra auene mensure in Arnstein, cum redditibus quatuor pullorum, quos colunt et possident .. dictus Alber et Heinricus dictus Holderbåm; jtem cum redditibus decem maldrorum siliginis claustralis mensure de allodio sev curia in Rimpver cum suis pertinenciis quondam Herbordj Haken canonicj in Hav̊ge et Brunonis sui famulj; jtem cum duobus jugeribus vineti minus vno quartali, sitis in marchia Verspach in monte dicto ame Altinberge; jtem cum curia sev domo quondam Hermanj cantoris in Hav̊ge, ab vna parte cum curia dictj Taprôt et ab alia cum predicta cvria Hernwolframeshof confinata — quatinus confirmare ipsius vicarie jnstitucionem dotacionem predictam, necnon assignacionem et donacionem ipsorum bonorum ad memoratam vicariam factam pro sustentacione congrua vicarij qui est vel qui pro tempore fuerit ex nostri officij debito ob reuerenciam dei et dictorum sanctorum liberaliter dignaremur.

Nos jtaque, considerantes non modicam vtilitatem existere pro obsequio diuino res temporales distribuj ad diuinum cvltum laudabiliter ampliandum, predictam vicarie jnstitucionem, bonorum ad ipsam vicariam donacionem sev assignacionem per prefatos fideconmissarios provide factam, annuentes in hoc iustis peticionibus eorundem, jn nomine dominj approbamus ratificamus confirmamus

fauorabiliter auctoritate nostra ordinaria in hiis scriptis, addicientes iuxta decretum predictorum fideconmissariorum, quod . . decanus qui est vel qui pro tempore fuerit ecclesie in Haûge supradicte prefatam vicariam quociens eam vacare contingerit infra mensem a die vacacionis numerandum ydonee persone sacerdoti conferat, vel qui poterit infra spacium vnius annj ad sacerdocium promoueri. Jn qua collacione si . . dictus decanus decurso ipsius mensis spacio negliens inventus fuerit et compertus, extunc eodem mense conpleto . . episcopus herbipolensis qui est vel qui pro tempore fuerit libere conferet dictam vicariam persone ydonee vt predicitur promote, vel infra annum promouende ad sacerdocium, . . decani predicti contradictione qualibet non obstante, volentes eciam iuxta voluntatem et ordinacionem dictorum fideconmissariorum necnon . . decani et capitulj ecclesie memorate, quod si sepedictam vicariam conferri contingerit in futuro alicuj non in prespiteralj ordine constituto, quod ad ordines sacerdotales infra annum statutis ad hoc temporibus (nisi legittima causa impeditus fuerit) se faciat promoueri: alioquin ipsa vicaria ipso facto perpetuo sit priuatus, alteri qui velit et valeat predicta exequi iuxta modum premissum libere conferenda.

Vicarius quoque dicti beneficij sev vicarie et sui in eodem beneficio successores vniuersi percipere debent sine qualibet contradictione presencias et obvenciones quascumque que solent et consweuerunt presentibus vicariis sepedicte ecclesie ministrari, cvm ipse et sui successores sicut ceteri vicarij choro eiusdem ecclesie seruire teneantur.

Decernentes insuper vicarium vicariam necnon redditus predictos vigore huius nostre confirmacionis defensione tuicione libertate aliarum vicariarum antedicte ecclesie in Haŷge debere gaudere de cetero quomodolibet iuxta modum et conswetudinem in consimilibus beneficiis in prefata ecclesia hactenus obseruatam, jpsam eciam collacionis formam et modum iuxta prelibatam limitacionem conceptam et factam per fideconmissarios prenominatos modo prehabito cum quibuslibet bonis eidem vicarie jam datis et acquisitis cum omnibus et

singulis premissis ad ipsorum preces similiter in nomine dominj approbamus ratificamus et in hiis scriptis auctoritate nostra ordinaria confirmamus.

Preterea vicarius huius vicarie qui est vel qui pro tempore fuerit de bonis in Lillisvelt et censu de cvria Hernwolframeshof supradictis dare debet et tenetur annuatim bis in quolibet anno in duobus jeiuniis quatuor temporum cuilibet canonico et cuilibet vicario ecclesie nostre presentibus sex denarios herbipolenses de duobus anniuersariis peragendis, jta quod qualibet vice cuilibet canonico et cuilibet vicario presentibus sex denarii herbipolenses ministrentur. Jtem ardere debet de eisdem bonis vnum lvmen perpetuum ante svmmum altare, et dimidium lvmen perpetuum ante altare beate Marie virginis gloriose, superfluo ac residuo in hac distribucione sibi reseruato.

Jn quorum omnium et singulorum premissorum robur et testimonium ac memoriam sempiternam presentes litteras inde confectas nostro sigillo vna cum sigillo ecclesie in Haŵge predicte duximus fideliter roborandas.

Nos vero Heinricus decanus totumque capitulum ecclesie in Haŵge sepedicte recognoscimus, quod in testimonium et veritatem omnium premissorum nostre ecclesie sigillum ex certa nostra sciencia presentibus eciam est appensum.

Actum anno dominj millesimo tricentesimo decimo, feria sexta ante dominicam esto michi.

Sigilla duo modo praedicta filis sericis rubri et viridis colorum ex hoc documento suspensa integra sunt. Illi Andreae episcopi retro ejus secretum, cujus in nota numero documentorum CCXXXVIII pag. 418 adjecta mentionem fecimus, impressum est.

respondens non ita esse, sed omnia que ei promisisset plus quam debuit adimplesset. ipsam autem Giselam adeo distortam asserebat in moribus et grauem conuersacione quod ipsum et suam familiam cottidie conturbaret et nullus eam apud se posset aliqualiter sustinere. Et sic in hunc modum coram nobis alterutrum contendebant.

Tandem predictus Nicolaus pro se in honorabilem virum dominum Conradum dictum Blůmelin nostrum concanonicum, ipsa quoque Gisela pro se in Gotfridum dictum Ziechelin ciuem herbipolensem tamquam in arbitros arbitratores seu amicabiles compositores conpromiserunt, ratum habituri arbitrium seu ordinacionem quam super premissis fuerint arbitrati.

Qui arbitri super dissensionibus memoratis viam compositionis inter predictas partes non poterant inuenire.

Vnde predictus Nicolaus et Gisela prefata predictam causam de nostro consensu iusticia vel amore decidendam viro discreto domino Heinrico dicto de Crůtheim quondam capituli nostri scriptori irreuocabiliter conmiserunt, ratum habituri arbitrium seu ordinacionem quam super premissis ordinauerit siue fuerit arbitratus. Et hoc nobis sub pena quinque librarum denariorum herbipolensium promiserunt.

Predictus igitur Heinricus, habita deliberatione matura, auditis et intellectis omnibus que super dissensionibus prefatis dicte partes dicere et ostendere voluerunt, et vtriusque partis diligenter inuestigata et cognita voluntate, pro bono pacis et amicicie ordinauit et coram nobis pronunciauit, quod prefatus Nicolaus de domo sua predicta vel cuicumque eandem donauerit legauerit siue vendiderit dabit predicte Gisele annis singulis nomine pensionis infra assumptionem et natiuitatem beate Marie virginis duo maldra siliginis, tres solidos denariorum herbipolensium in festo beati Martini, et totidem solidos denariorum in festo beate Walpurgis ad tempora vite sue, ipsam Giselam sic a mansione et comodo prefate domus omnimode remouendo.

Adiectum fuit etiam, quod quocienscumque predictus Nicolaus in solucione duorum maldrorum siliginis et denariorum predictorum negliens fuerit quouis termino premissorum, tociens predicte Gisele dabit nomine pene quinque solidos denariorum herbipolensium. Et hec pena recipi debet penitus sine vara.

Pronunciatum fuit eciam, quod prefata Gisela reddere debet predicto Nicolao litteram super primo eorum contractu confectam prout superius est expressum.

Et sic omnis controuersia mota inter ipsos sedata exstitit penitus et sopita.

In quorum omnium euidentiam et certitudinem pleniorem nostrum sigillum cum sigillo honorabilis viri . . officialis curie herbipolensis presenti littere est appensum. Et nos . . officialis predictus recognoscimus ad peticionem dictarum partium nostrum sigillum presentibus appendisse.

Actum et datum anno domini M°·CCC°·X°·, feria quinta ante diem beati Bonifacij; presentibus honorabilibus viris dominis Heinrico de Stalberg seniore, Ebirhardo de Tunnefelt plebano maioris ecclesie, nostris concanonicis; Heinrico de Crutheim, Heroldo de Breitingen, et Gerlaco, ecclesie nostre vicariis; et aliis quampluribus fidedignis.

Sigilla duo memorata fasciis membranaceis ex hac carta suspensa sunt.

Documenti prioris Nicolaum memoratum et vicariam de s. Gallo spectantis, die 23 mensis junii anni 1295 dati, quod fortasse huc conferri potest, supra sub num. LXXIV pag. 129 mentio facta est.

CCLXII.

1310. die 29. augusti.

Adelheidis vidua comitissa de Hennemberg ejusque filius Heinricus junior villam suam Fuhstat Andreae episcopo — pacto reemtionis infra octo annos faciendae adjecto — vendunt, eique pro recepto castro Tungeden Manegoldo quondam episcopo vendito villam Geltersheim sibi obligatam restituunt.

Nos Adelheidis quondam nobilis viri Hermanni comitis de Hennemberg relicta, necnon Heinricus dei gratia comes de Hennemberg junior eius filius, pro nobis et nostris omnibus et singulis heredibus recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod nos vrgente nostra necessitate exposcente villam nostram Fuhstat cum vniuersis hominibus, bonis, jurisdictionibus, judiciis, agris, pratis, pascuis, ortis, vineis, aquis aquarumque decursibus, piscacionibus, venacionibus, omnibusque juribus, redditibus suis, quesitis et inquirendis, cultis siue incultis, quocumque nomine censeantur, que in presenti dinoscimur tenere et pacifice possidere, bonis illis exceptis que de dicta villa aut suis pertinenciis per nostros progenitores et nos alienata existunt, reuerendo in Christo patri domino nostro domino Andree episcopo herbipolensi sueque ecclesie rite et racionabiliter vendidimus et vendimus pro precio ducentarum librarum hallensium, ac iusto vendicionis titulo in hiis scriptis tradimus ac donamus.

Quod quidem precium confitemur nos habuisse recepisse, et in vsus nostros vtiles et necessarios conuertisse, renunciantes excepcioni non numerate non habite et non solute pecuniê, ac omni canonici et ciuilis juris auxilio per quod dicta posset vendicio impediri, a nobis quoque et heredibus nostris omne jus quod in dicta

villa et pertinenciis suis pretactis habuimus expressius abdicantes, et in dominum nostrum episcopum et suam ecclesiam pretactos cum pleno rerum dominio transferentes.

Vt autem ipsi domino episcopo et sue ecclesie in contractu empcionis huiusmodi caueatur, promittimus eis plenam facere warandiam werschaft wlgariter nuncupatam de villa et suis pertinenciis prenotatis, et de euictione earundem prorsus cauere prout jus exigit et requirit.

Ex affectu tamen speciali quo dictus dominus noster episcopus nos sincere prosequitur, et ex mera liberalitate, dicto vendicionis consummato contractu, jdem nobis et nostris heredibus concessit amice, quod dictam villam cum suis pertinenciis prenotatis licitum est nobis infra octo annos a festo beati Michahelis archangeli affuturo proxime numerandos reemere quandocumque pro summa precii preexpressa. Et ad restitucionem dicte ville et suarum pertinenciarum, reempcione huiusmodi facta, nobis nostris ve heredibus faciendam se jdem dominus episcopus necnon suum successorem aut procuratores ecclesie (si ipsum tempore medio contingeret cedere aut decedere) de consensu honorabilium virorum dominorum nostrorum Wolframi prepositi, Erkemberti decani, et capituli ecclesie predicte et beneplacito expresso firmiter obligauit, prout inferius continetur. Preterea si dictam villam cum suis pertinenciis infra dictum terminum decreuerimus reemendam, jpsam nulla pecunia aliena sed nostra pecunia propria sine dolo et fraude quibuslibet conquisita — non pro alicuius alterius, sed tantum pro nostris propriis vsibus — reememus.

Cum autem progenitoros nostri ac nos nonnulla bona ad ipsam villam pertinencia diuersis personis obligacionibus vendicionibus seu modis aliis pro certis pecuniarum summis alienanda duxerimus, hac condicione tamen adiecta quod eadem nobis licet pro dictis pecuniarum summis redimere seu reemere quandocumque, predicto domino nostro episcopo seu ipsius ecclesie licebit si voluerint huiusmodi bona pro summis pecuniarum pro quibus fore alienata noscuntur redimere seu reemere aut alias absoluere ad tenendum et possi-

dendum tamdiu donec eadem nos seu nostri heredes ab ipso domino episcopo seu ipsius ecclesia pro tanta pecunia quanta eadem sibi acquisisse noscuntur duxerimus reemenda ac eciam absoluenda.

Adiectum est eciam, quod cimiterium in villa Fuhstat — quod dominus episcopus predictus ex parte nostra et nobilis viri Ludewici comitis junioris de Rienecke in sua iam detinet potestate — ad nos seu nostros heredes cum villa et suis pertinenciis supradictis (si ipsa infra pretactum terminum reemerimus) libere reuertetur, dummodo tempore medio nos cum comite de Rienecke iam dicto fuerimus complanati. Quod si processum non habuerit. dictus dominus episcopus — eciam si ipsam villam et suas pertinencias reemerimus — dictum tenebit cimiterium sicut prius, donec cum ipso comite nos curauerimus complanare.

Et quia felicis recordacionis dominus Manegoldus episcopus herbipolensis castrum Tungeden cum suis pertinenciis a quondam nobili viro Hermanno comite de Ilennemberg pro certa summa pecunie comparauit, nostrique progenitores et nos villam Geltersheim cum suis pertinenciis ab ecclesia herbipolensi dudum nobis tenuimus obligatam, dictus dominus episcopus de consensu sui capituli predicti libere nobis restituit huiusmodi castrum cum suis pertinenciis sibi cum eodem venditis ac eciam assignatis. Nosque sibi et ecclesie sue dictam villam cum vniuersis suis pertinenciis que cum illa fuerant a dicta ecclesia obligate restituimus et dimittimus liberam et solutam, hac condicione interposita quod dictus dominus episcopus aut eius successor aut procuratores ecclesie pro tempore nobis seu nostris heredibus quadringentas libras hallensium vsque ad festum beati Michahelis proxime venturum soluere teneantur. Jn quarum solucione si dicto fuerint termino negligentes, extunc dampna si qua eiusdem summe pecunie accreuerint in ipsius episcopi et episcopatus et non in nostrum dispendium redundabunt.

Jn pactum insuper est deductum, quod infra vnius anni spacium a dicto beati Michahelis festo numerandum dictum castrum aut suas pertinencias sine licencia speciali domini episcopi supradicti aut eius successoris aut procuratorum ecclesie prefatorum vendere aut alienare

non debebimus quequam modo. Quo quidem anno elapso, si nos ipsum castrum cum suis pertinenciis vendere contigerit, idem dicto domino episcopo aut successori suo et procuratoribus antedictis ante huiusmodi vendicionem ad spacium quarte partis anni tunc currentis ad emendum tenebimur exhibere, ac eis si emere decreuerint vendere pro septingentarùm et quinquaginta marcarum argenti summa, qualibet marca pro duabus libris et decem solidis hallensium computata, pro qua summa venditum fuerat seu alienatum domino Manegoldo episcopo et ecclesie supradictis. Si vero quicquam de bonis cum dicta villa obligatis post huiusmodi obligacionem alienata existunt, illa tenebimur absoluere indempniter et exoccupare domino episcopo et sue ecclesie supradictis. Quod et ipse nobis de bonis cum iam dicto castro venditis vt predicitur siqua post ipsam vendicionem alienata existunt nobis facere tenebitur vice versa.

Immo vt premissa iuxta dictas condiciones ad effectum debitum perducantur, ipse dominus noster episcopus castrum Tungeden, nosque ciuiterium in Geltersheim honorabilibus viris dominis Alberto de Wilnowe scolastico et Friderico de Stahelberg archidiacono ecclesie herbipolensis duximus assignanda, jta videlicet quod si dictus dominus episcopus vel nos infra hinc et dictum festum beati Michahelis condiciones de villa Geltersheim et de castro predicto inter nos vtrimque initas ratas habere rennuerimus, extunc rennuens alteri non recusanti ad solucionem centum marcarum argenti debebit continuo obligari, et js cui eedem sunt soluende ad illam munícionem quam idem recusans assignauit seu presentauit scolastico et archidyacono predictis de huiusmodi centum marcis respectum habebit pariter et recursum.

Ceterum sepefato domino nostro Andree episcopo eius ve ecclesie litteras spectabilis viri . . comitis de Hennemberg nostri patrui patentes promittimus conquirere ac eciam assignare vsque ad festum beate Walpurgis proxime nunc venturum, quibus litteris idem juribus quibuscumque siqua ipsi aut eius heredibus ad ipsam villam Geltersheim aut suas pertinencias viderentur aut

possent competere quoquam modo renunciare tenebitur simpliciter et precise. Alioquin officiatus noster quem ipsi castro prefecerimus jdem castrum cum suis pertinenciis tenebit, ipsum dominum episcopum et suam ecclesiam cum illis respiciendo tam diu donec eidem aut sue ecclesie sint huiusmodi littere assignate.

Jn quorum omnium supradictorum testimonium hee littere domini nostri episcopi et capituli predictorum et nostrorum sigillorum sunt patrocinio roborate.

Nos quoque Andreas dei gracia episcopus herbipolensis sepedictus, premissa omnia et singula prout superius enarrantur recognoscentes fore facta, ea promittimus attendere et obseruare, et non contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela. Jmmo ad restitucionem sepedicte ville Fuhstat suarumque pertinenciarum infra preexpressum terminum si reempte fuerint sine difficultate qualibet faciendam vt pretangitur, necnon ad omnium premissorum obseruanciam nos nostrum successorem aut procuratores ecclesie predicte pro tempore de consensu capituli antedicti presentibus obligamus, in omnium prefatorum testimonium nostrum sigillum hiis litteris appendentes.

Nos quoque Wolframus prepositus, Erkembertus decanus, et capitulum, sepenominati, supradicta vniuersa et singula de nostro consensu recognoscimus esse facta, in eorum testimonium nostrum sigillum hiis litteris apponentes.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo decimo, jn festo decollacionis sancti Johannis baptiste.

Sigilla quatuor memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa sunt, illa Andreae episcopi et capituli majoris ecclesiae herbipolensis, illud ADELHEIDIS COMITISSE DE HENNENBERC quod dicunt alliantiae, illud HENRICI COMITIS DE HENEBERc.

Documentum a Manegoldo episcopo die 15 mensis septembris anni 1292 datum, quod supra sub num. XXXVIII pag. 62—65 edidimus, huc conferri potest.

CCLXIII.

1310, die 3. septembris.

Defectus quidam pecuniae nomine decimarum subsidio terrae sanctae deputatarum ab ecclesia wirziburgensi solutae supplentur.

Nouerint vniuersi quorum interest, quod nos Gabriel plebanus plebis de Valeneto pisanensis diocesis, domini pape capellanus, collector decime redempcionis votorum et crucis legatorum et obuencionis cuiuslibet terre sancte deputatorum subsidio in prouinciis nobis decretis per sedem apostolicam deputatus, a prouido et sapienti viro magistro Johanne de Solztbach aduocato curie herbipolensis pro defectu pecunie michi assignate ex parte reuerendi patris domini A(ndree) herbipolensis episcopi per discretos et prudentes viros dominos . . de Nidech et . . de Wolcesteyne — videlicet pro defectu duorum saccorum in quibus supra scriptum erat quod ducente libre deberent esse in numero, reperte fuerunt centum et nonaginta quatuor; jtem pro defectu trium saccorum in quibus esse debebant trecente libre, reperte fuerunt trecente minus quatuor; jtem pro cambio alborum allensium de Wimpina et de Allis octo libras; jtem pro defectu pecunie assignate per dominum de Nidech quatuor libras; jtem pro falsa pecunia tres libras — pro quibus omnibus viginti libras monete predicte recepimus.

Jn cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Datum Maguntie, anno domini M°·CCC°· decimo, die tercia septembris.

Sigillum modo dictum fascia membranacea ex his litteris suspensum, eique retro secretum ipsius Gabrielis impressum est.

CCLXIV.

1310, die 7. septembris.

Ecclesia herbipolensis totusque clerus tam religiosus quam saecularis herbipolensis civitatis et dioecesis procuratores de petitione subsidii per hanc ecclesiam sedi apostolicae solvendi facta constituunt.

1.

Nouerint vniuersi presencium inspectores maxime autem hij quorum scire interest uel qui sua crediderint interesse, quod nos Andreas dei gracia episcopus ecclesie herbipolensis pro nobis et . . abbatibus . . decanis . . prepositis . . capitulis . . conuentibus et vniuersaliter toto clero tam religioso quam seculari nostre ciuitatis et dyocesis herbipolensis honestos viros . . decanum in Hauge extra muros et Heinricum dictum de Katzenstein canonicum noui monasterij ecclesiarum herbipolensium, presencium exhibitores, nostros procuratores simul et quemlibet eorum insolidum ita quod non sit melior condicio occupantis ordinamus et constituimus in hijs scriptis ad respondendum siue ad responsum dandum nomine nostro et omnium nobis subiectorum, necnon tractandum, excusandum, contradicendum seu dissenciendum coram nuncijs sedis apostolice supor peticione sture subsidij uel contribucionis per nos ipsi sedi apostolice faciende nobis facta, et vniuersaliter omnia faciendum que in hoc negocio speciale vel generale mandatum requirunt, et que circa premissa omnia et singula facienda fuerint oportuna, ratum et gratum habituri quicquid per ipsos procuratores nostros seu quemlibet eorum factum fuerit in premissis.

Jn quorum premissorum testimonium hoc procuratorium nostro sigillo fecimus roborari.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCCX, VII jdus septembris.

2.

Nouerint vniuersi presencium inspectores maxime autem hij quorum scire interest uel qui sua crediderint interesse, quod nos .. prepositus .. decanus capitulum maioris, necnon .. abbates .. decanj capitula et conuentus, et vniuersaliter totus clerus ciuitatis et dyocesis herbipolensium discretos viros .. decanum sancti Johannis in Hauge et Heinricum de Katzenstein canonicum noui monasterij ecclesiarum herbipolensium, exhibitores presencium, nostros procuratores conmuniter fecimus ordinauimus et constituimus in hijs scriptis ad respondendum siue ad responsum dandum nomine omnium et singulorum nostrum, necnon contradicendum, consenciendum coram nuncijs sedis apostolice super peticione stire subsidij uel contribucionis per nos ipsi sedi apostolice faciende, et vniuersaliter omnia faciendum que in hoc negocio speciale uel generale mandatum requirunt, et que circa premissa omnia et singula facienda fuerint oportuna, ratum et gratum habituri quidquid per ipsos procuratores nostros factum fuerit in premissis.

Quod omnibus quorum scire interest seu intererit notum esse volumus, sub sigillo capituli maioris ecclesie predicte, quod ad preces nostras presentibus est appensum.

Datum anno dominj M°·CCC°·X°·, VII jdus septembris.

Haec duo procuratoria necnon quae sequuntur responsiones de eadem causa in scriptis redactae copiae a judicibus sanctae maguntinae sedis die 12 mensis septembris exhibitae, sigillo quondam fasdia ex ipsarum litterarum membrana confecta munitae, inserta sunt.

Cujus copiae initium hoc est:

Judices sancte maguntine sedis recognoscimus, quod anno domini M°. CCC°. X°., II jdus septembris, hora ante prandium . . decanus in Hauge extra muros et Heinricus dictus de Katzenstein canonicus noui monasterij ecclesiarum herbipolensium, procuratores reuerendi in Christo patris et dominj dominj Andree episcopi ecclesie herbipolensis, . . abbatum . . decanorum . . prepositorum capitulorum conuentuum, et vniuersaliter tocius cleri tam religiosi quam secularis sue ciuitatis et dyocesis herbipolensis, in vno procuratorio, et in alio procuratorio . . prepositi . . decanj capituli maioris, necnon . . abbatum . . decanorum capitulorum conuentuum, et vniuersalis cleri ciuitatis et dyocesis herbipolensium, in presencia reuerendj in Christo patris et dominj nostri dominj Petrj archiepiscopi moguntini et dominj Ottonis decani ceterorumque dominorum canonicorum ecclesie moguntine ac coram nobis necnon alijs clericis fidedignis constituti, procuratoria sua (quorum vnum sub sigillo ipsius dominj episcopi herbipolensis, et aliud sub sigillo capituli maioris ecclesie herbipolensis sigillata fuerunt) necnon responsiones in scriptis redactas exhibuerunt et dederunt predicto domino . . archiepiscopo in manus suas.

Quibus procuratoribus petentibus copiam procuratoriorum et responsionum huiusmodi dedimus de verbo ad verbum in hec verba.

CCLXV.

1310, die 12. septembris.

Procuratores modo dicti archiepiscopum maguntinum ut sedi apostolicae de relevando a petitione subsidii per ecclesiam herbipolensem solvendi supplicet implorant.

Ex parte dominj An(dree) episcopi herbipolensis pro se et capitulorum collegiorum et conuentuum tam secularium quam religiosorum necnon tocius cleri sibi subiecti nomine tam ciuitatis

quam dyocesis herbipolensis vestre reuerende paternitati significatur, quod ipse dominus episcopus propter grauia et onerosa obsequia regibus Romanorum exhibita grauia debita contraxit et dampna irrecuperabilia sustinuit et incurrit; jtem quod pro defensione iurium ecclesie sue conpulsus fuit habere cum suis ciuibus herbipolensibus bellum iustum et gwerram grauissimam, propter quam dampna irrecuperabilia sustinuit, et ob hoc ecclesia herbipolensis adhuc grauissimis debitorum oneribus est oppressa; jtem quod per dominum Gabrielem decimarum collectorem tam dominus episcopus quam sibi subiecti conpulsi sunt ad solucionem decime ante XXX annos ut asseruit non solute, que eciam eidem fuit persoluta, et ex huiusmodi solucione nimis enormiter sunt grauati; jtem quod hoc anno tanta est sterilitas vini, in quo maior pars reddituum ipsorum constitit, quod infra quinquennium et si vbertatis anni forent illud enorme dampnum ex huiusmodi sterilitate proueniens recuperari non poterit quoquam modo; jtem quod per totam dyocesim herbipolensem layci plus quam duas partes decimarum detinent occupatas; jtem quod exempti magis pingues parrochias et decimas tenent et eciam largissimas possessiones, de quibus quidem decimis parrochiis et possessionibus subuenciones et subsidia sedi apostolice non inmerito fieri deberent; jtem quod ordines mendicantes pretextu priuilegiorum eis a sede apostolica concessorum jura parrochialia absorbent penitus et eneruant; jtem quod aduocati et patroni ecclesiarum bona ipsarum et decimas sibi quasi generaliter vsurpant et rectoribus earum auferunt violenter, non relinquentes eisdem seu vicariis ecclesiarum tantam porcionem quod eciam sustentacionem possint habere, nec iura episcopalia persoluere, nec alia sibi incumbencia onera supportare; jtem quod per binam solucionem procuracionis racione visitacionis vobis secundum indultum sedis apostolice debite et solute in parata pecunia sunt depauperati pariter et vexatj.

Vnde, pater et domine reuerende, [cum] respondere peticioni sedis apostolice [non valeant], ex parte predictorum dominj episcopi et subiectorum suorum suplicatur vestre paternitati venerande, qua-

tenus predictis necessitatis causis graciose inspectis ipsi sedi apostolice efficaciter dignemini suplicare quod ipsum dominum episcopum et sibi subiectos a peticione subsidij — quod heu sicut deberent facere non possunt — misericorditer habeat relevatos.

Hoc documentum copiae cujus supra sub num. CCLXIV pag. 477 et 478 mentio facta est insertum est.

CCLXVI.

1311, die 30. januarii et die 6. februarii.

Hospitale s. Theoderici herbipolense undecim agros campestres in marchia villae Geltersheim sitos pro duobus maldris siliginis annuae pensionis locat.

1.

Hermannus praepositus ceterique fratres et sorores hospitalis sancti Theoderici domus herbipolensis — quod Otwinus confrater duo maldra siliginis annuae pensionis quae solvuntur de vndecim campestribus agris sitis in marchia villae Geltersheim, quos hereditarie possidet Hermannus dictus Huzelin residens ibidem, domui praedictae sua pecunia comparavit — eidem de vnanimi consensu indulgent ut praedicta duo maldra quae sua pecunia comparavit percipiat et in usus suos convertat ad tempora vitae suae.

Actum et datum anno domini M°·CCC°·XI°, sabbato ante purificationem gloriosae virginis Mariae.

Sigilla domus hospitalis s. Theoderici et Erkenberti decani ecclesiae herbipolensis fasciis membranaceis ex hac carta suspensa sunt.

2.

Jn nomine domini amen.

Ego Hermannus dictus Hůzelin de Geltersheim et Kůnegundis coniux mea legittima recognoscimus tenore presencium publice profitendo, quod pari voto manibus coadunatis vendidimus et vendimus per presentes iusto vendicionis titulo vndecim agros campestres sitos in marchia ville Geltersheim pro precio trium librarum et octo solidorum denariorum herbipolensium .. fratribus hospitalis sancti Theodericj domus herbipolensis ementibus et recipientibus iure proprietatis perpetuo possidendos, renunciantes omni excepcioni et actioni ac aliis omnibus et singulis per que dictus contractus irritari posset vel eciam viciari.

Confitemur eciam, nos dictam pecuniam a predictis emptoribus recepisse integraliter, et in vsus nostros vtiles et necessarios conuertisse.

Sunt autem predicti agri siti in marchia ville Geltersheim in locis infrascriptis: videlicet quinque agri an dem Burgberge, tangentes locum qui dicitur Hermůts owe; jtem vnus retro salictum; jtem duo iuxta locum qui dicitur Hůges brucken; jtem vnus ager cum dimidio iuxta viam dictam Simersdorfer weg; jtem dimidius ager in loco qui dicitur ob den Loern; jtem vndecimus ager iuxta pratum bi der wrzeburger wege.

Quos inquam agros predictos prefati emptores nobis ac nostris heredibus pro duobus maldris siliginis annue pensionis hereditarie locauerunt, annectentes ac inseparabiliter adiungentes predictos vndecim agros bonis que eciam a dicto hospitali pro quinquaginta denariis herbipolensibus nomine annui census hereditarie possidemus, promittentes eciam predictis emptoribus siue hospitali predicto warandiam dictorum agrorum facere secundum jus et terre consuetu-

dinem generalem quod wlgariter dicitur wern als eigens recht ist. Et super eo Conradum dictum Boppe et Hermannum dictum Tongel de Geltersheim pro fideiussoribus dedimus hospitali et fratribus emptoribus prenotatis. Et nos fideiussores predicti promittimus ipsis de euictione predictorum agrorum que werschaft wlgariter nuncupatur [plene cauere].

Jn premissorum autem testimonium predictis emptoribus presentem litteram dedimus, sigillis honorabilium virorum domini Erkenberti decani ecclesie herbipolensis, ac domini Heinrici decani in Geltersheim diligencius conmunitam. Et nos Erkenbertus ac Heinricus decani predicti recognoscimus predicta omnia ita fore ordinata, sigilla nostra presenti littere ad peticionem predicti Hermannj et sue vxoris predicte in testimonium apponentes.

Actum et datum anno domini M°·CCC°·XI°., sabbato post purificacionem virginis Marie; presentibus Arnoldo de Wegenkeim, Conrado dicto Reinhart, Conrado Fabro, morantibus in Geltersheim, et aliis quampluribus fidedignis.

Sigilla duo memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa sunt.

CCLXVII.

1311, die 18. martii.

Andreas et Gotfridus fratres de Brunecke jus patronatus ecclesiae parrochialis in Criegelingin capitulo ecclesiae herbipolensis renuntiant.

Jn nomine domini amen.

Nos Andreas Gotfridus fratres domini de Brunecke milites harum recongnoscimus serie publice litterarum cupientes ad

vniuersorum noticiam easdem litteras intuencium peruenire, quod — licet super iure patronatus parrochialis ecclesie in Criegelingin herbipolensis dyocesis, fructibus, juribus, vtilitatibus, et pertinenciis dicte ecclesie inter nos ex vna et honorabiles viros dominos . . prepositum . . decanum totumque capitulum ecclesie herbipolensis ex parte altera dudum fuerit litigatum — nobis tamen insimul seu cuilibet nostrum singulariter a retroactis temporibus et a progenitoribus nostris in iure patronatus, fructibus, juribus, vtilitatibus, necnon pertinenciis ipsius ecclesie quibuscunque nichil iuris conpetebat, nec in presenti conpetit quoquomodo.

Siquid autem nobis iuris — quod tamen non credimus — conpetiisset, vel in presenti tempore conpeteret, aut videretur deinceps posse conpetere in eodem iure patronatus seu eadem ecclesia, frvctibus, iuribus, et vtilitatibus, ac pertinenciis suis quocunque modo et ex quacunque causa, hoc a nobis insimul et diuisim ac nostris heredibus libere pure integraliter simpliciter beniuole irreuocabiliter, sana deliberacione prehabita, expressius presentibus abdicamus, renunciantes litibus actionibus questionibus seu inpeticionibus omnibus que nobis super premissis vel eorum aliquo possent conpetere quoquomodo: ac in honorabiles viros dominos . . prepositum . . decanum totumque capitulum ecclesie herbipolensis predicte eiusdem ecclesie nomine idem ius — si quod vt premittitur nobis et nostris heredibus conpetit, seu posset conpetere — omnino et liberaliter ac eciam irreuocabiliter transferimus per presentes.

Vt autem huiusmodi renunciacio recongnicio iuris seu iurium abdicatio et translacio a nobis et nostris heredibus inperpetuum inconcusse seu inconuulse et inuiolabiliter obseruentur, promittimus attente pro nobis nostrisque heredibus, eas firmiter et bona fide in hiis scriptis attendere et seruare, et non contra venire quomodolibet de iure vel de facto verbo vel opere per nos alium seu alios aut eciam alicuius ingenij studio vel cautela, dolo fraude et vara amotis penitus et exclusis. Pro maiori quoque caucione, et vt predicta omnia et singula in perpetuum integra inuiolabiliter perseuerent,

renunciamus insimul et quilibet nostrum singulariter in hiis scriptis omni actioni, exceptioni, defensioni, et vniuersaliter cuiuslibet consuetudinis iuris tam canonici quam ciuilis publici et priuati auxilio, et iuri dicenti generalem renunciacionem non valere, et specialiter quarumlibet litterarum inpetratarum seu inpetrandarum sub quauis forma verborum a quocunque principe vel domino ac judice, comodo et suffragio per que possemus directe vel indirecte publice uel occulte nos vel nostri heredes contra premissa vel eorum aliqua venire quomodolibet, vel premissis personis seu dominis ecclesie sue et bonis suis super iure patronatus, ecclesia, fructibus, iuribus, vtilitatibus ipsis abinde prouenientibus, quibuscunque censeantur nominibus, in iudicio vel extra iudicium grauamina molestias perturbaciones et pericula aliqua irrogare, aut preiudicium aliquod procreare. Promittimus eciam, nos non inpensuros seu prestaturos per nos alium alios clam et palam auxilium consilium et fauorem cuicunque persone seu quibuscunque personis volentibus dominis capitulo et ecclesie sue predictis super iure patronatus, ecclesia, vtilitatibus, iuribus, fructibus, et pertinenciis antedictis dampna molestias inpeticiones et quecunque grauamina facere et inferre vllo vnquam tempore quoquomodo.

Jn premissorum quoque omnium et singulorum testimonium atque robur . . preposito .. decano capitulo antedictis dedimus tradidimus hanc litteram ex premissis confectam et conscriptam, nostrorum sigillorum munimine ex nostra certa sciencia conmunitam.

Datum anno jncarnacionis dominj M°.C°.C°.C°.XI°., quindecimo kalendas aprilis.

Sigilla ANDREE DE HOHEnLOC et GOTFRIDI DE HOHENLOCH fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa integra sunt.

Quae supra sub num. CCXLV pagg. 431 et 432 editae sunt litterae huc conferri possunt.

CCLXVIII.

1311, die 19. martii.

Andreas episcopus vinetum in marchia oppidi Karlstat situm ab ecclesia herbipolensi titulo feodali procedens sanctimonialibus in Schônnowe in proprium tradit, aliorumque vinetorum ibidem sitorum donationem ipsis factam — salva eorum omnium decima — confirmat.

Nos Andreas dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum Cunradus de Himelstat ciuis noster in Karlstat dilectis in Christo . . abbatisse et conuentui cenobij sanctimonialium in Schônnowe ordinis cysterciensis nostre dyocesis ipsique cenobio tria jugera et quartam partem jugeris sita in marchia sev territorio opidi nostri Karlstat, quibus confinat vinetum Hartmodi de Karlstat, que a nobis et ecclesia nostra in feodum procedebant, vendiderit ac vendicionis titulo tradiderit ac donarit; cumque quondam dictus Rintprat scultetus de Karlstat sex jugera vineti sita in dicta marchia in loco dicto Hotzen liten, quibus confinat vinetum Wintheri Henlin de Karlstat, nonnullique ciuium de Karlstat eisdem . . abbatisse et conuentui eorumque cenobio longis retroactis temporibus vnum juger vineti situm in dicta marchia in loco dicto Tieffe wek prope forestum, et specialiter . . dicta quondam Smersniderin de Karlstat vnum juger minus quarta parte situm in marchia prenotata in monte dicto Nuweberg, in suarum animarum remedium tradiderint ac donarint — jpsa abbatissa et conuentus nobis humiliter supplicarunt, quod premisse vendicioni de prenominatis tribus jugeribus et quarta parte facte nostrum adhibere consensum, eisque et eorum cenobio huiusmodi vinetum a nobis et nostra ecclesia sic procedens appropriare et incorporare fauorabiliter dignaremur, dictamque donacionem

de residuo vineto preexpresso eisdem . . abbatisse et conuentui prout superius est expressum factam ratam et gratam habere fauorabiliter dignaremur.

Nos itaque dictarum . . abbatisse et conuentuss upplicacionibus annuentes, premisse vendicioni nostrum adhibentes consensum pariter et assensum, prenominatum vinetum — a nobis vt predicitur et ecclesia nostra procedens in feodum — prenotatis . . abbatisse et conuentui et eorum cenobio appropriantes et incorporantes, donacionem de residuo vineto supradicto factam vt pretangitur ratificamus et approbamus, eique nostrum consensum beniuole impertimur, salua nobis et ecclesie nostre decima totius pretacti vineti, que nobis erit perpetuo annis singulis persoluenda.

Ceterum volumus, vt officiati nostri pro tempore dictas sanctimoniales et earum cenobium in redditibus denariorum frumenti et aliis suis bonis que in nostro districtu habuerint et iuste possederint defendere debeant ac tueri, impedimentaque siqua in eis sustinuerint indebite tollere ac eciam via iusticie summouere, necnon cooperari eisdem vt iusticiam super impedimentis huiusmodi assequantur.

In quorum premissorum testimonium has litteras nostro sigillo iussimus roborari.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CCC°· vndecimo, XIIII°· kalendas aprilis.

Andreae episcopi sigillum fascia de ipsarum litterarum membrana confecta quondam suspensum jam avulsum est.

CCLXIX.

1311, die 29. martii.

Andreas episcopus — quia prudentes viri Fridericus et Heinricus fratres dicti Zolner cives babembergenses

decimas villarum Ampferbach et Mannendorf, quas ab ecclesia herbipolensi in feodum hactenus tenuerunt, providis viris Friderico dicto Holtschuher et Ulrico dicto Haller hospiti dilecto, civibus nůrombergensibus, ac eorundem heredibus rite et rationabiliter vendiderunt — ob preces praedictorum fratrum contractui venditionis praedictarum decimarum consensum impertitur, ipsasque decimas a dictis civibus babembergensibus resignatas in feodum praedictis Friderico et Ulrico civibus nůrembergensibus ipsorumque heredibus confert.

Datum in Egra, anno domini M°·CCC°· undecimo, IIII°· kalendas aprilis.

Andreae episcopi sigillum quondam fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum abscissum est.

CCLXX.

1311, die 6. aprilis.

Ecclesia herbipolensis advocatiam villae in Rudericshusen ecclesiae s. Johannis in Hauge eam ab Andrea et Eufemia conjugibus de Brunecke ementi in proprium confert.

Jn nomine dominj amen.

Ne facta hominum transcursu temporis obliuione obfuscentur, vtile est vt litterarum testimonio roborentur.

Hinc est quod nos Andreas dominus de Brunecke miles et Evfemia coniuges jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod nos manu coadunata justo vendicionis tytulo vendidimus donauimus tradidimus necnon

vendimus et tradimus per presentes aduocaciam ville in Ruderics-husen cum omnibus et singulis juribus et pertinenciis suis, pratis nemoribus pascuis agris aquarum decursibus quesitis et inquirendis, quocumque nomine nuncupentur, necnon proprios homines quos ibidem habemus, cum bonis propriis sique in eadem villa et campis eiusdem habemus, honorabilibus dominis . . decano et capitulo ecclesie sanctj Johannis in Havge extra muros herbipolenses pro se eorumque ecclesia ementibus et recipientibus tytulo proprietatis tenendum et perpetuo possidendum pro precio octingentarum librarum hallensium — exceptis dumtaxat Heroldo filio sculteti quondam, . . vxore sua, et pueris eorundem, quo ad ipsorum personas et non bona eorundem — transferentes in ipsos emptores eorumque ecclesiam ac successores eorundem libere et integre omne jus omnemque actionem quod et que in dicta aduocacia suisque pertinenciis ac propriis hominibus et bonis predictis nobis nostrisque heredibus de jure vel de facto conpetebant vel conpetere videbantur ab antiquo.

Confitemur eciam, precium dicte emptionis nos a dictis emptoribus integraliter recepisse, et in vsus nostros svmme vtiles et necessarios conuertisse, renunciantes etiam in presenti vendicione pro nobis nostrisque heredibus excepcioni non traditi non numerati non solutj precij, doli mali, beneficio restitucionis in integrum quod tam maioribus quam minoribus est indultum, necnon generaliter omnibus et singulis excepcionibus defensionibus et cautelis positis in jure canonico et ciuilj, et specialiter juri dicenti generalem renunciacionem non valere. Nec dicemus aliud esse actum et aliud fore scriptum. Judicis officium non implorabimus. Libellum et beneficium restitucionis in integrum non petemus. Fraudem dolum et decepcionem non allegabimus, nec aliqua alia proponemus per que contractus iste vel aliquid in ipso contentum posset de jure vel de facto ex quacumque causa viciari vel eciam annullari. Que omnia et singula supradicta et subscripta promisimus et in hiis scriptis promittimus fideliter adtendere et firmiter obseruare sub dacione fidei nomine juramenti, et contra ea non venire aliquo studio jngenio vel cautela.

Promittimus eciam pro nobis nostrisque heredibus, predictis emptoribus eorumque successoribus et jpsorum ecclesie de evictione dicte aduocacie et suarum pertinenciarum ac hominum propriorum et bonorum predictorum plene cauere, et warandiam facere secundum jus quod de bonis proprietariis fieri est consuetum, et omnia impedimenta et dampna remouere que ipsis eorumque ecclesie et successoribus ipsorum ex parte nostri nostrorumque heredum in prefata advocacia cvm suis pertinenciis et propriis hominibus ac bonis predictis illata fuerint siue facta. Pro qua quidem evictione cauenda et warandia facienda ponimus et obligamus in hiis scriptis sepefatis emptoribus successoribus et ecclesie eorundem in fideiussores in solidum dominum Heinricum decanum in Hoppherstat, dominum Syfridum [1]) camerarium in Lîhental [2]), necnon Fridericum Zobel de Gybelstat, Vlricum dictum Gier [3]), Heinricum et Lvdewicum fratres de Cregelingen, Cûnradum dapiferum de Baldolshein [4]), et Cunradum dictum Crummelin [5]) de Regelberg, milites. Qui, si prefatos emptores successores et ecclesiam eorundem aliquod dampnum sev impedimentum sustinere contingerit jn advocacia cum suis pertinenciis et propriis hominibus ac bonis prenotatis, moniti fideidacione ex parte sepedictorum emptorum successorum et ecclesie eorum, quilibet eorum per vnum equum et famulum pro se in obstagio recipere se debet in ciuitate herbipolensi, apud hospitem publicum expensas in dampnum nostrum facturi sine vara tam diu more fideiussorio, vno se per alterum non excusaturo, donec dictum dampnum sev impedimentum per nos sublatum fuerit totaliter et amotum. Nos quoque fideiussores predicti ad exsoluendum dictum fideiussionis debitum eo modo quo predicitur nos fide data vice et nomine juramenti presentibus obligamus. Quorum quidem fideiussorum si quis cesserit, aut quod absit decesserit, alterum eque certum substituere promittimus infra mensem proximum tunc sequentem loco sui; aut

[1]) In altero harum litterarum exemplari legimus: *Sifridum.* [2]) B: *Lyhental.* [3]) B: *Gyer.* [4]) B: *Baldalshein.* [5]) B: *Cûnradum dictum Crûmmelin.*

superstites premisso modo obstagium obseruabunt donec talis substitucio compleatur. Quos eciam fideiussores promittimus bona fide ab hac fideiussione indempniter liberare.

Preterea recognoscimus, nos Andream et Evfemiam predictos manu coadunata predictam advocaciam cum suis pertinenciis et propriis hominibus et bonis supradictis ad manus venerabilis in Christo patris dominj Andree episcopi herbipolensis prout moris est resignasse, a quo quidem domino episcopo et eius ecclesia herbipolensi dictam aduocaciam cum suis pertinenciis et propriis hominibus sepedictis hucusque habuimus et possedimus jure feodali, et humiliter petiuisse quatinus huiusmodj vendicionem donacionem ratam et firmam habere dictamque aduocaciam cum suis pertinenciis et hominibus propriis prefatis emptoribns eorumque ecclesie appropriare et in jus proprietatis redigere dignaretur. Jn quibus ab eodem domino episcopo fuimus benivole exaudti.

Jn quorum omnium et singulorum testimonium atque robur premissorum dedimus sepedictis emptoribus eorumque ecclesie et successoribus presentes litteras, munimine nostrorum sigillorum fideliter roboratas.

Nos vero Andreas dei gracia episcopus herbipolensis humilibus precibus dictorum nobilium fauorabiliter annuentes, predictam aduocaciam cum suis pertinenciis quesitis et inquirendis quocumque nomine nuncupentur et proprios homines ad manus nostras per dictos nobiles manu coadunata resignate prefatis emptoribus eorumque ecclesie et successoribus de consensu et voluntate nostri capituli appropriamus et donamus, ac in jus et libertatem propriorum bonorum redegimus et redigimus per presentes, jta quod ipsi emptores eorumque ecclesia et successores dictam aduocaciam cum suis pertinenciis et propriis hominibus jure proprietatis in perpetuum pacifice possideant et quiete tam liberaliter quod nec per nos nec successores nostros aliquod inpedimentum vel grauamen quoquo modo ipsis emptoribus in bonis sev advocacia et propriis hominibus predictis aliqualiter inferatur, sub harum testimonio litterarum, nostri sigilli munimine signatarum.

Nos vero Wolframus prepositus, . . decanus, et capitulum ecclesie herbipolensis predictam vendicionem et appropriacionem ratam et firmam habemus, et eidem consensimus et presentibus ex certa sciencia consentimus, et volumus ipsam firmiter perdurare. In quorum premissorum testimonium nostri capituli sigillum presentibus est appensum.

Testes huius rei sunt: dominus Vlricus de Kyrchberg custos, et dominus Emicho de Brunecke, canonici ecclesie herbipolensis; domini Vlricus de Eichen, Hiltebrandus de Bappenhein, canonici ecclesie augustensis; necnon dominus Otto comes de Kyrchberg, Bertoldus notarius domini Andree de Brunecke predicti; et alij quam plures fide digni ad hoc vocati pro testibus et rogati.

Actum, anno domini millesimo tricentesimo vndecimo, octavo idus aprilis.

Sigilla Andreae episcopi, capituli ecclesiae herbipolensis, ANDREE DE HOHEnLOC, OFFEMIE DE BRUNEKE filis sericis rubri et viridis colorum ex utroque hujus documenti exemplari suspensa in altero integra, in altero alia aliis magis laesa sunt.

Litteras huc spectantes, a Gotfrido de Brunecke die 28 mensis februarii anni 1310 datas, ab officiali curiae herbipolensis die 7 mensis aprilis anni 1311 transscriptas, liber copialis ecclesiae s. Johannis in Hauge quem das hauger Kettenbuch dicunt fol. 27 continet:

Jch Gotfrit von Brunecke tůn kvnt allen den die disen brief sehent ader horent lesen, vnde bekenne offenlichen, daz mime lieben brůder Andres von Brvnecke wol gan ze verkevfenne ader ze ve(r)setzenne Erlach die bvrg vnde swaz dar zv gehort besvcht vnde vnbesvcht, Růdericheshvsen besvht vnde vnbesvht, Gozeboldesdorf besvht vnde vnbesvht.

Vnde swer daz vor genante gůt kavft, ader dar vf lihet, daz ist min gůt wille, vnde gan ez ime wol, vnde wil avch in dar an niht hindern.

Des gib ich zv eime vrkvnde mime lieben brůder Andres ader deme der kevft der vorgenanten gůte einez disen brief, verinsigelt mit mime insigel.

Dirre brief wart geben an deme sammaztage nach sent Walpurgè tage, do man zalte von Cristes geburte drvzehent hvndert jare vnde in deme zehenden iare.

Aliarum litterarum huc spectantium, ab Eufemia de Brunecke die 3 mensis aprilis anni 1311 datarum, tenor ad fidem libri copialis memorati fol. 27 hic est:

Venerabili in Christo patri ac domino reuerendo domino Andree herbipolensi episcopo Evfemia contectalis nobilis viri Andree de Brunecke seruicij reuerencie quicquic poterit et honoris.

Vestre paternitati reuerende advocaciam super villa Rv̊derichesh vsen cum suis pertinenciis, michi per vos collatam, cum propriis hominibus ibidem presentibus resigno, rogans humiliter vestram paternitatem reuerendam, quatenus eandem advocaciam cum suis pertinencijs quesitis et inquirendis quocumque nomine nuncupentur cum hominibus proprijs dominis . . decano et capitulo ecclesie sancti Johannis in Havge extra muros herbipolenses, qui apud dictum dominum meum dominum Andream de Brunecke meum maritum et me predictam advocaciam cum suis pertinencijs et proprijs hominibus dicte ville justo empcionis tytulo conpararunt, appropriare et in ius propriorum bonorum redigere dignemini mearum precum hvmilium ob respectum.

Jn quorum premissorum testimonium meum sigillum presentibus est appensum.

Datum anno domini M°. CCC°. XI°., III°. nonas aprilis.

Nec minus litteras huc spectantes, ab Andrea et Eufemia conjugibus de Brunecke die 15 mensis aprilis anni 1311 datas, in eodem libro copiali fol. 28' et 29 invenimus:

Jn nomine domini amen.

Contencionis prestat materiam obliuio rei geste. Vnde multis occurritur [periculis] vtiliter et prvdenter, quociens actus temporales litterarum testimonio perhennantur.

Hinc est quod nos Andreas nobilis de Brvnecke miles et Evfemia coniuges ob perpetuam rei memoriam in publicam deducimus no-

liciam, quod manu condunata et pro euidenti vtilitate nostra vendidimus dedimus et tradidimus necnon iusto vendicionis tytulo vendimus damus [et] tradimus per presentes honorabilibus dominis . . decano et capitulo ecclesie sancti Johannis in Haŷge extra muros herbipolenses ementibus et recipientibus pro se et eorum ecclesia advocaciam ville in Rŷderichshusen cum omnibus et singulis iuribus et pertinenciis suis, pratis, nemoribus, pascuis, agris, aquarum decursibus, quesitis et inquirendis, quocumque censeantur [nomine], necnon proprios homines quos ibidem habemus, cum bonis propriis si que in eadem villa et campis eiusdem habemus, tytulo proprietatis tenendum et perpetuo possidendum, pro precio octingentarum librarum hallensium — exceptis dumtaxat Heroldo filio quondam sculteti, vxore sua, et pueris eorundem, quo ad ipsorum personas et non bona eorundem — quod quidem precium recognoscimus nos in parata et numerata pecunia integre habuisse recepisse, et in vsus nostros vtiles et necessarios conuertisse, renunciantes in presenti vendicione non numerate non habite et non solute pecunie, excepcioni doli mali, beneficio restitucionis in jntegrum, necnon generaliter omnibus et singulis excepcionibus defensionibus et cautelis positis in iure canonico et ciuili, et specialiter iuri dicenti generalem renunciacionem non valere. Nec dicemus aliud esse actum et aliud fore scriptum. Judicis officium non inplorabimus. Libellum et beneficium restitucionis in integrum non petemus. Fravdem dolum et decepcionem non allegabimus, nec aliqua alia proponemus per que contractus iste vel aliquid in ipso contentum posset de iure vel de facto ex quacumque cavsa viciari vel eciam annullari. Que omnia et singula supradicta et subscripta promisimus et in hiis scriptis promittimus fideliter attendere et firmiter obseruare, et contra ea non venire aliquo ingenio studio vel cavtela.

Promittimus eciam pro nobis et nostris heredibus, predictis emptoribus et ipsorum successoribus eorumque ecclesie de evictione dicte advocacie et suarum pertinenciarum ac hominum propriorum et bonorum predictorum plene cauere, et warandiam facere secundum ius quod de bonis proprietariis fieri est consuetum, et omnia impedimenta et dampna remouere que ipsis eorumque ecclesie et ipsorum successoribus ex parte nostri heredumque nostrorum in prefata advocacia cum suis pertinenciis et propriis hominibus ac bonis predictis illata fuerint siue facta.

Pro qua quidem evictione cauenda et warandia facienda ponimus et obligamus in hiis scriptis prefatis emptoribus ipsorum successoribus et ecclesie eorundem in fideiussores in solidum dominum Heinricum decanum in Hopherstat, dominum Sifridum camerarium in Lihental, necnon Fridericum dictum Zobel de Gybelstat, Vlricum

dictum Gyer, Heinricum et Lvdewicum fratres dictos de Cregelingen, Cvnradum dapiferum de Baldoltsheim, et Cvnradum dictum Krvmelin de Reigelberc, milites. Qui fideiussores moniti, si predictos emptores eorumque ecclesiam aliquod dampnum sev inpedimentum in premissis sev aliquo eorundem sustinere contingerit, quilibet eorum per vnum equum et familiam per se in obstagium recipere se debebit in ciuitate herbipolensi, apud hospitem publicum more fideiussorio expensas in dampnum nostrum facturi sine vara tam diu, vno se per alterum non excusaturo, donec dictum dampnum sev inpedimentum per nos amotum fuerit totaliter et sublatum. Sane si aliquis fideiussorum cesserit, vel decesserit, alterum eque yoneum substituemus infra mensem tunc proximum loco sui; aut supersites moniti in obstagium se recipient modo premisso donec talis substitucio compleatur. Nos quoque fideiussores predicti ad exsoluendum dictum fideiussionis debitum eo modo quo predictum est nos presentibus obligamus.

Nos quoque Evfemia predicta, eo quod predicta advocacia cum suis perfinenciis ac propriis hominibus necnon bona propria predicta cum nostra pecunia que nobis data fuerat a nostris parentibus in dotem empta fuerunt, recognoscimus nos dedisse fide[m] nomine iuramenti Gerungo tabellioni consistorij herbipolensis quod predictum contractum ratum habeamus atque firmum, et quod contra ipsum aut aliquid in eodem contentum non veniamus aliquo ingenio studio sev cautela.

In quorum omnium et singulorum testimonium premissorum nos venditores predicti presentem litteram sigillo honorabilis viri domini . . officialis curie herbipolensis petiuimus et obtinuimus roborari. Nos quoque . . officialis curie predicte ad petitionem predictarum parcium duximus presentibus appendendum nostre officialitatis sigillum in testimonium predictorum.

Actum anno domini M°CCC° vndecimo, feria quinta infra octauam pasche.

Huius rei testes sunt honorabiles viri: dominus Bruno decanus, dominus Bertoldus scolasticus, dominus Bettelmannus custos, dominus Blumelinus, canonici ecclesie sancti Johannis in Hvrge; Bertoldus notarius noster; Gerungus tabellio predictus; et alij plures ad hoc rogati pro testibus et uocati.

Ego quoque Gerungus tabelio predictus recognosco publice per presentes, quod dictum contractum conscripsi manu mea, et quod predicta vendicio coram me [facta] fuerat in castro Lhentel, presentibus testibus antedictis.

CCLXXI.

1311, die 6. maji.

Andreas episcopus, quod veniens ad ipsius praesentiam Thomas, providi viri Alberti apothecarii civis herbipolensis filius, ecclesiae herbipolensis vicarius, humiliter supplicavit, ut — cum ipse Fridrico dicto Friderich, residenti in Westheim, et Mehtildi uxori ejusdem legitimae, pro tempore vitae utriusque tantum dotem ecclesiae suae in Westheim cum universis pertinentiis locaverit sub pactis et conditionibus infrascriptis, videlicet quod dictus Fridricus praefataque Mehtildis praenominato Thomae ejusque successori pro tempore sex maldra siliginis, duo maldra tritici, duo maldra speltae, et duo maldra avenae annis singulis solvere teneantur — hujusmodi locationem ratam et gratam habere, eique suum consensum impertiri, ac ipsam confirmare favorabiliter dignaretur, considerans praedictam locationem praelibatae ecclesiae utilitatem non modicam importare, cum saepedictus Fridricus praeexpressaque Mehtildis collateralis ejusdem coadunatis manibus libera donatione inter vivos unam curiam prope curiam dilecti in Christo plebani ejusdem ecclesiae sitam ob remedium animarum suarum ad dotem ecclesiae praefatae tradiderint et donarint, praetactam locationem ratam et gratam habens, eique suum consensum favorabiliter adhibens, ipsam confirmat.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CCC°.XI°., H°. nonas maji.

Hae litterae documento a Wolframo episcopo die 4 mensis junii anni 1329 exhibito, quod in monum. boic. collect. nov. vol. XII edetur, insertae sunt.

CCLXXII.

1311, die 3. septembris.

Andreas episcopus vicariae perpetuae ad altare beatae Catharinae in ecclesia onolspacensi institutae villam Hennenbach ab ecclesia herbipolensi titulo feodali procedentem in remedium animae suae donatione inter vivos confert.

Nos Andreas dei gracia episcopus herbipolensis tenore presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — quia honestus vir H(einricus) cantor ecclesie onolspacensis, zelo deuocionis accensus, dotando altare beate Katherine virginis eiusdem ecclesie perpetuam in ipsa ecclesia instituit vicariam, et in subsidium dotacionis altaris et institucionis huiusmodi vicarie spectabilis vir Ludewicus comes de Ôtingen senior villam dictam Hennenbach, quam a nobis et ecclesia nostra tenebat titulo feodali, cum suis pertinencijs vniuersis quesitis et inquirendis quocunque nomine censeantur libera donacione ad altare necnon vicariam predictam tradidit ac donauit — jdem comes nobis humili instancia supplicauit, vt (huiusmodi donacioni nostrum adhibentes consensum) dictam villam cum suis pertinencijs ab eodem nobis resignatam recipere, et absoluendo ipsam ab onere feodali ad altare siue vicariam pretactam in proprietatem donare paterna beniuolencia dignaremur.

Nos itaque, considerantes non modicum fauorem iuris existere bona ecclesiastica de laycorum manibus eripere et ad usum ecclesiasticum reuocare, desiderantesque ex intimis diuinum cultum nostris temporibus aucmentari, necnon memorati comitis supplicacionibus

annuentes, supradictam uillam et suas pertinencias, quas tamen alias ecclesia nostra recuperare non potest nec habere utilia seruicia de eisdem quamdiu sunt in manibus laycorum, nobis resignatas recepimus, et adhibendo preexpresse donacioni facte per comitem antedictum nostrum consensum, eas ab onere feodali prorsus absoluimus, et ad altare et vicariam prenominata in remedium anime nostre (ut postquam uolente altissimo uiam uniuerse carnis ingressi fuerimus in ipsa onolspacensi ecclesia annis singulis anniuersarius dies nostri obitus a canonicis et vicarijs ibidem tam vigilijs quam missa pro fidelibus defunctis celebrari solita et pijs oracionibus alijs perpetuo peragatur ac etiam celebretur) in proprietatem hijs scriptis donacione libera inter uiuos vnâ cum prefato comite tradimus ac donamus, ordinantes nichilominus ac volentes quod percipiens redditus seu prouentus uille et suarum pertinenciarum de eisdem nomine census ad capellam episcopalem castri montis beate virginis in honore beatarum Katherine Margarete et Otylie virginum constructam in festo purificacionis beate Marie uirginis predicte tres libras cere assignare ac persoluere annis singulis teneatur suis laboribus et expensis.

In quorum omnium premissorum testimonium hoc scriptum est nostri sigilli patrocinio conmunitum.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CCC°.XI°., III°. nonas septembri.

Hoc documentum ad fidem copiae in libro copiali monasterii halsprunnensis saeculo XIV conscripto secundum ordinem alphabeti sub lit. O num. VI exhibitae edidimus.

Litterarum a Ludewico comite de Ôtingen ad Andream episcopum de hac re die 27 mensis julii anni 1311 directarum, quas ad fidem cartae auctoritate fratris Johannis abbatis de Halsprunne „anno domini M°.CCC°.XXX°. in crastino beati Andreae apostoli" transscriptae et ejus sigillo fascia de documenti ipsius membrana confecta suspenso fere omnino integro munitae edimus, tenor hic est:

Reuerendo in Christo patri ac domino suo venerabili An(drae)

episcopo ecclesie herbipolensis Ludewicus de Otingen comes senior debite fidelitatis et obsequij promptitudinem indefessam.

Cum ad ampliandum diuinum cultum dilectus notarius noster Heinricus canonicus et cantor ecclesie onoltspacensis in altari beate Katherine virginis infra monasterium eiusdem ecclesie situm de redditibus cuiusdam villule dicte Hennenbach et omnibus eius pertinencijs perpetuam intendat instituere vicariam, et quia predictam villulam a manu vestra tenemus tytulo feodali, petimus cum omni instancia qua valemus, quatenus — predictum feodum a manv nostra absolutam recipientes — eidem vicarie eandem villulam cum suis pertinencijs dignemini appropriare, jta vt ipsum altare sancte Katherine a vobis tamquam a domino feodi liberum et ab omnibus condicionibus absolutum et appropriatum teneat et possideat in perpetuum pleno iure.

Jn quo deo et nobis acceptabile seruicium exhibebitis atque gratum.

Datum Ôtingen, anno domini M°.CCC°.XI°., VI°. kalendas augusti.

CCLXXIII.

1311, die 14. septembris.

Hospitale s. Theoderici herbipolense allodium in Steten situm pro annua pensione Conrado Dûrre de Steten civi wirziburgensi locat, qui una cum uxore bona quaedam ob animarum remedium donatione intert vivos tradit.

Nouerint vniuersi presencium jnspectores, maxime autem hij quorum interest, quod ego Conradus dictus Dûrre de Steten ciuis herbipolensis teneo et possidere debeo allodium situm in Steten cum omnibus suis juribus et pertinencijs quesitis et inquirendis, michi locatum a priore et fratribus hospitalis sancti Theoderici siti intra muros herbipolenses quo ad dies vite mee tantum pro annua pensione, videlicet quatuordecim maldrorum siliginis eis presentandorum per me singulis annis tempore messium cum

mensura herbipolensi debita et consueta ad ipsorum granarium meis laboribus et expensis. Necnon cum eisdem fratribus debeo equaliter diuidere fenum et gramina annis singulis que crescunt in pratis attinentibus dicto allodio, exceptis duobus jugeribus pratorum de predictis pratis quecunque voluero ex eisdem et quorum fenum et gramina debent cedere michi soli. Postquam vero de medio sublatus fuero, dictum allodium cum suis pertinencijs singulis et vniuersis ad predictos fratres et eorum hospitale predictum reuertetur libere et solute, contradictione qualibet proculmota.

Necnon in eosdem fratres et ipsorum domum predictam cum pleno jure dominij transferentur duo jugera vinearum sitarum in marchia ville Steten in monte dicto Klobe paulo plus vel paulo minus, que inquam duo jugera, sehtzphant wlgariter nuncupata, cum dimidio jugere vineti parrochie in Steten attinentis ex vna et vineto Arnoldi dicti Herre ex parte altera confinata, ego Conradus Dûrre predictus et Luggardis vxor mea dedimus et tradidimus necnon damus et tradimus per presentes ob remedium animarum nostrarum donacione inter viuos prefatis . . priori et fratribus et ipsorum hospitali predicto. reseruantes nobis tantum vsufructum dictarum vinearum quo ad dies vite mei Conradi prenotati.

Renunciamus super premissa donacione omni auxilio juris canonici et ciuilis per quod ipsa donacio possit per nos aut per alios inposterum anullari sev aliqualiter retractarj de jure sev de facto.

Jn quorum omnium testimonium predictorum presentem litteram sigillo honorabilis viri domini . . officialis curie herbipolensis petiuimus et obtinuimus roborari. Quod nos . . officialis curie herbipolensis predicte ad peticionem predictarum parcium duximus presentibus appendendum in testimonium premissorum.

Datum et actum anno domini M°·CCC°· vndecimo, jn die exaltacionis sancte crucis; presentibus testibus infrascriptis, videlicet fratre Hermanno priore, fratre Conrado de Fûhstat, fratre Woluelino dicto Buttigeler, fratre Gyselhero, fratre Ortwino, de ordine dicti

hospitalis; Gerungo tabellione; . . dicto Kruse; et alijs pluribus fide dignis.

Sigillum ante dictum fascia ex ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CCLXXIV.

1311, die 9. octobris.

Andreas episcopus publice profitetur, quod decimam suam vini in minori Ohsenfurt strenuis viris Heinrico et Liupoldo fratribus de Nortemberg, imperialis aulae magistris coquinae, et eorum heredibus duxit assignandam tenendam et possidendam eo jure quo decimam in Frikenhusen tenere noscuntur tam diu quo usque dictam decimam in Frikenhusen duxerit reemendam: qua reempta unâ cum eadem dicta decima in Ohsenfurt ad ipsum et ecclesiam herbipolensem libere revertetur.

Datum Herbipoli, anno domini M°. CCC°. XI°., VII°. idus octobris.

Andreae episcopi sigillum fascia de litterarum ipsarum membrana confecta suspensum magnam partem laesum est.

CCLXXV.

1811, die 23. octobris.

Ecclesiae herbipolensi induciae villas Bernheim et Herboltsheim infra quatuor annos reemendi dantur.

Nos Andreas dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — licet nobilis vir Fridericus burcgrauius nuerembergensis super reempcione villarum Bernheim et Herboltsheim et suarum pertinenciarum omnium, que (excepto jurepatronatus ecclesiarum ibidem) pie memorie quondam Friderico burcgrauio nuerembergensi sup genitori et suis heredibus racione trecentarum marcarum argenti septingentarum librarum hallensium pro empcione castri Frankemberg ipsi quondam Friderico et suis heredibus ab ecclesia nostra soluendarum in feodum sunt collate, prout in jnstrumento sub sigillis quondam dominorum Bertholdi babembergensis episcopi et Bertholdi herbipolensis et nostri capituli exinde confecto lucide continetur, nobis nostro successori et capitulo jnducias amice concesserit patentibus suis litteris, per sollempnem stipulacionem nobis pro se et suis heredibus promittendo quod dictas villas cum omnibus suis pertinenciis pro supradicta summa pecuniarum, videlicet trecentis marcis argenti septingentis libris hallensium et triginta libris hallensium, nobis seu nostro successori aut capitulo dabit ad reemendum quandocumque infra hinc et festum purificacionis beate virginis proxime affuturum et ab inde infra quatuor annos inmediate se subsequentes nobis facultas affuerit reemendi, dummodo infra festa videlicet natiuitatis domini et kathedre beati Petri proxime subsequentis tempore reempcionis huiusmodi currencia reempcio talis fiat — tamen, si prefatas

villas et suas pertinencias intra preexpressum tempus nos aut noster successor aut capitulum vt est dictum reemere neglexerimus, nobis deinceps (nisi prefatus Fridericus nunc burcgrauius aut eius heredes voluerint) reempcio non conpetet quoquam modo, jmmo pro nobis nostris successoribus et capitulo predicto de consensu eiusdem expresso exnunc prout extunc omni juri canonico et ciuili (excepto fundo proprietatis, quem ipse burcgrauius et eius heredes in feodum a nobis et ecclesia nostra vt premittitur possidebunt, et jurepatronatus ecclesiarum dictarum villarum) accioni liti seu questioni que possent nobis contra ipsum burcgrauium aut suos heredes pro supradictis bonis conpetere in hiis scriptis renunciamus simpliciter et precise, promittentes dicto burgrauio seu eius heredibus nunquam vllo imposterum tempore extunc siue in foro ecclesiastico aut seculari causam accionem peticionem litem seu questionem aliquam nos mouere, nec cuiquam mouenti aliqualiter consentire, nec eciam contra dictam renunciacionem venire aliquo jngenio juris colore vel subtilitate studio vel cautela.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum prenominato burgrauio dedimus, nostri et dicti capituli sigillorum munimine roboratum.

Nos quoque Wolframus prepositus, Goltsteinus decanus, et capitulum, prenominati, renunciacionem et promissum predicta de nostro consensu expresso recognoscimus fore facta, in huiusmodi nostri consensus testimonium nostrum sigillum hiis litteris appendentes.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo CCC°. vndecimo, sabbato proximo ante festum beatorum Symonis et Jude apostolorum.

Sigillorum modo memoratorum fasciis membranaceis ex hoc documento suspensorum illud Andreae episcopi paene integrum est, illud capituli majoris magnam partem periit.

Documentum cujus supra sub num. CCLII pag. 448 et 449 mentio facta est, die 12 mensis novembris anni 1309 datum, huc conferri potest.

Litteras a Friderico burggravio nurembergensi eadem die de eadem re exhibitas Maercker et de Stillfried in monum. zolleran. vol. II pag. 307—309 ediderunt.

CCLXXVI.

1312, die 1. februarii.

Ordinatio de concanonicorum in ecclesiae herbipolensis capitulum receptione facta.

Nos prepositus decanus et totum capitulum ecclesie herbipolensis notum esse volumus vniuersis presencium inspectoribus et auditoribus quorum scire interest vel qui sua crediderint interesse, quod nos in vigilia natiuitatis dominj proxime preterita in loco solito celebracionis generalis capituli nostri conmuniter congregati honorabiles viros Albertum de Wilnowe scolasticum, Conradum de Nydecke archidiaconum, Heinricum de Stahelberg, Bertholdum de Grumbach, Ernestum de Sebeche, et Vlricum de Kirchberg custodem, nostros concanonicos, in arbitros elegimus concorditer in eodem capitulo ad ordinandum arbitrandum seu disponendum de recepcione quorundam nostrorum concanonicorum infra nominatorum ad idem capitulum nostrum prout eisdem arbitris melius videbitur expedire, ratum et gratum habituri quicquid super eadem recepcione per memoratos arbitros fuerit arbitratum.

Nomina autem ipsorum recipiendorum hec sunt: Emicho de Brunecke, Albertus de Ebersberg, Heinricus de Reinstein iunior, Ottelinus de Wechmar, Gerhardus de Rannemberg, Heinricus de Stahelberg iunior, Hermannus

de Rannemberg, Conradus de Othingen, Conradus de Winsberg, et Wolfelinus pincerna de Rosseberg.

Nos vero arbitri predicti, ipso arbitrio in nos in antedicto capitulo suscepto, tractatibus pluribus de ipsa recepcione habitis, deliberacione prouida prehabita, vigore auctoritatis nobis tradite a preposito decano et capitulo memoratis concorditer et irreuocabiliter ordinamus ac eciam statuimus per presentes, quod primi tres — videlicet Emicho Albertus et Henricus predicti — a festo sancti Kyliani venturo proxime ad duos annos continue se sequentes ad dictum recipiantur capitulum. Jtem quod secundi tres — scilicet Ottelinus Gerhardus et Heinricus predicti — deinde ad vnum annum in festo sancti Kilianj a die recepcionis predictorum computandum recipiantur ad capitulum memoratum. Jtem quod superstites quatuor — scilicet Hermannus, Conradus de Othingen, Conradus de Winsberg, et Wolfelinus pincerna — a die recepcionis prenominatorum (videlicet Ottelini et suorum sociorum) ad tres annos continue subsequentes in eodem festo beati Kyliani ad idem recipiantur capitulum, contradictione qualibet procul mota.

Statuimus eciam circa omnes recipiendos predictos communiter obseruandum, quod quilibet eorum qui iam in sacris ordinibus non existit saltim ad medium annum ante diem sue recepcionis ad minus ordines subdyaconatus recipiat in eis laudabiliter et ministret. Si qui vero ex eis dictam recepcionem ordinum distulerint per quantumcunque eciam longi temporis tractum, nullomodo ad dictum capitulum recipiantur nisi ante recepcionem huiusmodi per medium annum ad minus in subdiaconatu fuerint constituti, saluo tamen iure decani predicte ecclesie nostre, cui in hoc articulo nolumus preiudicium generare, saluis eciam consuetudinibus circa recipiendos ad capitulum memorate ecclesie herbipolensis a retractis temporibus observatis, quibus similiter per hanc formam nolumus derogare.

Jn premissorum quoque et singulorum testimonium omnium atque robur nos prepositus decanus et capitulum predicti sigillum nostrum, nos vero arbitri predicti sigilla nostra duximus presentibus appendenda.

Publicata est hec ordinacio anno domini M°.CCC°.XII°., feria tercia ante festum purificacionis virginis gloriose, in loco solito celebracionis capituli antedicti.

Sigillorum septem memoratorum fasciis membranaceis ex hoc documento suspensorum tertium periit.

CCLXXVII.

1312, die 23. februarii.

Concordia inter Andream episcopum et capitulum ecclesiae herbipolensis in altercatione de possessionibus a magistro Berngero medico relictis exorta initur.

Nos Andreas dei gratia episcopus herbipolensis constare volumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod — cum pie memorie magister Berngerus medicus morte preuentus nullo condito decesserit testamento — nos tamquam loci ordinarius curiam suam cum alijs suis attinencijs sitam in der Bolengazzen retro curiam Conradi dicti de Vffingen clerici, capitulo nostre ecclesie nomine oblacionis duos pullos carnispriuiales et vicarie sancti Galli duas octauas sepi singulis annis soluentem, duasque domos retro prefatam curiam sitas, ad officium burkrauij singulis annis quadraginta denarios nomine census soluentes, tamquam ab intestato decedentis iussimus occupari, et nostre adici fecimus potestati, dictamque curiam cum predictis domibus tanquam ad manus nostras deuolutam dilecto nobis Sifrido famulo nostro suisque heredibus concessimus et contulimus sic vacantem.

Verum . . prepositus . . decanus totumque capitulum ecclesie nostre ius sibi in dicta curia vendicarunt, asserentes proprietatem

ad se predicte curie pertinere ea videlicet racione quod ipsis esset censualis ac ipsis certi census prestacio annis singulis solueretur.

Sane remoto inter nos ac dictum nostrum capitulum omni altercacionis obstaculo, super dicta curia cum predictis . . preposito . . decano et capitulo concordauimus in hunc modum, quod dictus Sifridus noster famulus ipsam curiam et dictas duas domos ad vsus et vtilitatem vendere et alienare valeat capituli prelibati, precio ipsius curie sibi suisque heredibus remanente.

Denique dictus Sifridus in nostra ac dicti nostri capituli presencia constitutus tali functus auctoritate recognouit publice, se dictam curiam vnâ cum predictis domibus honorabilibus et religiosis viris domino . . abbati et conuentui monasterij in Halsprvnen ementibus ad vtilitatem vicarie quam in nostra construxerunt ecclesia in altari sancti Kylani, cuius quidem vicarie collacio ad eundem . . abbatem de jure dinoscitur pertinere, pro precio sexaginta librarum hallensium vendidisse.

Qui quidem religiosi, ducti pietatis zelo ac deuocionis qua semper et incessanter erga nostram viguerunt ecclesiam, dictam curiam et domos cum suis attinencijs de sua propria pecunia compararunt, ne quid vicario deesset quominus se diuinis obsequijs manciparet, sic quod ipsa curia cum supradictis domibus dicte vicarie per eos instaurate perpetuo debeat attinere.

Quam quidem summam precij dictus Sifridus recognouit se integraliter in legali pecunia a dictis . . abbate et conuentu recepisse, renuncians excepcioni non numerate non solute pecunie, et omni excepcioni et auxilio per quod presens instrumentem posset aliqualiter inpediri.

Hanc igitur vendicionem alienacionem et tradicionem approbamus et confirmamus de voluntate expressa nostri capituli et consensu. Jn cuius rei euidenciam ampliorem presentes litteras nostro sigillo fecimus conmuniri.

Nos vero Wolframus prepositus, Goltsteinus decanus, totumque capitulum ecclesie herbipolensis vendicionem aliena-

cionem ac tradicionem factam dictis . . abbati et conuentui nomine dicte vicarie, cum nostra ac nostre ecclesie in hoc agatur vtilitas, approbamus ac ei expresse presentibus consentimus. Jn quorum omnium testimonium et ampliorem roboris firmitatem sigillum nostrum vnâ cum sigillo reuerendi patris domini nostri Andree episcopi ecclesie nostre predicte presentibus est appensum.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°.CCC°. duodecimo, septimo kalendas marcij.

Sigilla duo modo memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa sunt.

CCLXXVIII.

1312, die 25. februarii.

Heinricus rex semper augustus Andreae herbipolensi episcopo principi dilecto — quoniam conquestus est Heinricus abbas ecclesiae fuldensis princeps dilectus, in ipsius majestatis praesentia constitutus, quod ille contra tenorem privilegiorum, quae rex ipse vidit et dudum confirmavit, homines et castrenses abbatis ipsius ac alios ecclesiae suae homines proscribit et excommunicat, quod in ipsius praejudicium vertitur et libertatis ecclesiae fuldensis non modicum detrimentum — per regia scripta mandat, quatenus super praemissis et aliis quae contra tenorem privilegiorum hujusmodi abbatis praedicti fieri dinoscuntur se de cetero omnino contineat, et restringat penitus revocando proscriptionis et excommunicationis sententias, si quae latae sunt contra homines dictae ecclesiae fuldensis, quas ex nunc quantum injuste latae sunt et indebite proscribendo personas hujusmodi contra jura et privilegia dictae fuldensis ecclesiae revocat et annullat.

Datum apud Portum Veneris districtus Januae, VI kalendas martii, anno domini millesimo CCC°.XII°., regni vero anno quarto.

Has litteras — diei 24 mensis februarii attributas — Dronke in codice diplomatico fuldensi sub num. 857 pag. 429 edidit.

CCLXXIX.

1312, die 4. aprilis.

Ritter Chůnrad Sthusse von Hostet gibt seinen vom Hochstifte Wirzburg lehenbaren Zehent zu Ulferames-Sampach dem Kloster Eberach auf.

Jch . . Chůnrad Sthusse der ritter uon Hostet vergihe offenlichen an disme briefe, daz ich vf gibe vnd geben han alleu reht deu ich hete von minem herren dem . . pissoffe uon Wirzebůrch an deme zehenden zů Vlferames Sampach . . dem . . apte vnd dem conuente gemeinlich zů Eberach. Vnd han daz getan uon . . Apeln wegen von Ronbach vnd uon siner bete.

Vnd des zů ainem vrkunde han ich mein jnsigel geleget an disen brief.

Der brief ist geben zů Hostet, nach gotes gebůrt do man zalthe dreuzehen hůndert iar vnd dar nach in dem zwelftem iare, an sand Ambrosigen tag.

Sigillum (C)VNRADi (S)TVHSOnIS fascia de ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CCLXXX.

1312, die 18. julii.

Andreas episcopus ecclesiam parrochialem in Sahsen ecclesiae onolspacensi — conditione vicariae ibidem instituendae adjecta — in usus proprios concedit.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis honorabilibus viris . . decano et capitulo ecclesie onolspacensis salutem cum sincere dilectionis affectu.

Cum nulli dubium existat quin nostre saluti non mediocriter prospiciamus si ad augendum in ecclesiis nostre dyocesis diuinum cultum cum effectu nostras operas applicamus, cum igitur hactenus sit inuiolabiliter obseruatum, ad ecclesiam Sahsen parrochialem vnum de canonicis vestris — licet non esset in gradu sacerdocij constitutus, nec intenderet (prout cura parrochialis ecclesie requirit) promoueri ad sacerdocium — presentari nos hunc morbum mortiferum extirpare volentes, vestre petic[illegible]qua petistis vt (cum honorabilis vir Cunradus de Ôtingen prepositus ecclesie vestre et archidyaconus nostre ecclesie herbipolensis juspatronatus dicte parrochialis ecclesie in villa Sahsen vestre ecclesie donauerit et concesserit) nos eandem donacionem seu concessionem vobis vestreque ecclesie factam ratam et gratam habere, et eam nostri consensus suffragio confirmare, eandemque parrochiam in Sahsen auctoritate ordinaria vestre ecclesie in vsus proprios concedere dignaremur, ea lege vt per canonem hactenus rectori eiusdem parrochie solutum, scilicet decem et octo libras hallensium, vicaria in dicta ecclesia vestra instauretur, et prebendarum stipendia in

vestra ecclesia, ad quam omnes decime eiusdem parrochie ab antiquo pertinere dinoscuntur, aliqualiter emendentur, nos predicte vestre peticioni fauorabiliter annuentes, predictam donacionem seu concessionem jurispatronatus vobis factam ratam et gratam habemus, jpsamque nostri consensus suffragio confirmamus, dictamque parrochiam Sahsen quo ad redditus predictarum decem et octo librarum hallensium vestre ecclesie concedimus in vsus proprios vt est dictum perpetuo conuertendos, jpsi tamen preposito predicto et suis successoribus jure conferendi dictam vicariam instaurandam in vestra ecclesia et jure presentandi perpetuum vicarium ad dictam ecclesiam Sahsen, et etiam jure presentandi vicarium perpetuum ad parrochiam Vrach filiam dicte parrochie Sahsen saluo penitus remanente.

In cuius rei testimonium hanc litteram nostri sigilli munimine fecimus roborari.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo duodecimo, XV°. kalendas augusti.

Sigillum modo dictum fascia membranacea ex hoc documento suspensum est.

CCLXXXI.

1312, die 24. augusti.

Ludewicus de Hohemberg ecclesiae herbipolensis canonicus quaedam testamentum suum condendum spectantia ordinat.

Nouerint vniuersi tam presentes quam futuri, quod ego Ludewicus de Hohemberg canonicus maioris ecclesie herbipolensis, sana mente et corpore, lego super omnibus bonis meis

indistincte sexcentas libras hallensium pro solucione debitorum meorum, pro anniuersariis parentum ac fratrum meorum et meo singulis annis celebrandis, ac elemosinis erogandis personis et monasteriis, secundum quod in testamento meo condendo et sigillo meo signato et concluso reperietur.

Et hec omnia et singula ad manus honorabilis domini Goltstein decani nostri, domini .. de Wilnowe scolastici, domini .. de Hesseburg, domini Blumelini, Eberhardi patruelis mei, quos fideconmissarios meos presentibus instituo in solidum, trado ac conmitto vt testamentum exequantur memoratum fideliter sine mora, secundum quod de ipsis gero confidenciam specialem.

Jtem volo quod personas quibus conmisero bona colenda ac distribuenda — tamen de scitu iam dictorum dominorum — promoueant in omnibus, ne a quouis homine in aliquo deuocio mea maculetur seu fraudetur.

Jtem volo quod si aliqui quibus legauero de oblagiis curiis seu aliis bonis meis in aliquo me impedire presumpserint, quod absit, pars illa legati que ipsos contingebat ipso facto ad capitulum deuoluatur et conmunitati cedat.

Jtem nil juris quemquam ipsorum in aliquo legato habere volo antequam omnia que in testamento meo condendo reperientur conscripta seu ordinata plenarie sint deducta.

Et vt hec omnia inuiolabiliter obseruentur, certi sint roboris ac perpetue firmitatis, presentes litteras venerabilis domini Andree episcopi herbipolensis, domini Goltstein decani nostri sigillorum munimine feci diligencius conmuniri.

Acta sunt hec omnia anno domini M°·CCC°·XII°·, IX kalendas septembris, jndictione XI^a^.

Has litteras ad fidem libri copialis wirziburgensis signati A (= 5) pag. 172 edidimus.

Testamentum ipsum, die 29 mensis martii anni 1313 conditum, infra sub num. CCLXXXV pag. 524—526 edemus.

CCLXXXII.

1312, die 6. septembris.

Andreas episcopus Andreae de Brunecke et Cunrado de Hohenloch consanguineis suis wiltbannum intra ipsorum terminos possessionum quoadusque hae terminos aliorum nobilium possessionum attingunt titulo feodali confert.

Nos Andreas dei gracia episcopus herbipolensis jnspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum wiltbannus tocius nostri ducatus Franconie nobis vtpote prouinciali judici eiusdem ducatus seu terre Franconie ac nostre dinoscatur ecclesie pertinere, nec aliqua persona cuiuscumque condicionis aut status existens intra terminos nostri ducatus huiusmodi ortos ferarum circumseptos habere aut venandi actum quemlibet exercere debeat quoquam modo sine nostra vel aliorum nostrorum successorum episcoporum herbipolensium pro tempore fauore ac licencia speciali — nos grata et fructuosa obsequia nobis et ecclesie nostre iamdicte per nobiles viros Andream de Brunecke et Cunradum de Hohenloch, nostros consanguineos predilectos, hactenus gratuite exhibita et impensa necnon graciora et fructuosiora nobis et eidem ecclesie per eosdem vt speramus obsequia inantea impendenda graciose pre oculis collocantes, affectantesque ipsos ad huiusmodi nostra feruentes obsequia reddere ad eadem feruenciores ac eciam prompciores, ipsis ac eorum heredibus super ceruos et ceruas sues et capreolos necnon cuiuslibet alterius generis feras siluestres wiltbannum intra terminos suorum bonorum quo ad vsque huiusmodi sua bona terminos

bonorum aliorum nobilium dominorum attingere dinoscuntur in feodum contulimus et ad tenendum perpetuo a nobis et ecclesia nostra prefata titulo feodali conferimus in hiis scriptis, jnvestientes ipsos de eodem racionabiliter atque rite, volentesque vt personis quibuscumque intra terminos bonorum prenominatorum consanguineorum nostrorum absque eorundem aut heredum suorum licencia et fauore venari non liceat seu dictas feras inquietare seu disturbare aut qualemcumque venandi actum aliqualiter exercere, nobis nostrisque successoribus herbipolensibus episcopis pro tempore dumtaxat exceptis, quibus in eisdem terminis quando aut quociens voluerint per se aut suos venatores venandi reseruamus liberam facultatem, volentes nichilominus quod eisdem nostris consanguineis aut eorum heredibus in suis bonis a nobis et ecclesia nostra in feodo procedentibus ortum ferarum circumseptum habere liceat perpetuo pro cuiuslibet generis feris in eodem fouendis ac eciam conseruandis ac eorum vsibus applicandis.

Vt autem ijdem nostri consanguinei ab jniuriosis quorumcumque molestiis dictum wiltbannum et ortum tueri et feras ipsas fouere valeant, ad huiusmodi tuicionem nostram adhibere volumus opem et operam efficacem.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum nostri sigilli munimine fecimus roborari.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CCC°.XII°., VIII°. jdus septembris.

Andreae episcopi sigillum fascia membranacea ex his litteris suspensum magnam partem laesum est.

CCLXXXIII.

1312, die 16. octobris.

Das Hochstift Wirzburg kauft vom Ritter Walther Truhsezze von Secgendorf die Burg zu Neuwemburch und das Gut zu Altmanshusen wieder.

Jch Walther truhsezze von Secgendorf ritter der elter vergihe vur mich vnde vur min erben vnd tvn kvnt allen den die disen brief sehen oder hôren lesen, daz ich dem ahperen herren bischofe Andres von Wirzeburch vnd sinen nachkomen vnd sinem goteshuse die burck ze Neuwemburch mit allem dem daz da zv gehôret gesûchet vnd vngesûchet swie ez geheizzen ist, die ich vmme in hette kaufet mit gunst vnd mit willen sines capitels vmme zwelfe hundert phunt haller, mit dem gûte ze Altmanshusen, daz mir der ersame herre bischoffe Mangolt selick het ze kaufen geben vmme drev hundert phunt haller, han wider geben ze kaufen reht vnd redelich vmme daz vorge-

Ego Waltherus de Secgendorf miles tappifer senior pro me et heredibus meis recongnosco publice vniuersis presentibus et futuris, quod reuerendo domino meo domino Andree episcopo herbipolensi eiusque successoribus et ecclesie castrum Nuwenburch cum hominibus jurisdictionibus judiciis centis agris pratis pascuis ortis vineis aquis aquarumque decursibus piscationibus venationibus omnibusque juribus redditibus et pertinenciis suis quesitis et non quesitis cultis et incultis quocumque nomine censeantur, michi per eundem dominum episcopum interueniente honorabilium virorum prepositi decani et capituli sui consensu expresso pro mille et ducentis libris hallensium rite et

nante gût, vnd verschevzze mich alles dez rehtes dez ich oder min erben an der vorgenanten burck vnd allem dem daz da zv̊e gehôret vnd an dem vorgenanten gût ze Altmanshusen heten oder noch môhten gewinnen, vnd gibe ez gentzelichen dem vorgenanten minem herren dem bischoffe vnd sinen nachkomen vnd sinem goteshuse, vnd globe auch daz ich die vorgeschriben rede getreucklichen halten wil vnd niht darwiderkomen mit keinershaht dingen, vnd daz ich dem vorgenanten minem herren dem bischoffe vnd sinen nachkomen vnd sinem gotshuse vmme die selben burck vnd daz da zv̊ gehôret vnd vmme daz gût ze Altmanshusen niht wil beclagen weder an geistlichem noch an wertlichem gerihte, vnd auch nieman wider sie wil beholfen sin.

racionabiliter venditum, cum bonis in Altmanshusen, michi per felicis recordationis dominum Mangoldum quondam episcopum herbipolensem pro trecentarum librarum hallensium pretio venditis, ad reemendum pro summa peccunie preexpressa do trado ac presentibus rite et racionabiliter tradidi et donaui, a me meisque heredibus omne jus quod michi vel eisdem in dicto castro et suis pertinenciis prenotatis ac prefatis bonis in Altmanshusen competebat aut in futurum posset competere penitus abdicando ac in prefatum dominum episcopum eiusque successores et ecclesiam cum pleno rerum dominio transferendo, promittendoque premissa omnia et singula attendere et fideliter obseruare et non contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela, nec prefatis domino episcopo eiusque successoribus et ecclesie contra premissa sev premissorum aliqua siue in foro ecclesiastico siue seculari mouere litem sev aliquam questionem per me vel per alios directe vel indirecte, sev inferentibus vel inferenti aliqualiter consentire.

Jch vergihe auch, daz ich das vorgenante gût daz sich zeuhet

Predictam vero pecunie summam, que se ad mille et quin-

vffe vumfzehen hvndert phunt haller en phangen han als hie nach geschriben stet. Von erst daz mir min vorgenanter herre der bischof mit gunst der erberen hern Wolframes von Grûmbach tûmprobstes, hern Goltsteines dechandes, vnd dez capitels gemeinlich hat bescheiden fur vumfe hundert phunt haller fumfzick phunt haller gûlte von der bete siner leute ze Randersacker allev iar ein ze nemen die wile ich lebe. Dar nach fur die andern vumfe hundert phunt haller hat mir min vorgenanter herre der bischoffe mit sines vorgenanten capitels gunst bescheiden hvndert malter korngûlte ze Eysleybe, vnd von dem hove ze Harrazze sibenzick malter korngulte. Vnd die letzten fumfe hundert phunt haller schol mir min herre der vorgenante bischoffe, oder sin nachkomen, oder daz capitel ob niht bischoffes were, oder dez gotzhuses pfleger die daz capitel dar zv bescheiden hete geben ze vumfe zilen von des bistûms gût: von erst an sancte Mertins tack der nv nehste kvmet hundert phunt haller, dar nach an sancte Walpurcg tac der dar nach aller nehste kvmet hundert phunt hal-

gentas libras hallensium extendere dinoscitur, confiteor me sub infrascriptis pactis et condicionibus recepisse. Videlicet quod prenotatus dominus episcopus de honorabilium virorum Wolframi de Grûmbach prepositi, Goltsteni decani, ac tocius ecclesie sue predicte capituli expresso consensu et beneplacito michi pro quingentis libris hallensium quinquaginta librarum hallensium redditus de precaria hominum suorum in villa Randersacker annis singulis percipiendos ad vite mee tempora deputauit. In refusionem vero aliarum quingentarum librarum hallensium idem dominus episcopus de dicti sui capituli consensu michi in villa Eysleube centum maldrorum redditus, de curia vero Harrazze septuaginta maldrorum redditus percipiendos quamdiu vixero assignauit. Residuas autem quingentas libras hallensium prenominatus dominus episcopus, aut eius successores pro tempore, sev capitulum sede vacante, aut procuratores ecclesie per ipsum capitulum deputati in quinque terminis infrapositis michi persoluere tenebuntur: videlicet in festo beati Martini proxime affuturo centum libras hallensium,

ler, dar nach vffe sancte Mertins tac der dar nach aller nehste kvmet hundert phunt haller, dar nach an sancte Walpurge tac der dar nach aller nehste kumet hundert phunt haller, vnd dar nach vffe sancte Mertins tac der dar nach aller nehste kumet hundert phunt haller. Were aber daz ich an den vorgenanten hallern gulten vnd korn gulten die mir bescheiden sin dekeinen brechen oder dekein hindervnge hete von swelher leie sachen daz geschehe, oder ob ich an den vorgenanten steten die vorgenante gulte niht möht gehaben, so schol min vorgenanter herre der bischoffe oder sin nachkomen oder daz capitel ob niht bischoffes were oder dez gotshus pfleger die von dem capitel dar zv bescheiden weren mir den gebrechen oder die hinderunge gentzelich vs rihten, vnd schullen mir von dez bistûms gût als vil anderre gulte da ich gebrechen an han bescheiden.

Daz aber ich sicher sie, vnd die vorgeschriben rede vnzerbrochen blibe, so hat mir min vorgenanter herre der bischoffe ze burgen gesetzet die erberen herren hern Wolframe von Grûmbach tumprobst, hern Al-

jn festo vero beate Walpurgis deinde sequenti centum libras hallensium, jn festo vero beati Martini tunc proxime subsequenti centum libras hallensium, deinde vero in festo beate Walpurgis tunc inmediate sequenti centum libras hallensium, et in festo beati Martini deinde proxime subsequenti centum libras hallensium michi de bonis episcopatus assignare debebunt. Si vero in dictis hallensium et frumenti redditibus michi deputatis aliquem defectum siue impedimentum aliquod me quocumque modo sustinere contingeret, aut si in dictis locis dictos redditus habere non valerem, extunc memoratus dominus episcopus eiusque successores et capitulum sede vacante vel procuratores ecclesie per ipsum capitulum deputati, semotis impedimentis quibuslibet, de bonis episcopatus tenentur michi alios totidem redditus in quibus defectum habuero assignare.

Vt autem michi plenius caueatur, et vt premissa inconvulsa permaneant, prenominatus dominus episcopus michi fideiussores constituit, videlicet honorabiles viros dominos Wolframum de Grûmbach prepositum, Alber-

breht von Wilenauwe schulmeister, hern Ludewick von Hohemberch, hern Vlrich von Kirchberch, tůmherren; vnd die erberen man hern Andres Zobel, hern Apel Fuhs, hern Johan von Hőchheim, hern Kůnen vom Rebstock, ritter; hern Volker von Tungersheim, vnd hern Jrinck Krehsen, knehte. Swenne die gemant werden, ob ich an den vorgenanten haller gulten oder korn gulten dekeinen gebrechen oder hinderunge hete von swelher leie sachen daz geschehe, oder ob mir die vorgenanten fumfe hundert phunt haller an den vorgenanten fumfe zilen an ieglichem zil hundert phunt haller niht wurden vergolten, so schullen sie ze Wirzeburch ein varen an einen offen wirte, ieglicher mit einem knehte vnd mit einem pherde, vnd schullen als lange leísten nach burgen rehte an geverde vffe dez vorgenanten bischoffs vnd sines gotshuses schaden biz daz mir der gebreche vnd die hinderunge vz wirt gerihte, vnd mir die fumfe hundert phunt haller an den vorgenanten fumfe zilen gentzelich werden vergolten. Wer aber daz der vorgenanten burgen

tum de Wilenauwe scolasticum, Ludewicum de Hohemberch, Vlricum de Kirchberch, ecclesie sue predicte canonicos; necnon strennuos viros Andream dictum Zobel, Albertum dictum Fuhs, Johannem de Hőchheim, Kůnonem de Rebstock, milites; Volkerum de Tungersheim, et Jringum dictum Krehs, armigeros. Qui, si in prenominatis hallensium et frumenti redditibus defectum aliquem siue aliquod impedimentum me sustinere contingeret, vel si ipse dominus episcopus aut eius successores pro tempore sev capitulum sede vacante aut procuratores ecclesie pro tempore in solucione predictarum quingentarum librarum hallensium in suprascriptis terminis neglientes exstiterint, moniti in obstagium apud hospitem publicum in ciuitate herbipolensi — quilibet cum vno equo et famulo — se more fideiussorio recipient, tamdiu in ipsius domini episcopi eiusque ecclesie prenotate dampnum expensas facturi quousque (amotis impedimentis et defectibus quibuslibet) dicte quingente libre hallensium michi in quolibet predictorum terminorum fuerint in-

deheiner von dem lande fûre, oder sturbe, dez got niht enwelle, so schol min vorgenanter herre der bischoffe oder sin nachkomen oder daz capitel oder dez gotshus pfleger die daz capitel dar zv̂ bescheiden hat einen andern als erbern an dez selben stat setzen in dem nehsten manden dar nach, oder die andern burgen schullen leisten als lange vntz ein anderre an dez selben stat gesetzet wird. Vnde verzert sich auch der leistenden phert eines, so schol ie der selbe der daz phert gesetzet hat ein anders an dez selben stat setzen an geverde.

Ez ist auch gerete, daz min vorgenanter herre der bischoffe oder sin nachkomen oder daz capitel oder dez gotshuses pfleger die daz capitel dar zv̂ erscheiden hete die vorgenanten gûlte die mir bescheiden sin an geverde mir beschirmen schullen vnd versprechen als ander irs gotshuses gût, vnd sullen mir dar an kein leit lazzen geschehen.

Ez schullen auch die vorgenanten gulte die ich minem vorgenanten herren dem bischoffe

tegraliter persolute. Preterea si aliquis predictorum fideiussorum de terra recesserit, vel decesserit, prelibatus dominus episcopus vel eius successores aut capitulum sede vacante sev procuratores ecclesie per ipsum capitulum deputati alium eque ydoneum infra mensem tunc proximum tenebuntur substituere loco sui. Alioquin superstites fideiussores se prenotato modo tamdiu recipient quousque substitucio huiusmodi fuerit effectui mancipata. Si vero dictorum equorum aliquis per expensas pabuli consumptus fuerit, js cuius exstitit successiue alium tenebitur presentare.

Ceterum pretactus dominus episcopus aut eius successores sev capitulum sede vacante vel procuratores ecclesie pro tempore predictos redditus michi vt predicitur deputatos cum persona mea tenentur tamquam alia ecclesie sue bona ab iniuriis quorumcumque et molestiis absque dolo et fraude qualibet efficaciter defendere et tueri, et non permittere michi in eisdem a quoquam irrogari indebite molestiam vel iacturam.

Jnsuper sepedicti redditus quos ipsi domino episcopo eiusque successoribus et ecclesie libera

vnd sinen nachkomen vnd dem gotshuse han vriliche geben an in vnd an sin gotshuse nach minem tode gevallen vnd bi in beliben.

Vnd ze einem vrkunde vnd ze einer vestenunge der vorgeschriben rede ist dise hantueste mit dez vorgenanten mins herren bischoffs, mit sines capitels, mit der vorgenanten burgen, vnd mit minem jnsigelen verjnsigelt.

Wir auch bischoffe Andres von Wirzeburch der vorgenante veriehen, daz die vorgeschriben rede also geschehen ist, vnd globen sie vlizeclichen zehalten vnd niht dar wider komen mit keiner slahte dingen. Vnd ze einer behaltenusse der selben rede verbinde wir vns vnd vnser nachkomen vnd vnser gotshus mit vnsers vorgenanten capitels willen vnd gunst. Vnd ze einer gezevcnusse der selben vorgeschriben rede hencke wir vnser jnsigel an disen brief.

Wir auch Wolframe von Grûmbach tumprobst, Golstein dechant, vnd daz capitel gemeinlich veriehen, daz die vorgeschriben rede von wort ze

donatione inter uiuos tradidi et donaui ad ipsum dominum episcopum eiusque successores et ecclesiam postquam viam vniuerse carnis ingressus fuero libere reuoluentur.

Jn quorum omnium premissorum testimonium atque robur hoc jnstrumentum exinde confectum reuerendi in Christo patris domini Andree episcopi herbipolensis prefati, capituli predicti, fideiussorum predictorum, ac mei sigillorum munimine est diligencius roboratum.

Nos quoque Andreas dei gratia episcopus herbipolensis predictus predicta omnia et singula sic recongnoscimus esse facta, promittentes ea attendere et fideliter obseruare et non contrauenire aliquo ingenio studio vel cautela, successorem nostrum et ecclesiam de dicti nostri capituli consensu ad omnium predictorum obseruanciam presentibus obligantes, in eorundemque testimonium ac euidenciam pleniorem nostrum sigillum hiis litteris appendentes.

Nos quoque Wolframus prepositus, Goltsteinus decanus, et capitulum ecclesie predicte premissa omnia et singula de verbo ad verbum de nostro

worte mit vnserm willen vnd mit vnserre gunst also geschehen ist. Vnd ze einem vrkunde vnd ze einer gezeugcnusse der selben rede haben wir vnser jnsigel an disen brief geleit.

Wir auch die vorgenanten burgen verbinden vns zv̊ der vorgenanten burckschaft als da vorgeschriben stet. Vnd ze einem vrkunde der selben burckschaft hencken wir vnserev jnsigel an disen brief.

Dirre brief wart geben do man zelt von gotes geburte dreuzehen hundert iar in dem zuelften iar, an sancte Gallen tac, in dem neunden jar vnsers bistûms.

consensu expresso beneplacito et voluntate sic recongnoscimus esse facta, et in ipsorum testimonium et roboris firmitatem nostrum sigillum presentibus duximus apponendum.

Nos etiam fideiussores prenotati ad dictam fideiussionem nos sub modis pactis et condicionibus prehabitis obligamus. Jn cuius obligacionis per nos sic facte testimonium nostra sigilla presentibus duximus apponenda.

Datum et actum Herbipoli, anno domini M°·CCC°·XII°·, jn die beati Galli confessoris, pontificatus vero nostri anno nono.

Terna dena sigilla ex utroque hujus documenti exemplari fasciis membranaceis suspensa plus minus laesa sunt.

CCLXXXIV.

1313, die 2. februarii.

Litterae a fidejussoribus pro Hermanno dicto Hunt de Steremberg per Andream episcopum captivato necnon pro 2000 librarum hallensium summa recredito datae.

Nos Johannes dictus Flieger, Ortolfûs de Rugeriet, Johannes de Miltze, milites; Otto de Steremberg, Wol-

uelinus de Lapide, Karolus de Liehtenstein, Albertus de Swinshevpt, Albertus de Abersvelt, Johannes dapifer de Blankemberg, Johannes dapifer de Steremberg, Heinricus de Steremberg, Heinricus de Heldriet, Wolnelinus dictus Hurnink, et Hermannus de Steremberg, armigeri, tenore presencium publice profitemur, quod nos pro strenuo viro Hermanno dicto Hunt de Steremberg milite per reuerendum dominum nostrum Andream episcopum herbipolensem captiuato ac pro duobus milibus librarum hallensium recredito apud eundem dominum episcopum aut eius successorem vel capitulum aut procuratores ecclesie per ipsum capitulum deputatos pro iamdicta pecunie summa vel pro ipsius Hermanni representacione fideiussionis debitum duximus subeundum, jta videlicet quod si ipsum Hermannum jn octaua die festi pasche proxime nunc venturi ipsi domino episcopo aut eius successori vel capitulo aut procuratoribus ecclesie per ipsum capitulum deputatis ad opidum suum Hasefurt ad vincula officiati sui pro tempore de certa sciencia ipsius representauerimus, cum quo si per diem et noctem absque dolo et fraude qualibet idem Hermannus remanserit, extunc nos fideiussores prenotati ab huiusmodi fideiussionis debito erimus penitus absoluti.

Si vero predictus Hermannus contra suum juramentum ipsi domino episcopo et nobis pro dicte pecunie solucione vel ipsius representacione corporaliter prestitum (quod non credimus) veniret, extunc in Nova Ciuitate et in Hasefurt apud hospites publicos in obstagium quilibet cum vno famulo et duobus equis nos recipere tenebimur, tamdiu in ipsius Hermanni dampnum more fideiussorio expensas facturi quousque memorato domino episcopo aut eius successori vel capitulo aut procuratoribus ecclesie per ipsum capitulum deputatis dicta duo milia librarum hallensium fuerint integraliter persoluta.

Preterea si aliquis dictorum fideiussorum cesserit vel recesserit, alium eque ydoneum infra quatuordecim dies tunc proximos substituere loco sui duximus promittendum. Alioquin quatuor ex nobis, quos dictus dominus episcopus aut eius successor vel capitulum aut

procuratores ecclesie per ipsum capitulum deputati vel eius officiatus in Hasefurt monuerint, se modo predicto tamdiu in obstagium recipere tenebuntur quousque substitucio huiusmodi fuerit effectui mancipata.

Ceterum si dictorum equorum aliquis per expensas pabuli consumptus fuerit, js cuius extitit successiue tenebitur alium presentare.

Adiectum est etiam, quod si prenominatus Hermannus tempore medio ab aliquo quocumque modo captiuaretur, nichilominus tenebimur pro dicta pecunie summa prout dictum est ad fideiussionis debitum ex[s]olvendum.

Demum si sepedictum Hermannum ante prefate pecunie solucionem vel eius ad captiuitatem representacionem (quod absit) decedere contingerit, extunc ad dictum fideiussionis debitum uolumus aliqualiter obligari.

Jnsuper prelibatus Hermannus durantibus treugis presentibus nil tenebitur contra prefatum dominum episcopum eiusque ecclesiam cum municionibus et hominibus sibi subditis, dolo et fraude quibuslibet relegatis, aliqualiter attemptare.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum nostrorum sigillorum munimine hii qui sigilla habemus, quibus hii qui sigilla non habemus sumus contenti, iussimus roborari.

Datum Herbipoli, anno domini millesimo CCC°. XIII°., IIII^to., nonas februarii.

Sigillorum decem ex his litteris fasciis membranaceis suspensorum duo prorsus desunt, reliqua plus minus lesa sunt.

CCLXXXV.

1313, die 29. martii.

Ludewici de Hohemberg ecclesiae herbipolensis canonici testamentum.

In nomine domini amen.

Ego Ludewicus de Hohemberg canonicus maioris ecclesie herbipolensis subscripta lego dono et condo nomine testamenti pro solucione debitorum meorum et salute anime personis et monasteriis infrascriptis sexcentas libras hallensium super omnibus bonis meis mobilibus et immobilibus indistincte, quocumque nomine censeantur, integraliter persoluendas.

Fratri meo fratri Alberto centum libras.

Jtem patruis meis de Tyf centum libras.

Jtem dominabus sancte Agnetis centum libras.

Jtem fratribus minoribus centum libras.

Jtem fratri Lûpoldo XII libras. Jtem Sophie ad sanctam Agnetem X libras. Jtem abbatisse libram. Jtem sorori Wiltrudi libram. Jtem sorori Heilwigi libram. Jtem Clare X solidos. Jtem Margarete X solidos. Jtem Elizabeth de Strutione X solidos. Jtem gardiano libram. Lectori X solidos. Fratri Johanni X solidos. Fratri Cunrado de Tetelbach II libras. Fratri suo X solidos. Fratri Friderico X solidos. Jtem fratri Friderico de Werberg confessori meo X libras. Jtem singulis fratribus II solidos. Jtem in Eberacum XXX libras. Jtem predicatoribus X libras. Jtem fratri Heinrico de Wechmar X solidos. Jtem heremitis III libras. Jtem carmelitis III.

Jtem ad sanctum Marcum sex. Jtem ad Celiportam VI. Jtem in Meidebrvn VI. Jtem in Heiligintal VI. Jtem in Marpurgehusen VI. Jtem in Seiligenstat VI. Jtem ad sanctum Vlricum libram. Ad sanctum Burchardum libram. Jtem ad singula reclusoria V solidos. Jtem ad sanctam Aframm VI libras. Jtem in Cellis dominarum II libras. Jtem pauperibus domesticis VI libras.

Jtem XXX diebus XXX missas.

Jtem tapetia mea et pannos consutiles lego fratribus minoribus pro diuino cultu et infirmaria.

Jtem vasa mea argentea ad sanctam Agnetem, prout confessor meus ipsis insinuauerit de ipsis faciendum.

Jtem omnes lecti mei et cussini ad consilium confessoris mei in pios vsus erogentur.

Jtem volo vt oblagium in Sthockeim et oblagium in Rezzestat et oblagium in Eisleiben, que oblagia duobus annis post mortem meam michi deseruient, domini nostri exinde prouentus habeant ac recipiant, et oblagium comparetur pro centum et XXX libris hallensium, quod eciam Eberhardus de Hohemberg et Albertus de Trimperg nepotes mei cum omnibus oblagiis et curiis meis habere debent, et anniuersarium meum et fratrum meorum singulis annis celebrari tenebuntur.

Jtem ut Eberhardus et Albertus nepotes mei nullam penitus auctoritatem seu ius aliquod in bonis meis habeant, quousque omnia debita seu legata integraliter sint deducta.

Et si aliquis eorum in testamento meo memorato me directe vel indirecte impedire presumpserit, volo presentibus vt pars legati que ipsum contingebat capitulo cedat ipso facto.

Jtem lego XXX libras hallensium pro perpetuo lumine et ornatu neccessariis capelle. Jtem capellano IIII libras, vestes meas varias, et vulpinas.

Jtem Ludewico scolari XX libras. Jtem . . cellerario X libras. Jtem puero fratris mei X libras. Jtem nepti mee in Schonowe X libras.

Jtem volo ut quibus legaui elemosinam teneantur ad celebrandum anniuersarium meum et fratrum meorum.

Jtem volo vt siqua debita inuenta fuerint fideliter deducantur.

Jtem aream que minor Tuteleiben nuncupatur, que contigua est curia mee Tuteleiben, Johanni de Ariete procuratori fratrum minorum ac Johanni filio suo presentibus assigno, et omne jus quod in ea michi conpetit in eos transfero atque trado, vt inibi deuote persone locentur pro salute anime mee, que pro me dominum deprecentur. Et hec locacio semper fiat de verbo et consilio gardiani. Et hec area non est claustralis. Et hoc secundum pono, ne altercacionem aliquam oriri contingat.

Jtem volo, vt supradictum est de anniuersariis et exequiis, solum illis dentur que dari solent qui fuerint in vigiliis et in missa.

Jtem siquid faciendum fuerit, fiat de consilio reuerendi domini nostri decani, domini de Wilnowe scolastici, domini de Hesseburg, domini Blumelini, domini Eberhardi patruelis mei, fratris Friderici de Werberg confessoris mei, quos fideconmissarios meos constituo in hiis scriptis.

Acta sunt hec anno domini M°·CCC°·XIII°·, IIII kalendas aprilis.

Jtem volo vt in Allerthsberg locetur deuotus sacerdos, qui continue inibi conmoretur domino fideliter famulando. Et patrueles mei et heredes eorum semper conferre debent deuoto vt dictum est sacerdoti. Et si non consenserint vel consentirent iam dicte ordinacioni, quod absit, dominus episcopus plenum jus habeat locandi et conferendi.

Acta sicut supra.

Jn cuius ordinacionis memoriam et euidenciam presens testamentum sigilli mei munimine duxi diligencius transsignandum.

Hoc testamentum ad fidem libri copialis wirziburgensis signati A (= 5) pag. 172 edidimus.

Quod supra sub num. CCLXXXI pag. 510 et 511 publici juris fecimus documentum huc conferri potest.

CCLXXXVI.

1313, die 12. maji.

In causa de quarta parte decimae in villa Nutelingen et ejus marchia percipienda inter monasterium s. Stephani et Heinricum marschalcum de Luer exorta arbitri constituuntur.

Jn nomine domini amen.

Nos Conradus de Nidecke archidyaconus, Ernestus de Sebeche, Heinricus de Wechmar, canonici ecclesie herbipolensis, et Heinricus de Katzenstein canonicus noui monasterii herbipolensis recognoscimus presentium jnspectoribus vniuersis, quod — cum inter honorabiles et religiosos viros dominum . . abbatem et conuentum monasterii sancti Stephani herbipolensis ex vna et strenuum virum Heinricum marschalcum de Luer militem pro se et suis heredibus ex parte altera super quarta parte decime maioris et minute et jure percipiendarum in villa et marchia ville Nutelingen inter partes predictas diuerse hinc inde suscitate fuissent materie questionum — pluribus processibus hinc inde dudum habitis, et per dominum abbatem et conuentum monasterii predicti super dicta quarta parte decime, fructibus perceptis, et expensis factis sentenciis diffinitiuis auctoritate sedis apostolice reportatis, tandem partes predicte super predictis decimis et jure decimarum, fructibus perceptis, necnon ex-

pensis hinc inde habitis in nos, videlicet Conradum de Nidecke archidyaconum, Ernestum de Sebeche, Heinricum de Wechmar, canonicos ecclesie herbipolensis, et Heinricum de Katzenstein canonicum noui monasterii herbipolensis, predictos, conpromissum in se recipientes, tanquam in arbitros arbitratores seu amicabiles conpositores conpromittere curauerunt et eciam conpromiserunt sub periculo cause et sub pena centum marcharum puri argenti ponderis herbipolensis soluenda parti arbitrium obseruanti, ita sane quod nos predicti quatuor arbitri seu arbitratores amicabiliter si possemus de expresso consensu partium conponeremus inter partes predictas, sed — si amice concordare partes predictas nequiremus — nos supradicti arbitri uel arbitratores super predictis decimis et jure decimarum fructibus et expensis secundum processus et sententias hinc inde habitos de jure predictas causas diffiniremus et determinaremus infra hinc et feriam terciam ante festum penthecostes proximam, ita quod concorditer vnam sententiam ferremus et ferre deberemus, nullo nostrum penitus discordante.

Et si nos predicti arbitri in jure ut predicitur discordaremus, partes supradicte promiserunt fidedata attendere et obseruare quidquid venerabilis pater ac dominus dominus Andreas episcopus herbipolensis necnon honorabilis vir Kuno canonicus et officialis curie herbipolensis pronunciarent arbitrando conponendo amicabiliter inter partes predictas.

Et si concordare non possent amicabiliter partes predictas, conpromiserunt predicte partes in predictos dominum Andream episcopum et dominum . . officialem tanquam in arbitros et meros conpromissarios, quod ipse partes seruarent et obseruari facerent, videlicet abbas pro se et suo conuentu, marschalcus pro se et suis heredibus uel aliis quibuscunque ab ipsis causam habentibus, sententias seu pronunciaciones quas predicti dominus An(dreas) episcopus et officialis de jure dictarent, ita sane quod vt[r]ique jus dictarent et dicerent, et quid juris esset super premissis causis promulgarent.

Et promiserunt, ipsas sentencias promulgaciones diffiniciones seu precepta obseruare et obseruari facere, et ipsis prolatis seu pronunciatis eas emologare et approbare secundum quod de jure decernerent arbitri predicti inter partes predictas, et non contrauenire aliquo ingenio studio uel cautela.

Et si predicti dominus episcopus et officialis predictas causas amice uel concorditer aut de jure vt premittitur infra quatuordecim dies a die penthecostes numerandos non terminarent, quelibet parcium gaudere deberet in toto et plenarie jure suo quod habebat ante conpromissum huiusmodi, et omnes processus sentencie et jura que quelibet parcium habuit tempore huiusmodi conpromissi sibi salua et firma deberent in omnibus permanere.

Et si predicti dominus episcopus et officialis inter se discordarent de jure uel amicabili conposicione, gaudebit quelibet parcium jure suo, sicut in proximo articulo est predictum.

Voluerunt eciam et laudauerunt partes predicte, quod si vnus de dictorum dominorum arbitrorum — videlicet dominus episcopus uel officialis — soluerint debitum vniuerse carnis, uel aliquo casu vnus eorum uel ambo ad arbitrandum seu diffiniendum efficerentur inpotentes vel facere nolentes, honorabilis vir dominus Golsteynus decanus ecclesie herbipolensis in locum domini episcopi, et dominus Heinricus de Heyningen canonicus ecclesie in Hauge ad arbitrandum seu conponendum in locum domini officialis predicti succederent eo jure seu pacto uel conpromisso quo predicti procedere poterunt.

Est eciam adiectum per partes supradictas, quod quelibet earum — si arbitrorum IIII^{or} predictorum nostrorum vnum vel duos abesse contingerit, uel fieri inpotentes ad arbitrandum seu conponendum — quod illa pars cuius arbiter defuerit uel defuerint potestatem habeat et teneatur alium uel alios eligendi secundum modum et formam superius pretaxatam.

Promiserunt eciam partes predicte per solempnem stipulacionem fideiacione interposita vice et nomine juramenti, obseruare et

obseruari facere sentencias precepta pronunciaciones promulgaciones quas nos predicti IIII^{or} declarabimus et pronunciabimus concorditer, aut quas predicti duo dominus episcopus et officialis concorditer ferrent per omnia obseruare, sub pena centum marcarum puri argenti ponderis herbipolensis et periculo cause, quam penam centum marcarum et amissionis cause pars arbitrium non obseruans parti arbitrium obseruanti soluet integraliter et conplete.

Et si marschalcus predictus uel sui heredes pronunciacionem supradictorum arbitrorum nostrorum secundum formam prescriptam in toto uel in parte non tenuerit, uel in aliquo contrauenerit, soluet predictus marschalcus uel sui heredes penam supradictam integraliter et conplete. Et tamdiu ipse marschalcus et Heinricus filius suus in obstagio se recipient in ciuitate herbipolensi apud hospitem publicum, expensas faciendo quoadusque predicta pena totaliter fuerit persoluta abbati et conuentui supradictis. Et si marschalcum et Heinricum filium suum cedere uel decedere contingeret, heres suus cum alio sibi conpare in obstagio se recipient in ciuitate herbipolensi ut predicitur. Promisitque dictus marschalcus et Heinricus filius suus sub pena predicta fideidacione interposita nomine juramenti, procurare et facere quod liberi et heredes sui ratam et gratam habebunt pronunciacionem seu diffinicionem arbitrorum predictorum nostrorum, ita quod illi qui legittime sunt etatis infra mensem a data presencium numerandum approbabunt et ratificabunt omnia que nos predicti arbitri diffiniemus, vt superius est expressum, illi autem liberi predicti marschalci qui infra etatem legittimam sunt, cum ad legittimam peruenerint etatem, diffinicionem nostrorum arbitrorum predictorum ratificabunt, vt superius est expressum. Quod si factum non fuerit, marschalcus cum dicto filio suo in obstagio se recipient. Uel si marschalcus non esse uel deesse cum predicto Heinrico filio suo contingerit, vnus heredum suorum cum vno sibi conpare se in obstagio recipient, vt predicitur, donec omnia ratificentur et conpleantur.

Promisit eciam dominus abbas predictus suo et conuentus nomine, pronunciacionem seu diffinicionem predictorum nostrorum

arbitrorum in toto et in parte obseruare vt predicitur. Et si non seruaret, duo de monachis suis se recipient in opido Munrichstat, expensas facturi in dampnum monasterii quousque pena predicta marschalco aut suis heredibus solueretur.

Submiserunt eciam se partes predicte spontanee juridictioni domini Andree episcopi et officialis predictorum, necnon juridictioni honorabilis viri domini decani predicti, ita quod predicti domini conmuniter uel diuisim partem arbitrium non seruantem in toto uel in parte per censuram ecclesiasticam conpellere possent ad obseruacionem sentenciarum preceptorum et penarum arbitrorum nostrorum premissorum.

Dederunt eciam predicte partes arbitris predictis potestatem procedendi seu diffiniendi die feriato uel non feriato, seruata juris solempnitate uel non seruata, corrigendi declarandi interpretandi sentencias precepta uel pronunciaciones arbitrorum nostrorum predictorum.

Jn premissorum omnium et singulorum testimonium atque robur presens conpromissum sigillis honorabilis viri domini . . officialis curie herbipolensis, abbatis et conuentus, et Heinrici marschalci, parcium predictarum, firmiter est munitum. Nos vero officialis prediotus recognoscimus, vniuersa et singula premissa sic esse facta, et ad peticionem dictarum parcium nostrum sigillum vna cum sigillis dictarum parcium ex certa sciencia presentibus appendisse.

Testes huius rei sunt honorabiles viri ac domini: Golsteinus decanus, Fridericus de Stolberg archidiaconus, Eberhardus et Heinricus dicti de Tvnnevelt, canonici ecclesie herbipolensis, et plures alij fidedigni.

Actum et datum anno domini M°. CCC°. XIII°., quarto jdus maij.

Sigilla quatuor memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa fere omnino integra sunt, inprimis illud HENRICI · MARSCALCI · DE · OSTHEIM.

CCLXXXVII.

1313, die 2. junii.

Andreas episcopus et Kuno curiae herbipolensis officialis causam praedictam arbitrando diffiniunt.

Jn nomine domini amen.

Nos Andreas dei gracia episcopus ecclesie herbipolensis, et Kuno officialis eiusdem curie recognoscimus presencium jnspectoribus vniuersis et singulis, quod — cum in honorabiles viros Conradum de Nidecke archidiaconum, Ernestum de Sebeche, Heinricum de Wechmar, maioris, et Heinricum de Katzenstein noui monasterij canonicos ecclesiarum herbipolensium tanquam in arbitros arbitratores seu amicabiles conpositores per honorabiles viros Fridericum abbatem et conuentum monasterij sancti Stephani herbipolensis ex vna et Heinricum marschalcum de Luer militem pro se et suis heredibus ex parte altera super quarta parte decime maioris et minute et iure percipiendarum in villa et marchia ville Nvtelingen, fructibusque perceptis, necnon expensis hinc inde habitis ad certum terminum ipsis ad diffiniendum premissas dissensiones prefixum conpromissum extitisset, et sub penis certis, que vniuersa et singula in ipsius forma conpromissi plenius sunt expressa, cuius quidem conpromissi tenorem vidimus et de verbo ad verbum legimus sub sigillis parcium predictarum; verum quia predicti quatuor arbitri per viam iusticie aut amoris nullatenus terminarunt negocium prenotatum — eiusdem negocii siue questionis ipsius de quibus predicitur autoritas diffiniendi tanquam ad certos arbitros arbitratores seu amicabiles con-

positores secundum formam conpromissi parcium predictarum ad nos extitit totaliter deuoluta.

Partibus igitur predictis propter premissa in nostra presencia constitutis, petentibusque a nobis vt in dicta causa siue negocio procedere dignaremur, nos — cognitis meritis ipsius cause diligencius et perspectis — inuenimus quod predictis .. abbati et conuentui dictoque monasterio sancti Stephani herbipolensis per diffinitiuam sententiam dudum adiudicata fuit predicta quarta pars decime, iuris ordine obseruato, ipsique marschalco ac suis heredibus perpetuum silencium inpositum extitit super ea per honorabilem virum Anshelmum abbatem monasterij sancti Burchardi prope muros herbipolenses judicem subdelegatum ab honorabili viro .. abbate monasterij in Kamberg nostre dyocesis judice sedis apostolice delegato.

Hiis igitur et omnibus aliis que nostrum animum mouere poterant et debebant diligenter consideratis, prehabito consilio prematuro, arbitrando seu amicabiliter conponendo inter predictas partes diffinimus ordinamus et in hiis scriptis pronunciamus, quartam partem decime sepedicte cum pertinenciis eiusdem debere perpetue manere apud .. abbatem et conuentum eorumque monasterium prenotatum, et ad eosdem plene et libere pertinere, silencium dicto marchalco pro se et suis heredibus super eadem quarta parte decime perpetuum inponentes. Abbas vero qui pro tempore fuerit monasteriumque prenotatum tenentur, dicto Heinrico marschalco (aut suis heredibus, si ipse decesserit) infra quatuor annos quadraginta libras hallensium soluere et dare pro bono pacis in supplementum expensarum, siquas idem marschalcus in dicta lite habuit et fecit, ita sane quod in quolibet festo beati Martini incipiendo nunc in proximo venturo soluent et dent decem libras hallensium, donec quadraginta libre hallensium de quibus predicitur fuerint persolute. Quibus solutis .. abbas et conuentus monasteriumque predictum sunt et esse debent ab inpeticione qualibet dicti Heinrici marschalci suorumque heredum vniuersorum penitus absoluti.

Partes quoque predicte in nostra presencia constitute prefatam nostram pronunciacionem per nos prolatam in continenti ratificauerunt ac ratam et gratam habuerunt, et contra eam nolle venire per se vel per alios in posterum aliquo ingenio studio vel cautela fideliter promiserunt.

Pronunciamus quoque et presentibus ordinamus, quod Carulus senior filius marschalci predicti infra hinc et festum beati Kyliani proxime venturi tenebitur et tenetur ratificare et approbare cum effectu dictam nostram pronunciacionem. Que ratihabicio si infra dictum tempus per eundem Carulum facta et completa non fuerint, predictus marschalcus cadet ipso facto in penas in forma compromissi expressas; et nichilominus abbas et conuentus eorumque monasterium predictum marschalco sepedicto aut suis heredibus ad solucionem predictarum quadraginta librarum hallensium non tenebuntur, sed sunt et esse debent penitus absoluti.

Pene nichilominus in compromisso sue arbitrio expresse sunt et esse debent salue et firme quo ad omnes suos articulos, et in suo robore penitus permanere.

Et sic questiones seu lites dicti negocij emersas seu emergere in posterum potentes supra predicta quarta parte decime inter partes predictas decisimus et diffiniuimus de ipsarum parcium voluntate.

In premissorum testimonium atque robur presentes litteras fecimus nostrorum sigillorum munimine ad peticionem parcium predictarum firmiter roborari.

Facta est hec pronunciacio in monte gloriose virginis Marie, anno domini millesimo trecentesimo tredecimo, quarto nonas junij; presentibus honorabilibus viris dominis Anshelmo abbate monasterij sancti Burchardi prope muros herbipolenses, Conrado de Nidecke archidiacono, Eberhardo de Tunneuelt plebano in summo, Ernesto de Sebeche, Heinrico de Wechmar, maioris, Heinrico de Katzenstein noui monasterij canonicis ecclesiarum herbipolensium; Alberto preposito montis predicti; Johanne dicto Cürer capellano . . abbatis sancti

Burchardi predicti; Eberhardo capellano .. abbatis monasterij sancti Stephani; Conrado capellano domini Andree episcopi herbipolensis; Heinrico filio predicti Heinrici marschalci; et .. dicto de Eberstein genero eiusdem marschalci; et pluribus aliis fidedignis.

Andreae episcopi sigillum fascia membranacea suspensum restat.

Litterarum a Carolo seniore marschalci de Luer filio die 22 mensis junii exhibitarum infra sub num. CCXCI pag. 538 mentio fiet.

CCLXXXVIII.

1313, die 2. junii.

Heinricus dictus Weibeler et Guta uxor legitima conjuges, cives herbipolenses, manibus coadunatis priorissae et conventui coenobii ad poenitentes intra muros herbipolenses curiam suam in superiori villa Bleichvelt in fine versus civitatem Herbipolin ita quod nulla curia ibidem est contigua sitam, quam Heinricus dictus Schimel colonus exnunc colit et inhabitat — salvo jure oblegii sex metretarum tritici tempore messium, item quinque unciarum et quinque denariorum herbipolensium dativorum in festo sancti Martini et unius pulli cum dimidio in carnisprivio domino Heinrico de Tannemberg canonico majoris ecclesiae herbipolensis nomine ejusdem ecclesiae annis singulis solvendi et praesentandi — vendunt et tradunt.

Heinricus de Tannemberg canonicus praedictus hunc contractum de sua certa scientia et consensu expresso fore factum recognoscit.

Actum et datum anno domini millesimo trecentesimo tertio decimo, in vigilia pentecostes; praesentibus discretis viris domino Dyemaro

vicario ecclesiae herbipolensis, Bertoldo de Seheim tabellione, Iringo dicto Kenzeler, . . dicto Steheler, et Cunrado filio Heinrici dicti Babemberger, civibus herbipolensibus, necnon quampluribus aliis fidedignis vocatis ad hoc pro testibus et rogatis.

Sigilla officialis curiae herbipolensis et Heinrici de Tannemberg praedicti fasciis membranaceis suspensa sunt.

CCLXXXIX.

1313, die 20. junii.

Andreas episcopus plebano in Kitzige mandat, ut monasterium s. Stephani in possessionem corporalem quartae partis decimae in villa Nuetelingen et ejus marchia percipiendae immissum esse publicet.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis dilecto sibi in Christo . . plebano in Kitzige salutem in domino.

Cum nos quartam partem decime maioris et minute ville Nuetelingen et marchie ipsius ville, de qua dudum questio inter honorabiles viros . . abbatem et conuentum monasterii sancti Stephani herbipolensis ex vna et strennuum militem Heinricum marschalcum de Luer et heredes suos ex parte altera ventilata est, pronunciando adiudicauerimus ipsam quartam partem decime cum pertinenciis eiusdem debere pertinere et manere perpetue apud abbatem et conuentum eorumque monasterium prenotatum iusticia exigente, vnde nobis abbas et conuentus monasterii predicti humiliter supplicarunt vt ipsos in possessionem corporalem decime inmittere dignaremur: quos et nos inmisimus et inmittimus per presentes, mandantes tibi in virtute sancte obediencie, quatenus has litteras nostras

in ambone ecclesie predicte et Nuetelingen et vbicumque oportunum fuerit publices, quandocumque et quocienscumque per abbatem et conuentum monasterii predicti seu eorum procuratorem fueris requisitus, precipiasque hominibus dicte ville Nuetelingen, vt abbati et conuentui eorumque monasterio predictis soluant predictam decimam integraliter et conplete.

Datum in Herbipoli, anno domini M°·CCC°·XIII°., XII°· kalendas julij.

Andreae episcopi sigillum fascia de ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CCXC.

1313, die 20. junii.

Andreas episcopus strennuo militi Kunoni advocato suo in Trimberg dicto de Rebestoch litteris de eadem re datis mandat seriosius, ut abbatem et conventum monasterii s. Stephani herbipolensis seu eorum procuratorem in possessionem quartae partis decimae majoris et minutae villae Nuetelingen et marchiae ipsius inducat, et inductos manuteneat nomine ipsius fideliter et defendat, praecipiatque hominibus dictae villae Nuetelingen, ut abbati et conventui eorumque monasterio praedictis solvant praedictam decimam integraliter et complete.

Datum in Herbipoli, anno domini millesimo trecentesimo tredecimo, XII°· kalendas julii.

Andreae episcopi sigillum fascia de ipsarum litterarum membrana confecta suspensum est.

CCXCI.

1313, die 22. junii.

Karulus filius Heinrici marschalci de Luer militis compromissum sive arbitrium initum et habitum inter abbatem et conventum monasterii sancti Stephani herbipolensis ex una et Heinricum marschalcum patrem praedictum ex parte altera super quarta partae decimae majoris et minutae villae Nuetelingen et marchia ipsius villae, super qua hactenus quaestio inter eosdem vertebatur, pro se et suis heredibus universis firmat laudat approbat, omnesque diffinitiones pronuntiationes sententias et processus factos seu prolatos per honorabiles viros dominos Conradum de Nideccke archidiaconum, Ernestum de Sebeche, Heinricum de Wechmar, canonicos ecclesiae herbipolensis, et Heinricum de Katzenstein canonicum novi monasterii herbipolensis, et per reverendum in Christo patrem ac dominum Andream episcopum herbipolensem et honorabilem virum dominum Kunonem officialem curiae herbipolensis et canonicum jam dictae ecclesiae cum poenis in ipso arbitrio sive compromisso expressis ratificat, ratos et gratos habet et habere perpetuo desiderat, promittens se contra ipsum compromissum sive arbitrium et contra universa et singula in ipso contenta nolle venire per se seu per quoscunque alios in posterum aliquo ingenio studio vel cautela, sed ipsum compromissum sive arbitrium ac universa et singula in ipso contenta attendere perpetuo fideliter et servare.

Datum anno domini M°. trecentesimo tredecimo, decimo kalendas julii.

Sigillum KAROLI MARSALCI fascia de ipsarum litterarum membrana confecta suspensum integrum est.

CCXCII.

1313, die 7. julii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum et ecclesia in Hauge dissensionem de decima in monte Gyrsberg exortam communi notitia vulgariter kuntschaft dicta component.

Nos Wolframus de Grumbach prepositus, Golsteinus de Ryedern decanus, et capitulum ecclesie herbipolensis ex vna, et nos Heinricus decanus et capitulum ecclesie in Havge prope muros jbidem ex parte altera recognoscimus publice in hijs scriptis, quod — cum inter nos super decima in monte dicto Gyrsberg aliqualis dissensio verteretur — tandem inter nos videlicet Wolframum prepositum . . decanum et capitulum predicte maioris ecclesie herbipolensis nomine nostre ecclesie adque nostro ex vna et nos . . decanum et capitulum ecclesie in Hauge antedicte nomine dominj Gotfridi de Hohenloch nostri prepositi ac nostre ecclesie adque nostro ex parte altera talis conposicio intercessit, quod super huiusmodi dissensione ex vtraque parte stare et parere debemus diffinicioni conmunis noticie dicte wlgariter kuntshaft, super cuius veritate jndaganda nos . . prepositus . . decanus et capitulum maioris ecclesie predicte pro nobis et ecclesia nostra elegimus et deputauimus dominum Heinricum de Wechmar nostrum concanonicum, nos vero . . decanus et capitulum in Hauge predicti pro dicto domino preposito nostro [et] ecclesia nostra et pro nobis elegimus et deputauimus honorabilem virum dominum Eberhardum de Tunvelt plebanum canonicum ecclesie

herbipolensis. Qui duo sic electi, alius vel alij duo qui loco ipsius vel ipsorum fuerint deputati in animas eorum veritatem prefate noticie dicte wlgariter kuntshaft infra hinc et festum sancti Michahelis proximum debent fideliter perscrutarj. Qua jndagata cuj parti ex nobis melior noticia dicta wlgariter kuntschaft jus in prefata decima adjudicauerit secundum judicium dictorum duorum dominorum vel ipsorum loco assumptorum aut alterius eorundem, eandem deinceps pars cuj est jus melius attributum secundum dictorum duorum dominorum judicium aut ipsorum loco assumptorum vel alterius eorundem absque partis alterius contradictione perpetuo pacifice possidebit, jta vt si noticia dicta wlgariter kuntshaft prefatam decimam adiudicauerit juxta predictorum duorum dominorum judicium seu eorum loco assumptorum aut alterius eorundem jure meliorj . . preposito . . decano et capitulo in Hauge predictis, nos . . prepositus . . decanus et capitulum antedicte maioris ecclesie herbipolensis predicti promittimus et obligamus nos in hijs scriptis eosdem dominos . . prepositum . . decanum et capitulum in Havge in predicta decima ac eius perceptione non impedire, impetere, nec aliqualiter molestare. Si vero noticia dicta wlgariter kuntshaft antedictam decimam attribuerit secundum judicium duorum dominorum prescriptorum vel assumptorum loco eorundem seu alterius eorundem jure meliorj dominis preposito . . decano et capitulo maioris ecclesie predicte, nos . . decanus et capitulum in Hauge prenominati promittimus et obligamus nos per presentes pro nostro preposito qui nunc est et qui fuerit pro tempore et pro nobis prefatos dominos . . prepositum . . decanum et capitulum ecclesie maioris predicte in prefata decima eiusque perceptione non impedire, impetere, nec aliqualiter molestare. Quod si fieret, quod absit, extunc . . decanus et alij quinque seniores in jntroitu de gremio nostrj capituli quj pro tempore fuerint et presentes in ecclesia, moniti a domino . . preposito aut . . decano maioris ecclesie vel in jntroitu seniore se in claustro nostro Hauge recipient, inde non exiturj quousque huiusmodi impedimentum per nos totaliter sit amotum. Preterea si aliqua parcium ex nobis arbitrum suum seu personam superius nominatam ante predictum sancti Michahelis

festum non adduxerit ad sepedictam noticiam dictam wlgariter kuntshaft investigandam, seu id facere neglexerit, et pars diffinicioni predictorum duorum dominorum vel ipsorum loco assumptorum aut alterius eorundem contradicens vel non parens ex hoc ipso a suo jure cadet penitus super decima prenotata. Licet tamen vtrique parti ex nobis alteram eligere et assignare personam ad investigandam antedictam noticiam wlgariter kuntshaft dictam, si personam pro se electam et superius nominatam habere non valeret.

In quorum omnium et singulorum testimonium premissorum nos duo capitula predicta nostra sigilla duximus presentibus appendenda.

Datum anno domini M°.CCC°.XIII, sabbato ante festum sanctorum Kyliani et sociorum eius.

Sigilla duo praedicta fasciis de litterarum ipsarum membrana confectis ex hoc compromisso suspensa sunt.

Quod infra sub num. CCXCVII pag. 548 et 549 edemus documentum, die 28 mensis septembris datum, huc conferri potest.

CCXCIII.

1313, die 7. julii.

Ecclesiae herbipolensis capitulum concessioni parrochiarum Rimpur et Fritenbach per Andream episcopum ecclesiae s. Johannis in Hauge factae assentitur.

Wolframus de Grumbach prepositus, Goltsteynus decanus, et capitulum ecclesie herbipolensis honorabilibus viris

et in Christo dilectis decano et capitulo ecclesie sancti Johannis in Haûge prope muros herbipolenses salutem cum sincera in domino caritate.

Cum jus patronatus ecclesiarum parrochialium in Rimpur et Fritenbach ad uos legittime pertineat, venerabilisque pater dominus noster dominus Andreas episcopus herbipolensis vobis easdem parrochias concesserit, vt fructus earundem ecclesiarum parrochialium in subsidium et augmentum vestrarum prebendarum conuertere valeatis, sicut in litteris desuper confectis plenius continetur, eidem concessionj nostrum consensum presentibus in nomine dominj adhibemus, jta sane quod cura animarum in eisdem ecclesiis nullatenus negligatur, quodque quelibet prefatarum parrochialium ecclesiarum perpetuum habeat vicarium, cuj tantum de ipsarum prouentibus relinquatur quod . . episcopo et . . archidyacono locj quj pro tempore fuerint de suis juribus valeant respondere, et hospitalitatem congruam obseruare, ac alia onera sibi incubencia subportare.

Jn quorum premissorum testimonium atque robur presentem litteram sigillo nostrj capitulj duximus roborandam.

Actum anno dominj M°.CCC°.XIII°., in vigilia beatj Kylianj et sociorum eius.

Sigillum memoratum filis sericis rubri et viridis colorum ex hac confirmatione suspensum est.

Litterae die 7 mensis aprilis anni 1308 et die 17 mensis octobris anni 1309 exhibitae, quàrum mentio facta est, supra sub num. CCXXXIII pag. 409—411 necnon sub num. CCLI pag. 446 et 447 editae sunt.

CCXCIV.

1313, die 9. julii.

Ecclesia herbipolensis monasterio halsprunnensi fructus et proventus ecclesiae parrochialis in Steynach sub Hohenloch universos incorporat.

Andreas dei gracia episcopus herbipolensis venerabilibus in Christo . . abbati et conuentui monasterij in Halsprunnen ordinis cysterciensis eystetensis dyocesis salutem in domino sempiternam.

Sollicitudo nos ammonet officij pastoralis, vt quemadmodum cultum diuinum (quem nostris augeri temporibus affectamus) tenemur efficaciter promouere, jta monasteria in quibus diuina iugiter resonant preconia vtiliter procuremus vt in continuacione preconiorum huiusmodi laudabilius perseuerare valeant organa ministrorum.

Sane vestra nobis deuocio humili precum instancia supplicauit, vt fructus et prouentus vniuersos ecclesie parrochialis in Steynach*) sub Hohenloch nostre dyocesis, cuius juspatronatus ad vos et vestrum monasterium ex donacione libera quondam nobilis viri Alberti de Hohenloch dinoscitur pertinere, vobis et eidem vestro monasterio incorporare, ac mense vestre vsibus applicare auctoritate ordinaria fauorabiliter dignaremur.

Nos igitur, qui sacrum ordinem vestrum, qui veluti splendidissimum luminare inter alia in katholice fidei firmamento micancia sydera luce rutilantiore preradiat, et sereniori choruscacione refulget,

*) In altero hujus documenti exemplari legimus: *Steinach.*

specialis dilectionis ardore complectimur, et sincero prosequimur karitatis affectu, considerantes supplicacionum vestrarum exaudicionem non solum vobis petentibus verum etiam nobis admittentibus salutis proficere ad augmentum, eisdemque vestris supplicacionibus humilibus nobis exhibitis fauorabiliter annuentes, ac sperantes apud altissimum piis oracionum vestrarum suffragiis adiuuari, fructus et prouentus vniuersos parrochialis ecclesie memorate vobis et vestro monasterio supradicto de honorabilium virorum Wolframi prepositi, Goltsteini decani, et capituli ecclesie nostre expressis beneplacito et consensu incorporamus, et ex certa sciencia mense vestre vsibus largicione munifica perpetuis valitura temporibus applicamus, reseruata nichilominus vicario eiusdem ecclesie pro tempore prebenda congrua qua sustentacionem conuenientem possit habere, hospitalitatem seruare, jura episcopalia et archidyaconalia ex[s]oluere, ac alia sibi incumbencia onera comode supportare.

Jn quorum premissorum testimonium hoc scriptum nostri et prefati capituli nostri est sigillorum patrocinio roboratum.

Nos quoque Wolframus prepositus, Goltsteinus decanus, et capitulum, supradicti, premissa omnia de nostro consensu expresso et beneplacito recognoscimus fore facta, in testimonium adhibicionis consensus nostri et beneplaciti ad premissa nostrum sigillum hiis litteris ex certa sciencia appendentes.

Datum Herbipoli, anno dominj millesimo CCCo·XIIIo·, jn crastino beatorum Kyliani et sociorum eius martyrum.

Singula Andreae episcopi sigilla filis sericis rubri et viridis colorum, illa capituli majoris filis itidem sericis flavi et coerulei colorum ex utroque harum litterarum documento suspensa sunt.

CCXCV.

1313, die 5. septembris.

Dissensio de molendino dicto Tekenmûle et aqua illuc spectante inter ecclesiae herbipolensis infirmariam et universitatem villae Wielandesheim ex una parte et monasterium eberacense ex altera exorta sopitur.

Nos Wolframus prepositus et .. de Rotenstein, canonici maioris ecclesie herbipolensis, Heinricus de Sauwenhein et Fridericus dictus Zolner, milites, aduocati ville Wielandesheim, nec non vniversitas eiusdem ville tenore presencium recognoscimus et constare cupimus vniversis ipsarum inspectoribus lectoribus et auditoribus litterarum, quod super omnibus dissensionibus sev controuersiarum articulis inter venerabiles in Christo ac religiosos viros .. abbatem et conuentum monasterij eberacensis ex vna et nos ac predictam vniversitatem ex parte altera super machina que wer wlgariter dicitur, super meatu aque sive aque-ductu, et molendino prefatorum religiosorum extra predictam villam sito, dicto Tekenmûle, hactenus habitis per nos ex parte eiusdem vniversitatis, et per fratrem Bertoldum infirmarium, ad cuius officium ipsum molendinum pertinet, nec non per fratrem Cůnradum subcellerarium et Heinricum de Tetelbach militem seniorem ex parte predictorum abbatis et conuentus ad hoc specialiter deputatos est taliter publice concordatum, quod proscripti religiosi dederunt et assignantes deputauerunt libere tres agros campestres iuxta fontem dictum Ripreht brunne sitos et octo libras hallensium tempore ipsius concordacionis datas et solutas nec decetero

soluendas ad edificacionem restauracionem siue melioracionem pontis lapidej iuxta pretactum molendinum siti de fructibus ipsorum agrorum nunc et perpetuo faciendam, eo quod predicta machina et aque ductus sev meatus in bono et perfecto statu decetero remanebunt, nec aliquis prenarrate vniversitatis vel nos memoratos religiosos in ipsa machina in aquaductu siue meatu ubique, et in ipso molendino deinceps verbis vel factis, nec indicacione aut patefactione strate siue viarum, quod lingua laicali lantleite dicitur, aut aliquibus aliis occasionibus aliqualiter audeat inposterum impedire, sed pocius promouere.

Salvum est etiam artificibus prescriptum pontem nomine sepedicte vniversitatis edificantibus, recipere de ipsa machina lapides celtisectos, qui gemeiselte steine dicuntur, postposita omni vara.

Est etiam de consensu ipsius vniversitatis et nostro firmatum, quod molitorj eiusdem molendini cespites et alia ad pretactam machinam ac ad instauracionem meatus aque siue molendinj necessaria accipere sev fodere liceat sicut alicui hominum vniversitatis sepefate.

Renunciat itaque eptedicta vniversitas et nos ipsius nomine atque nostro omni iuris auxilio canonici et ciuilis, consuetudinis et statuti, ac etiam constitucionibus factis sev faciendis quibuscumque, per quod vel per que prescripta omnia sev aliquod eorum in iudicio vel extra vitiarj posset irritarj sev etiam reuocarj.

Testes huius rej sunt discreti viri: Cûnradus decanus et plebanus ville predicte, Gotfridus dictus Grûnat, Hermannus Schedel, Heinricus Wanneman, Cunradus Strobel, Heinricus Storche, Fridericus Roden, Hiltebrandus et Heinricus fratres dicti Lûpern, Albertus Schalcuolt, Heinricus Cûnradus et Appilo fratres dicti Korner, et alij quamplures fidedigni.

In quorum omnium euidenciam atque robur presens scriptum est nostrorum sigillorum munimine roboratum.

Datum et actum anno dominj M°·CCC°· terciodecimo, feria quarta proxima ante natiuitatem sancte Marie virginis gloriose.

Sigilla quatuor memorata fasciis membranaceis ex hoc documento suspensa fere omnia integra sunt.

CCXCVI.

1313, die 8. septembris.

Andreas episcopus, quoniam ex parte providi viri Conradi dicti Lebart civis herbipolensis extitit humiliter supplicatum, quod — cum ipse zelo fervoris devotionis accensus prioriss*ae* et conventui sanctimonialium coenobii sancti Manoi extra muros herbipolenses necnon ipsi coenobio decimam suam in Renges-hoven sub castro Vogelsperg sitam, quam ab ecclesia herbipolensi tenuerat in feodum, pro remedio animae suae tradidisset donatione libera et donasset, — hujusmodi traditionem ac donationem ratam et gratam habens, praedictam decimam praefatis priorissae et conventui necnon eorum coenobio praeexpresso appropriare et incorporare auctoritate ordinaria dignaretur, praenotatam traditionem seu donationem liberam ratam et gratam habens ac etiam confirmans, saepedictam decimam appropriat et conventui necnon eorum coenobio praenotatis, praesertim cum antedictus donator inducl nulla ratione potuerit ut eandem decimam ecclesiae parrochiali restitueret in cujus marchia seu territorio dinoscitur constituta.

Datum Herbipoli, anno domini M°·CC°·XIII°, VI idus septembris, pontificatus vero anno decimo.

Andreae episcopi sigillum fasciis membranaceis suspensum integrum est.

CCXCVII.

1313, die 28. septembris.

Ecclesiae herbipolensis capitulo decima in monte Girsperg communi notitia vulgariter kuntschaft dicta adjudicatur.

Jn nomine dominj amen.

Cum super lite seu dissensione que super decima in monte dicto Girsperg hactenus vertebatur inter reuerendos viros dominos Wol(framum) prepositum decanum et capitulum maioris ecclesie herbipolensis nomine ipsorum et eiusdem ecclesie ex vna, et honorabiles viros prepositum decanum et capitulum ecclesie in Heuge extra muros herbipolenses nomine ipsorum et eiusdem ecclesie ex parte altera, eodem partes nos Eberhardum de Tunvelt plebanum et Heinricum de Wechmar canonicos dicte herbipolensis ecclesie pro expedicione seu diffinicione huiusmodi litis seu dissensionis ad indagandam veritatem a communi noticia dicta vulgariter kuntschaft elegerint et deputauerint aut duxerint assumendos, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, nos secundum formam nobis traditam ac in eisdem litteris contentam super dicto negocio inquirentes noticiam dictam kuntschaft a prefatis partibus nobis denominatam examinare curauimus diligenter.

Et quia supradictos dominos prepositum decanum et capitulum maioris ecclesie et ipsam ecclesiam secundum ea que a predicta noticia dicta kuntschaft didicimus seu indagauimus ad prefatam decimam obtinendam et quantum ad eas inuenimus pociores, ipsorumque probaciones secundum dicta eiusdem noticie prevalere,

eisdem dominis videlicet . . . preposito decano et capitulo ac eorum ecclesie maiori memoratam decimam adiudicamus; et diffiniendo pronunciamus quod eadem decima deinceps sine contradictione ad ipsos debeat pertinere.

In cuius pronunciacionis nostre euidens testimonium presentes sigillorum nostrorum appensione duximus roborandas.

Facta est autem adiudicacio seu pronunciacio hec anno domini M°CCC°XIII°, feria sexta ante festum sancti Michahelis archangeli.

Sigillorum duorum ex his litteris fasciis membraneeis suspensorum non nisi illud Heinrici de Wechmar superest.

Quae allegatae sunt litterae, die 7 mensis julii datae, supra sub num. CCXCII pag. 539—541 editae sunt.

CCXCVIII.

1313, die 18. octobris.

Andreas episcopus pro curia in Karlstat sita capitulo ecclesiae herbipolensis curiam et domum lapideam in Ohsenfurt sitas tradit.

Nos Andreas dei gracia episcopus herbipolensis inspectoribus presencium recognoscimus publice vniuersis presentibus et futuris, quod — cum nos honorabilium virorum Wolframi prepositi, Goltsteini decani, et capituli ecclesie nostre curiam intra muros opidi nostri Karlstat sitam dictam wlgariter der Buelm hof, cui ex vna parte curia nostra ex altera vero parte .. dicti Ciruas ciuis nostri in Karlstat domus confinant, nobis reputaremus pro nostris et episcopatus nostri vsibus apciorem quam

curiam nostram intra muros opidi Ohsenfurt sitam, que quondam fuit illius de Saunsheim, necnon kaminatam seu domum lapideam [1]) intra iamdictos muros sitam, quam quondam inhabitauit Reinhol-dus filius dicte Heroltin, cuique domui ex vna latere Bapeo-tonis de Walmarspach ex altero vero Wortwini de Ohsen-furt domus confinant, dictique prepositus decanus et capitulum curiam nostram et domum lapideam predictas intra muros opidi Ohsenfurt sitas reputarent suis vsibus apciores quam suam curiam in Karlstat memoratam. — deliberacione prehabita diligenti, nos curiam predictorum . . prepositi . . decani et capituli preexpressam in Karlstat sitam cum area [2]) structuris et edificiis suis vniuersis nobis ab eisdem preposito decano et capitulo causa permutacionis traditam recepimus, aliis tamen pertinenciis eiusdem curie extra muros opidi Karlstat sitis eis totaliter reservatis, ac eisdem preposito decano et capitulo in ipsorum curie recompensam curiam nostram et domum pretactas in Ohsenfurt sitas cum areis structuris et edificiis suis vniuersis nomine permutacionis perpetuo valiture tradidimus et tradimus in hiis scriptis, dantes ipsis [3]) has litteras nostri sigilli munimine roboratas in testimonium super eo.

Datum Herbipoli, anno domini M°.CCC°.XIII°., XV°. kalendas nouembris.

[1]) In altero hujus permutationis documento, a capitulo ecclesiae herbipolensis eodem die dato, legimus: *necnon domum seu kaminatam lapideam.* [2]) B: *areis.* [3]) B: *dantes ipsi dmino nostro.*

Ex altero harum litterarum exemplari sigillum Andreae episcopi, ex altero illud capituli majoris ecclesiae herbipolensis fasciis membranaceis suspensa sunt.

CCXCIX.

1313, die 23. decembris.

Unio ecclesiarum et clericorum maguntinae dioecesis et provinciae pro defensione et excusatione ab exactione decimae reddituum et proventuum ecclesiasticorum succursui terrae sanctae in concilio viennensi impositae facta.

In nomine domini amen.

Anno eiusdem M° CCC° terciodecimo, mensis nouembris in die beati Clementis, presidente sanctissimo in Christo patre ac domino domino Clemente summo pontifice, pontificatus sui anno nono — congregatis in capitulo ecclesie moguntine honorabilibus viris dominis . . decano et capitulo maioris, ac aliarum ecclesiarum moguntinarum . . decanis et capitulis, prelatis clero et clericis, abbatibus sancti Albani et sancti Jacobi extra muros moguntinos, necnon reuerendorum in Christo patrum dominorum fuldensis et hersfeldensis ordinis sancti Benedicti monasteriorum abbatum, et ecclesiarum secularium et regularium clerj et clericorum dyocesium moguntine ac bahenbergensis, wormaciensis eystetensis argentinensis herbipolensis constantiensis spirensis augustensis halberstadensis hildensheymensis paderburnensis et verdensis ecclesiarum, et clerj prouincie moguntine . . procuratoribus legatis seu nunciis, et nobis iudicibus sancte moguntine sedis, qui aderant pro negocio decime reddituum et prouentuum ecclesiasticorum que in concilio generali proxime celebrato Vienne vt dicitur inposite per eundem sanctissimum in Christo patrem dominum apo-

stolicum predictum succursui terre sancte — jjdem prelati capitula ecclesie clerus et procuratores vnanimiter et concorditer decreuerunt et deliberauerunt, se releuandos esse a solucione huiusmodi decime, presertim ad presens.

Ad quod conformj societate et vnitate se constrinxerunt predicti procuratores, se ac dominos*) suos, vna cum eisdem prelatis capitulis ecclesiis clero et clericis interpositis iuramentis, saluis infrascriptis obligacionibus, ad excusandum defendendum sese ad inuicem a solucione prefate decime, vt predicitur conmunibus et mutuis omnibus ipsorum consiljis auxiliis nunciis laboribus et expensis, hoc adiecto specialiter quod — si ad aliquos vel aliquem ex ipsis cuiuscumque dignitatis condicionis vel status existant vel existat occasione prefati negocij decimalis suspendi excommunicari interdici dignitate personatu vel beneficio quocumque priuari vel aliter turbari offendi vel molestari qualitercumque contigerit specialiter seu conmuniter vel diuisim — ipsi hiis vel illis fideliter assistent et eos reddent et conseruabunt indempnes, nec substituti vel subrogati taliter in locum et beneficia ipsorum si qui fuerint pro prelatis beneficiatis canonicis seu ipsorum confratribus, aut locorum vel beneficiorum eorundem rectoribus pastoribus seu vicariis aliqualiter reputentur, sed tamquam intrusi et occupatores huiusmodi locorum et beneficiorum ac veluti membra putrida a sancti cleri consorcio resecentur.

Et vt firmius subsistat hec vnio caritatis ipsorum tam prouide celebrata, non ad cuiusquam iniuriam, nec ad resistendum sancte sedi apostolice a cujus beneplacitis nulla temeritate se patientur diuelli, cum eius misericordia et vbertate gracie sue tamquam deuoti filij sui sacrosancte matris sue ecclesie humiliter semper reflci desiderent, sed pro defensionis sue vigore supplicacionibus appellacionibus prouocacionibus et modis aliis quibus possunt fructuosius

*) In carta ipsa scriptum est: *constituerunt se procuratores predictos procuratoribus se ad dominos.*

procurando et expediendo, prudentem virum dominum . . custodem ecclesie sancti Stephani moguntine prefati maioris et aliarum ecclesiarum prelati capitula ecclesie et clerus moguntine ciuitatis et dyocesis suum constituerunt et ordinauerunt legittime syndicum procuratorem et defensorem, qui in suam et singulorum ipsorum animas prestito sollempniter iuramento tactis sacrosanctis ewangeliis promisit de mandato ipsorum pro ipsis omnibus publice supradictis procuratoribus prouincie moguntine hec omnia et singula fideliter attendere adimplere et inuiolabiliter obseruare.

Econtra etiam predicti procuratores habentes ad hec sufficientia mandata pro se et dominis suis pres[ti]tis simpliciter iuramentis eadem promiserunt. Procuratores autem non habentes sufficientia mandata premissis inquantum poterant pro se et dominis suis consentiebant expresse, promittentes fideliter ad iurandum et ratificandum eadem per omnes ecclesias cleros et clericos suarum ciuitatum et dyocesium sufficientia procuratoria et mandata quantum possent facere et procurare fieri et transmitti capitulo ecclesie moguntine infra hinc et octauas festiuitatis epiphanie dominj proximo nunc venture, hoc excepto quod procuratores constantiensis et augustensis ecclesiarum premissis nondum consenserunt, sed promiserunt fideliter inquantum possent curare et procurare fieri et transmitti plena et sufficientia procuratoria seu mandata omnium ecclesiarum clericorum et clerj ciuitatum et dyocesium suarum ad iurandum ad probandum et ratificandum omnia et singula predicta eidem capitulo infra terminum prenotatum.

Preterea considerantes insimul concorditer et communiter omnes prelati capitula ecclesie clerus et procuratores prescripti, se merito certis et rationabilibus de causis releuandos esse vt predicitur a prestacione predicte decime, presertim ad presens, supplicauerunt reuerenter honorabilibus viris dominis Jacobo preposito ecclesie sancte Marie in campis, Hildebrando decano sancti Stephani, et Jacobo scolastico sancte Marie ad gradus ecclesiarum moguntinarum, qui huiusmodj decime se asserunt

collectores, expositis sibi causis huiusmodj, ne procederent ad exactiones inportunas decime predicte.

Jpsi ergo supplicacionibus eorum pie condescendentes, moniciones et processus suos reuocauerant, iterato mandantes et monentes vt prius, quatenus vsque ad initium mensis maji proximo futuri ad soluendam decimam se disponerent vt deberent. Prepositi vero taliter ammonitj et quos huiusmodj monicio respicit prefatas inducias acceptarunt, saluis semper iuuaminibus excusacionibus munimentis defensionibus et racionibus sibi conpetentibus contra solucionem decime prenotate.

Actum anno die pontificatu*) prenotatis, hora diei quasi sexta.

*) In carta ipsa legimus: *anno die, pontificatus.*

Hoc documentum ad fidem exemplaris auctoritate judicum sanctae sedis moguntinae confecti et sigillo sedis dictae quondam muniti edidimus.

Quae in monumentorum boicorum novae collectionis volumine sequente sub numm. II et III pag. 2—6 edentur litterae, huc conferri possunt.

CCC.

1313, die 26. decembris.

Gundloch von Windheim sendet dem Hochstifte Wirzburg seinen davon lehenbaren Zehent zu Zedmanstorf auf.

Jch Gundloch von Windheim vergihe vnd bechenne offenlich an disem prief, daz ich den zehent ze Zedmanstorf, der in der pfarre ze Purgebrach ist gelegen, den ich von dem gots-

haus ze Wirtzpurch ze lehen han, vnd den die erberen man Friderich Zolner der schultheitz ze Babemberch vnd sein brûder furbaz von mir ze lehen heten, daz ich den selben zehent mit allem recht vf gib vnd vf send minem erberen herren dem pischof ze Wirtzpurch bei Brevnlein dem chuchenmeister vnd Fritzen sinem bruder burgeren ze Babemberch.

Vnd han dar vber ze einem gezeugnûsse vnd ze einer vestenung dirre vorbeschriben dinge mein insigel gehangen an disen prief.

Der ist gegeben ze Babemberch, da man zalt von Christes gebûrt drevzehenhundert iar und dar nach in dem virzehenden iar, an send Stephans tag in den weihnachten.

Sigilli memorati fascia de litterarum ipsarum membrana confecta suspensi circumferentia magnam partem interiit.

CCCI.

Anno? mense? die?

Synodus per Andream episcopum celebrata.

Cujus quas ferunt sanctiones, anno dominicae incarnationis M°·CCC°·XIV^to., XVI^to. kalendas junias datas, ex schedis Joannis Gamans societatis Jesu per virum cl. Schannatum descriptas Hartzheim in concil. german. tom. IV pag. 246—248, Schneidt in thes. jur. can. tom. II pag. 100—108, et dr. Himmelstein in synodico herbipolensi pag. 159—163 ediderunt.

Qui quidem editor modo laudatus l. c. pag. 115 haec annotat: Synode unter Bischof Andreas am 17 Mai 1314. Wir besitzen die auf derselben edirten Statuten, wiewohl nicht ganz vollständig. Sie enthalten

21 Abschnitte. Ausserdem findet sich in den Synodalstatuten Wolframs (1329) cap. X, und Gottfrieds (1446) cap. XVII ein Statut episcopi Andreae „de officio archidiaconi“ welches bei Hartzheim vermisst wird.

Quantumvis, quae Andreae episcopi statuta synodalia modo memorata circumferuntur, Andreae esse recte judicaverit, tamen quod ea die 17 mensis maji anni 1314 emanavisse putat, est quod erret.

Nam Andream aliquot mensibus ante mortuum esse, inde facile apparet, quod in documento die 7 mensis januarii anni 1314 exhibito, quod in monumentorum boicorum novae collectionis volumine duodecimo sub num. II pag. 2—5 edendum curabimus, hujus episcopi his verbis mentio fit: *recolendae memoriae domini Andreae episcopi herbipolensis nuper defuncti.*

Igitur quaecunque de synodo ab hoc episcopo celebrata traduntur denuo inquiras atque dijudices oportet.

Corrigenda.

Pag.	170	lin.	1	legendum est:	*sigilli nostri karactere.*
„	190	„	18	„ „	*sancit.*
„	207	„	15	„ „	*CLXXIII.*
„	246	„	17	„ „	*1299.*
„	378	„	12	„ „	*in monte.*
„	447	„	20	„ „	*26.*